

Eadmeri
historia novorum
in Anglia

*Et, Opuscula Duo de Vita Sancti Anselmi
et Quibusdam Miraculis Ejus*

EDITED BY MARTIN RULE



CAMBRIDGE
UNIVERSITY PRESS

CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS

Cambridge, New York, Melbourne, Madrid, Cape Town,
Singapore, São Paulo, Delhi, Mexico City

Published in the United States of America by Cambridge University Press, New York

www.cambridge.org

Information on this title: www.cambridge.org/9781108052221

© in this compilation Cambridge University Press 2012

This edition first published 1884
This digitally printed version 2012

ISBN 978-1-108-05222-1 Paperback

This book reproduces the text of the original edition. The content and language reflect the beliefs, practices and terminology of their time, and have not been updated.

Cambridge University Press wishes to make clear that the book, unless originally published by Cambridge, is not being republished by, in association or collaboration with, or with the endorsement or approval of, the original publisher or its successors in title.

EADMERI
HISTORIA NOVORUM IN ANGLIA,
ET OPUSCULA DUO
DE VITA SANCTI ANSELMI ET QUIBUSDAM
MIRACULIS EJUS.

EADMERI
HISTORIA NOVORUM IN ANGLIA,
ET OPUSCULA DUO
DE VITA SANCTI ANSELMI ET QUIBUSDAM
MIRACULIS EJUS.

EDITED FROM MANUSCRIPTS IN THE LIBRARY OF CORPUS CHRISTI COLLEGE,
CAMBRIDGE, BY

MARTIN RULE, M.A.

PUBLISHED BY THE AUTHORITY OF THE LORDS COMMISSIONERS OF HER MAJESTY'S
TREASURY, UNDER THE DIRECTION OF THE MASTER OF THE ROLLS.

LONDON:
LONGMAN & Co., PATERNOSTER ROW; TRÜBNER & Co., LUDGATE HILL;
ALSO BY
PARKER & Co., OXFORD; AND MACMILLAN & Co., CAMBRIDGE;
A. & C. BLACK, AND DOUGLAS & FOULIS, EDINBURGH;
AND A. THOM, DUBLIN.

1884.

Printed by
EYRE and SPOTTISWOODE Her Majesty's Printers,
For Her Majesty's Stationery Office.

CONTENTS.

	Pages
PREFACE - - - - -	ix-cxv
APPENDIX TO PREFACE - - -	cxvii-cxxvii
HISTORIA NOVORUM IN ANGLIA - -	1-302
LIBER PRIMUS - - - - -	1- 67
LIBER SECUNDUS - - - - -	68-117
LIBER TERTIUS - - - - -	118-158
LIBER QUARTUS - - - - -	159-216
LIBER QUINTUS - - - - -	217-289
LIBER SEXTUS - - - - -	290-302
VITA SANCTI ANSELMI ET QUÆDAM MIRACULA EJUS	303-440
DE VITA ET CONVERSATIONE ANSELMI - -	305-426
CAPITULA - - - - -	305-312
LIBER PRIMUS - - - - -	313-358
LIBER SECUNDUS - - - - -	359-426
QUÆDAM PARVA DESCRIPTIO, ETC. -	427-440

EADMERI HISTORIA NOVORUM IN ANGLIA.

INCIPIIT PRÆFATIO HISTORIÆ NOVORUM IN ANGLIA.

MS. C.C.C.
452, p. 1.

CUM præsentis ætatis viros diversis casibus subactos intueor acta præcedentium anxie investigare, cupientes videlicet in eis unde se consolentur et muniant invenire, nec tamen ad hoc pro voto posse pertingere, quoniam scriptorum inopia fugax ea delevit oblivio, videor mihi videre magnum quid posteris præstitisse, qui suis gesta temporibus, futurorum utilitati studentes, litterarum memoriæ tradidere. Quos nimirum, si hono quidem zelo in hujusmodi desudarunt, bonam exinde mercedem recepturos a Deo crediderim. Hoc igitur considerato penes me, statui ea quæ sub oculis vidi vel audivi, brevitati studendo, stili officio commemorare; cum¹ ut amicorum meorum me ad id obnixè incitantium voluntati morem geram, tum ut posterorum industriæ, si forte quid inter eos emerit quod horum exemplo aliquo modo juvari queat, parum quid muneris impendam. Et ea quidem hujus operis intentio præcipua est, ut, designato qualiter Anselmus Beccensis cenobii abbas fuerit Cantuariensis archiepiscopus factus, describatur quam ob rem, orto inter reges Anglorum et illum discidio, totiens et tam diu exulaverit a regno, et quem eventum ipsa discidii causa inter eos sortita sit. Ipsa denique causa nova res huic nostro sæculo esse videtur, et a tempore quo in Anglia Normanni regnare cœperunt, non dico prius, Anglis inaudita. Ex eo quippe quo Willelmus Normanniæ comes terram illam debellando sibi subegit,

Motive and purpose of the work.

The special design of the author.

MS. p. 2.

Homages of prelates to the king and royal investitures of churches by grant of the crossier.

¹ cum] tum, altered from cum in A.

Anselm's strenuous endeavours to abolish the double practice, the occasion of his two exiles. Other concurrent causes. Additional notices.

nemo in ea episcopus vel abbas ante Anselmum factus est, qui non primo fuerit homo regis, ac de manu illius episcopatus vel abbatiae investituram per donationem virgæ pastoralis susceperit,¹ exceptis duobus episcopis, Ernosto scilicet² atque Gundulfo. Hi namque, unus post unum Rofensi ecclesie præsidentes, ex more a venerandæ memoriæ Lanfranco archiepiscopo Cantuariensi in capitulo fratrum Cantuariæ³ ipso episcopatu investiti fuerunt. Hunc ergo morem quasi Deo sacrisque canonibus contrarium Anselmus⁴ abolere, ac per hoc injustitias inde manantes resecare, desiderans, regibus ipsis invisus effectus est, et patriam exire coactus. Fuerunt et aliæ ipsius exitus causæ, sicut rerum gestarum series declarabit. Describentur etiam alia nonnulla quæ et ante et inter et post hæc in Anglia provenerunt, quorum scientia illos qui nos secuturi sunt penitus defraudandos pro nostro posse rati non sumus. Sed hæc in prologo paucis memorasse suffecerit. Cæterum narrandi ordinem aggredientes paulo altius ordiendum putamus, et ab ipsa, ut ita dixerim, radice propagine de qua eorum quæ dicenda MS. p. 3. sunt germen excrevit brevi relatu progrediendum.

EXPLICIT PRÆFATIO.⁵

¹ *susceperit*] suscepit, A.

² *scilicet*] videlicet, A.

³ *fratrum Cantuariæ*] On erasure in A; probably for insertion of *fratrum*.

⁴ *contrarium Anselmus*] On erasure and crowded in A.

⁵ A. has no "Explicit præfatio."

INCIPIIT LIBER PRIMUS HISTORIÆ NOVORUM IN ANGLIA.¹

REGNANTE IN ANGLIA gloriosissimo rege Eadgaro,² The primacy of St. Dunstan. [A.D. 900-988.]
 et totum regnum sanctis legibus strenue gubernante,
 Dunstanus Cantuariorum antistes, vir totus ex virtutibus factus, Christianæ legis moderamine totam Britanniam disponebat. Hujus igitur operatione atque King Edgar.
 consilio rex idem et Deo devotus extitit et undique irruentium barbarorum impetus invicta virtute debellavit, evicit, compressit. Pacem itaque diesque felices Anglia circumquaque obtinuit, dum regis istius et patris Dunstani corporali præsentia potiri promeruit. Qui rex, cum vitæ suæ diem ultimum propinquum fore sentiret, Edwardo filio suo regni habenas reliquit. Successor ergo gloriosi patris gloriosus Edwardus a King Edward the martyr.
 sancto Dunstano institutus regnum quo tempore vixit strenuissime rexit. Verum, evolutis coronæ suæ pauculis annis, impia suæ novercæ fraude necatus, fratrem suum Ægelredum³ nomine filium ipsius malæ mulieris King Ethelred the Unready.
 regni quidem sed nullius probitatis hæredem sortitus est. Cui, quia per sanguinem fratris ad regnum aspiravit, St. Dunstan's prediction of ill.
 gravi invectione præfatus antistes comminatus est, quod ipse videlicet in sanguine victurus, quod barbarorum incursus atroci oppressione passurus, quod ipsum quoque regnum innumeris atque cruentis vastationibus conterendum foret edixit. Quæ prophetia viri Dei quam vera extiterit, et in chronicis qui legere volunt, et in nostris tribulationibus qui advertere sciunt, videre facillime possunt, ne dicam in iis quæ istius operis series per loca, veritate dictante, demonstrabit.

MS. p. 4.

¹ A. has "Incipit historia novorum in Anglia a venerabili Eadmero Cantuariensi monacho

"edita," the word "venerabili" being smudged over.

² Eadgaro] Edgare, A.

³ Ægelredum] Edelredum, A.

Troubles
upon St.
Dunstan's
death.

Translato igitur ad cœlestia beato Dunstano, evestigio, ut ipse prædixerat, barbarorum irruptioni Anglia patuit. Regis etenim desidia circumcirca innotuit et ideo exterorum cupiditas, opes Anglorum quam mortes affectans, hac et illac per mare terram invadere, et primo propinquas mari villas et urbes, deinde remotiores, ac demum totam provinciam miserabili depopulatione devastare. Quibus cum ille nimio pavore percussus non armis occurrere, sed data pecunia pacem ab eis petere non erubuisset, ipsi suscepto pretio in sua revertebantur, ut numero suorum adaucto ferociores redirent, ac præmia iteratæ irruptionis multiplicata recipere. Unde modo decem millia, modo sedecim millia, modo viginti quatuor millia, modo triginta millia librarum argenti consecuti sunt, omnia eis largiente præfato rege Ægelredo,¹ et gravi exactione totum regnum opprimente.

Archbishop
Elphege.
[A. D. 1005-
1012.]

His in-
effectual
patriotism.

Inter ista mala quartus a beato Dunstano Ælfegus MS. p. 5. Wentanus episcopus ecclesiam Cantuariensem regendam suscepit, vir strenuus et ab infantia sua sacræ religionis vita et habita decoratus. Hic igitur, consideratis innumeris malis quibus totum regnum in immensum devastabatur, inhorrui, et quibus poterat modis operam dare cœpit quemadmodum immanitati nefandorum hominum posset obviari. Quod ipsi percipientes, et ne consuetis quæstibus privarentur sibi ac suis providentes, in ipsum acerbo odio animati sunt. Unde vastata et conflagrata civitate Cantuaria, civibusque ejus lacrimabili per eos sorte damnatis, ecclesiam quoque Salvatoris in ea consistentem flamma consumpsit. Ipse pater interea furem manibus vinctus abducitur, trucidatis primo coram eo pene omnibus monachis qui sub ejus regimine in ipsa ecclesia Domino Christo famulabantur. Inde Ælfegus naucellæ injectus ad Grenewic vehitur, et crudeli custodiæ per septem men-

His cruel
death.
[April 19th,
1012.]

¹ Ægelredo] Edelredo, A.

ses mancipatus, dum malignantium iniquitati manus [A.D. 1012.] dare nullis minis victus adquiesceret, sævissima nece ab eis lapidatus occubuit. Hæc paucis commemoraverim, non historiam texens, sed quam veridico vaticinio pater Dunstanus mala Angliæ ventura prædixerit scire volentium intellectui pandens. Nec hic malorum finis extitit. Acta sunt enim post hæc et alia per Angliam ingentia mala, ac pluribus annis semper fuerunt¹ sibi ipsis in deterius aucta. Inter quæ monasteria quoque servorum et ancillarum Dei quæ usque in quadraginta octo numero tempore regis Eadgari² per patrem Dunstanum, cooperantibus sanctis Oswaldo videlicet Eboracensi et Athelwoldo pontifice Wintoniensi, nova surrexerant, magna ex parte diruta, et religio monachici ordinis in nihili pene redacta est. Transierunt in istis anni plures.

Further
disasters.

MS. P. 6.

Regnante autem³ Edwardo, quem ex sorore Ricardi comitis Normannorum, Imma nomine, præfatus rex Anglorum Ægelredus⁴ filium susceperat, monasteriorum quæ usque id temporis destructioni supererant plurima destructio facta est. Qua tempestate Godwinus Cantixæ comes magnus per Angliam terra marique habebatur. Hic, orto inter illum et regem gravi discidio, exul ab Anglia cum suis omnibus fore judicatus est. Ivit itaque ad comitem Balduinum in Flandriam, et Haroldus⁵ filius ejus in Hiberniam. Hinc, matre regis Imma defuncta, Godwinus et Haroldus⁵ in Angliam reversi sunt, numerosis uterque navibus et valida militum manu vallatus. Quod multi principum regis agnoscentes, et bellum hinc inde moveri horrescentes, ut pax utrinque fieret institerunt. At rex, Godwini versutias suspectui habens, restitit, nec paci adquiescere voluit, nisi primo quibus sibi securitas pararetur ob-

The reign of
Edward the
Confessor.

The exile of
earl God-
win and his
family.

The return
of Godwin
and Harold.

¹ fuerunt] sunt, A.

² Eadgari] Edgari, A.

³ autem] Correction in A

⁴ Ægelredus] Ædelredus, A.

⁵ Haroldus] Haraldus, A.

Wulnoth and Hacun sent to Normandy.

Harold succeeds his father as earl of Kent.

Harold goes to see his brother and nephew in Normandy.

sides haberet. Wulnothus¹ itaque filius Godwini et MS. p. 7.
 Hacun filius Suani filii sui obsides dantur, ac in Normanniam Willelmo comiti, filio scilicet Roberti filii Ricardi fratris matris suæ, custodiendi destinantur. Quibus gestis, Godwinus, utpote hostis ecclesiæ Cantuariensis, nam, seducto Edzino archiepiscopo, villam ipsius ecclesiæ nomine Følchestanum ei surripuit, mala morte post breve tempus interiit, et Haroldus² filius ejus comitatum Cantix patri succedens obtinuit. Is, elapso modico tempore, licentiam petivit a rege Normanniam ire et fratrem suum atque nepotem qui obsides tenebantur liberare, liberatos reducere. Cui rex, “Hoc,” inquit, “non fiet per me. Veruntamen, ne videar te velle impedire, permitto ut eas quo vis ac experiare quid possis. Præsentio tamen te in nihil aliud tendere, nisi in detrimentum totius Anglici regni, et opprobrium tui. Nec enim ita novitatem³ mentis expertem, ut eos aliquatenus velit concedere tibi, si non præscierit in hoc magnum proficuum sui.” Ascendit itaque Haroldus² navem, suam quam regis consilio credens, cum ditioribus et honestioribus hominibus suis auro et argento vesteque preciosa nobiliter instructis. Mare turbulentum navigantes exterritat, et navem undarum cumulus vehementer exagitat. Ejecta tandem cum omnibus quæ ferebat in Pontivum fluvium qui Maia vocatur, a domino terræ illius pro ritu loci captivitati addicitur, et homines in ea consistentes diligentiori custodiæ mancipantur. Con- MS. p. 8.
 strictus igitur⁴ Haroldus² quemlibet ex vulgo promissa mercede illectum clam ad comitem Normanniæ dirigit, exponere illi quid sibi contigerit. At ille festinato per nuncios mandat domino Pontivi Haroldum⁵ cum suis

¹ *Wulnothus*] Vulnothus, A.

² *Haroldus*] Haraldus, A.

³ *ita novi comitem*] On erasure in A.

⁴ *igitur*] Corrected from *itaque* in A.

⁵ *Haroldum*] Haraldum, A.

ab omni calumnia liberum sibi quantocius¹ mitti, si pristina amicitia² sua amodo vellet ex more potiri. Sed cum ille hominem dimittere nollet iterum in mandato accepit, se necessario Haroldum³ missurum, alioquin certissime sciret Willelmum Normanniæ ducem armatum pro eo Pontivum iturum. Mittit igitur virum cum sociis, primo tamen eis quæ meliora detulerant simul ablatis. Hinc ad Willelmum Haroldus⁴ veniens honorifice suscipitur. Et audito cur patriam exierit, bene quidem rem processuram, si in ipso non remaneret, Willelmus respondit. Tenuit ergo virum aliquot diebus circa se, et in mora illa more prudentis aperuit ei quod habebat in mente. Dicebat itaque regem Edwardum, quando secum juvene olim juvenis in Normannia demoraretur, sibi interposita fide sua pollicitum fuisse, quia si rex Angliæ foret jus regni in illum jure hæreditario post se transferret. Et subdens ait, “ Tu quoque si mihi te in hoc ipso adminiculaturum sponderis, et insuper castellum Dofris cum puteo aquæ ad opus meum te facturum, sororemque tuam quam uni de principibus meis dem in uxorem te ad me tempore quo nobis conveniet destinaturum, necne filiam meam te in conjugem accepturum fore promiseris; tunc et modo nepotem tuum, et cum in Angliam regnaturus venero fratrem tuum incolumem recipies. In quo regno si aliquando fuero tuo favore confirmatus, spondeo quia omne quod a me tibi rationabiliter concedi petieris obtinebis.” Sensit Haroldus⁴ in his periculum undique; nec intellexit qua evaderet, nisi in omnibus istis voluntati Willelmi adquiesceret. Adquievit itaque. At ille, ut omnia rata manerent, prolatis sanctorum reliquiis, ad hoc Haroldum³ perduxit, quatinus super illas jurando tes-

Harold's
compact
with duke
William.

MS. p. 9.

¹ *quantocius*] quantotius, MS.

² *amicitia*] amicia, MS. See

Preface.

³ *Haroldum*] Haraldum, A.

⁴ *Haroldus*] Haraldus, A.

Harold's
return to
England.

Harold's
succession
to the
crown.
Duke
William's
message to
Harold.

Harold's
alleged
reply.

The battle
of Hastings

taretur, se cuncta quæ convenerant inter eos opere completurum, nisi communi mortalibus sorte præsentis vitæ præriperetur. His ita gestis, Haroldus,¹ adeptus nepote, in patriam suam reversus est. Ubi vero quid acciderit, quid egerit, regi percunctanti narravit, "Nonne " dixi tibi," ait, " me Willelmum nosse, et in illo itinere tuo plurima mala huic regno contingere posse?" In brevi post hæc obit Edwardus, et juxta² quod ipse³ ante mortem statuerat in regnum ei successit Haroldus.¹ Dein venit nuncius in Angliam a præfato Willelmo directus, expetens sororem Haroldi, juxta quod convenerat Willelmo et illi. Alia etiam quæ violato MS. p. 10. sacramento servata non erant calumniatus est. Ad quæ Haroldus hoc modo fertur respondisse, "Soror mea, quam juxta conditum expetis, mortua est. " Quod si corpus ejus quale nunc est vult comes habere, mittam, ne judicer sacramentum violasse quod feci. Castellum Dofris et in eo puteum aquæ, licet nesciam cui, ut nobis convenit, explevi. Regnum quod necdum fuerat meum, quo jure potui dare vel promittere? Si de filia sua quam debui in uxorem, ut asserit, ducere agit, super regnum Angliæ mulierem extraneam inconsultis principibus me nec debere nec sine grandi injuria posse adducere noverit." Reversus nuncius responsa retulit domino suo. Quibus ille auditis iterum ei amica familiaritate mandavit, quatinus, aliis omissis, servata fidei sponsione, saltem filiam suam uxorem duceret, alioquin se promissam regni successionem armis sibi vindicaturum procul dubio sciret. At ipse nec illud quidem se facere velle, nec hoc formidare respondit. Unde Willelmus indignatus magna spe vincendi belli ex hac Haroldi injustitia est animatus. Parata igitur classe, Angliam petit; consertoque gravi proelio, Haroldus in acie cecidit, et Willel-

¹ Here A. and MS. have *Haroldus*.

² *et juxta*] On erasure in A.

³ *ipse*] ille, A.

MS. p. 11.

mus victor regnum obtinuit. De quo prælio testantur adhuc Franci qui interfuerunt, quoniam, licet varius casus hinc inde extiterit, tamen tanta strages ac fuga Normannorum fuit, ut victoria qua potiti sunt vere et absque dubio soli miraculo Dei ascribenda sit, qui puniendo per hanc iniquum perjurii scelus Haroldi, ostendit se non Deum esse volentem iniquitatem.

Rex itaque factus Willelmus, quid in principes Anglorum qui tantæ cladi superesse poterant fecerit, dicere, cum nihil prosit, omitto. Qui ex quo victoria usus est, quod fuit ii. Id.¹ Octobris, inunctus permanens, in Nativitate Domini unctus est in regem apud Westmonasterium a beatæ memoriæ Ealdredo archiepiscopo Eboracensi, et nonnullis episcopis Angliæ. Quam consecrationem, licet ipse rex et omnes alii optime nossent debere specialiter fieri et proprie a pontifice Cantuariensi, tamen quia multa mala et horrenda crimina prædicabantur de Stigando, qui eo tempore ibi pontifex erat, noluit eam ab ipso suscipere, ne maledictionem videretur induere pro benedictione.² Usus ergo atque leges quas patres sui et ipse in Normannia habere solebant in Anglia servare volens, de hujusmodi personis episcopos, abbates, et alios principes per totam terram instituit, de quibus indignum judicaretur si per omnia suis legibus, postposita omni alia consideratione, non obcederent, et si ullus eorum pro quavis terreni honoris potentia caput contra eum levare auderet, scientibus cunctis unde, qui, ad quid assumpti fuerint. Cuncta ergo divina simul et humana ejus nutum expectabant. Quæ cuncta ut paucis animadvertantur, quædam de iis quæ nova per Angliam servari constituit ponam, æstimans illa scitu esse necessaria ad cognitionem eorum quorum causa maxime istud scri-

William
anointed
king by
Eldred,
archbishop
of York.
(Christmas
Day, 1066.)

William's
bestowal of
civil and
ecclesiastical
patronage.

MS. p. 12.

¹ *ii. id.*] pridie idus, A.

² *benedictione*] Both A. and B. leave a short vacant space of the

value of some three or four letters after this word.

Four usages
in respect of
sacred per-
sons and in-
stitutions.

Analogous
secular
usages.

Lanfranc,
archbishop
of Canter-
bury.

His conse-
cration
[August
29th, 1070].

His journey
to Rome for
the pallium.

His recep-
tion by Alex-
ander II.

bendi onus suscepimus. Non ergo pati volebat quemquam in omni dominatione sua constitutum Romanæ urbis pontificem pro apostolico nisi se iubente recipere, aut ejus litteras si primitus sibi ostensæ non fuissent ullo pacto suscipere. Primatem quoque regni sui, archiepiscopum dico Cantuariensem seu Dorobernensem, si coacto generali episcoporum concilio præsideret, non sinebat quicquam statuere aut prohibere, nisi quæ suæ voluntati accommoda et a se primo essent ordinata. Nulli nihilominus episcoporum suorum concessum iri permittebat, ut aliquem de baronibus suis seu ministris, sive incestu, sive adulterio, sive aliquo capitali crimine denotatum publice nisi ejus præcepto implacitaret aut excommunicaret, aut ulla ecclesiastici rigoris poena constringeret. Quæ autem in sæcularibus promulgaverit ea re litterarum memoriæ tradere superse-
demus, quoniam et nihil ea nostri officii scribere refert, et ex divinis quæ, juxta quod delibavimus,¹ ordinavit, qualitas illorum, ut reor, adverti poterit. Ut itaque ceoptum peragamus iter, de his satis dictum.

In hujus regni anno quinto, Lanfrancus Cadomensis cœnobii abbas, vir strenus, et in divinis atque humanis rebus excellenti scientia præditus, Angliam ex præcepto domini papæ Alexandri et prædicti regis advenit, et paucis post tempore archiepiscopatum Cantuariensem regendum suscepit. Sacratuſ est autem in ipsa metropoli sede quarto Kal. Septembris a cunctis ferme episcopis Angliæ. Hic Romam pro debito sibi pallio iens, Thomam archiepiscopum Eboracensem, quem ipse, facta sibi de subjectione sua canonica professione, Cantuariæ consecraverat, et Remigium Lincolniensem episcopum comites itineris habuit. Qui Romam simul pervenientes urbane suscepti sunt honore singulis congruo. Post quæ, statuto die pater Lanfrancus apostolicæ sedis pontifici Alexandro præsentatur. Cui, quod Romanam

MS. p. 13.

¹ *delibavimus*] deliberavimus, A.

scientibus consuetudinem forte mirum videatur, ipse papa ad se intranti assurgens eum ut gressum figeret dulciter hortatus est. Ac deinde subdens, "Honorem," inquit, "exhibuimus, non quem archiepiscopatu tuo, " sed quem magistro cujus studio sumus in illis quæ " scimus imbuti, debuimus. Hinc quod ad te pertinet " ob reverentiam Beati Petri te exequi par est." Residente igitur illo, Lanfrancus progressus humiliat se ad pedes ejus, sed mox ab eo erigitur ad osculum ejus. Consident, et læte inter eos agitur dies ille. Sequenti luce, cum jam diversa negotia in medium ducerentur, calumniatus est coram papa memoratus Thomas cum præfato Remigio, quod neuter illorum jure fuerit promotus ad pontificatum. Primus ea scilicet re, quod sacri canones filios presbyterorum quos religionis ordo non ornat a sacrorum ordinum promotione removeant. Sequens vero pro eo quod, facta conventionione, illum a Willelmo, post rege facto, emerit, officio videlicet quo ei in excidium Angliæ properanti multifaria intentione ac multiplicibus impensis deservierat. Ad hæc illi, nullam qua excusari possent probabilem causam habentes, redditis baculis et anulis cum cura pontificali, ad petendam misericordiam conversi sunt. Quorum precibus sese Lanfrancus medium injiciens, sicut erat vir pietate ac sapientia pollens, eos multarum rerum scientia fultos, novo regi in novis regni dispositionibus pernecessarios, multis præstare oratoria facultate ostendit. Quibus auditis, pontifex summus conversus ad eum, "Tu videris," inquit. "Pater es patriæ illius, ac " per hoc industria tua consideret quid expediat. " Virgæ pastorales quas reddiderunt ecce hic sunt, accipe " illas atque dispensa prout utilius Christianitati regionis illius agnoscere poteris." At ille, susceptis eis, illico in præsentia papæ revestivit præfatos viros, quemque sua. Dein Lanfrancus, stola summi pontificatus a papa suscepta, in iter reversus Angliam cum sociis alacer advectus est. Et a Cantuaritis debita

Thomas,
archbishop
of York; and
Remigius,
bishop of
Lincoln.

MS. p. 14.

reverentia receptus primas totius Britanniae confirmatus est. Post hæc, evoluta brevi temporis spatio, fama nominis ejus et magnitudo prudentiæ quaque¹ insonuit, MS. p. 15. eumque apud hominum mentes clarum fecit atque spectabilem.

Archbishop
Lanfranc's
influence for
good.

Is inter alios, immo præ aliis, erat memorato regi Willelmo acceptus, et Dei rebus in cunctis non mediocri cura intentus. Quapropter magno semper operam dabat, et regem Deo devotum efficere, et religionem morum bonorum in cunctis ordinibus hominum per totum regnum renovare.² Nec privatus est desiderio suo. Multum enim illius instantia atque doctrina per totam terram illam religio aucta est, et ubique nova monasteriorum ædificia, sicut hodie apparet, constructa. Quorum ædificiorum constructoribus ipse primus exemplum præbens ecclesiam Christi Cantuariensem cum omnibus officinis quæ infra murum ipsius curiæ sunt, cum ipso muro ædificavit. Qua vero prudentia, et quo paternitatis officio monachos in eadem ecclesia consistentes a sæculari vita, in qua illos invenit plus æquo versari, erexerit, omnique sanctæ conversationis tramite imbuerit, ac multiplicato illorum numero, qua eos dum vixit benignitate confoverit, cui unquam ad plenum declarare possibile erit? Quos, ut interim alia taceam, quia sine penuria et sollicitudine Dei servitio semper intendere desiderabat, apud regem sua sagacitate et industria egit, quatinus fere omnes terras quas Normanni de jure ipsius ecclesiæ cum primo terram cepissent invaserant, et etiam quasdam alias quæ ante illorum introitum propter diversos casus perditæ MS. p. 16. fuerant, ipsi ecclesiæ redderet. Verum de his ac innumeris aliis bonis quibus insudando vitam consummavit, licet mihi quidem scribere opus non sit,

¹ *quaque*] *quaqua*, A.

² *totum regnum renovare*] On erasure in A.

propterea quod et opera ejus ita parent ut ipsa se evidentius scripto demonstrant, et ipsemet de rebus ecclesiasticis quæ suo tempore gesta sunt veracissimo et compendioso calamo scripserit, tamen præ dulcedine memoriæ ejus quæ prælibavimus paucis explicare gratum duximus.

Hic ergo Lanfrancus, cum Cantuariam primo venisset, et ecclesiam Salvatoris quam regere susceperat incendio atque ruinis pene nihili factam invenisset, mente consternatus est. Sed cum magnitudo mali illum cogeret desperare, rediit in se, animique fortitudine fretus, sua commoditate posthabita, domos ad opus¹ monachorum necessarias citato opere consummavit. Quibus ubi per plures annos usi sunt, adaucto eorum conventu, parvæ admodum visæ sunt. Destructis itaque illis, alias decore ac magnitudine prioribus multum præstantes ædificavit. Ædificavit et curiam sibi. Ecclesiam præterea quam spatio septem annorum a fundamentis ferme totam perfectam² reddidit, in cappis, casulis, dalmaticis, tunicis auro magnifice insignitis, palliis et aliis ornamentis multis ac preciosis nobiliter decoravit. Erga fratres autem ipsius ecclesiæ quam bonus, quam pius, quam beneficus extiterit, inde aliquantulum colligi³ potest, quod nec ex parentibus aut fratribus eorum sustinere poterat penuria ulla quemquam affligi. Et, quod magis forte mireris, in usum acceperat non expectare ut subvenire rogaretur, sed, misericordiæ visceribus plenus, modo huic modo illi ultro offerebat quod egentibus cognato per plurimum⁴ temporis auxilio esse valeret. In quo tamen semper ducebatur precipua discretione, considerato videlicet penes se merito ac necessitate cujusque. Ad hæc. Quidam ipsius cœnobii frater singulis annis triginta solidos denariorum ad

Lanfranc's benefactions to the monastery of Christchurch.

His architectural labours there.

His kindness and generosity.

MS. p. 17.

¹ *opus*] On erasure in A.

² *perfectam*] On erasure in A.

³ *colligi*] A correction in A.

⁴ *per plurimum*] perplurimum, MS.

opus matris suæ ab ipso patre solebat accipere. Huic quadam vice solidi quinque de illis, nam divise per temporum vices conferebantur, ex præcepto ejus dati sunt. Quos ipse in panno ligatos matri loquens in manum, sicut putabat, clanculo dedit. At ipsa, alias mente intenta, quid filius faceret non advertit, et ita nummis decidentibus divisi ab invicem sunt mater et filius. Post hæc mandavit mulier filio suo, scire volens quid de nummis actum fuerit quos sibi se daturum sponderat. Admiratus ille, fecit eam venire ad se. Et audiens rei eventum tristis effectus est, non tantum pro damno quod matri contigerat, sed ne hoc archiepiscopus sciens ob incuriam suam irritatus eum aliquatenus gratia sua privaret. Inter hæc pius pater pro more claustrum introiens sedit, ac fratrem a materno colloquio redeuntem mœstum intuens, remotis aliis, causam mœstitiæ ejus secreta perquiri. Audit, et, benignissimo vultu sicut jugiter erat circa afflictos, ita respondit, "Et inde," fili¹ carissime, contristaris? Denarios illos Deus alii prædestinavit et contulit, qui eis plus matre tua fortassis indiguit. Tace, et ne cuiquam inde loquaris diligenter attende. Ac, ne quod actum est animum tuum vel modicum gravet, solidos septem pro illis quinque ad utilitatem matris tuæ tibi hodie dari præcipiam. Sed ut dixi vide id nemo sciat." Ipsum quippe usum in dando habebat, ut danda hilariter daret, et nulli vel datum vel dantis personam cuivis revelare concederet. Et hæc quidem de ipsius matris ecclesiæ monachis dicta sint. Cæterum quis unquam pauper clamavit ad eum et despectus est? Quis peregrinorum de quocunque ordine hominum petiit opem ejus, et eam assecutus non est? Quæ congregatio monachorum seu clericorum ad ipsum aliquando misit subsidium petens, et copiam largitatis ejus ultra quam sperabatur

¹ *fili*] fili mi, A.

experta non est? Testis horum quæ dicimus, Italia, Gallia, Britannia est, quæ usque hodie mortem Lanfranci miserando suspirio plangit. Quid referam de abbacia Sancti Albani, quam intus et extra ad nihilum fere devolutam ipse ut suam, instituto ei bonæ memoriæ Paulo abbate, a fundamentis reædificavit, et intus magna religione, foris multarum rerum donatione, auxit, honestavit, ditavit? In episcopatu Rofensi non multo plures quam quatuor canonicos, et ipsos ærumnosam vitam agentes, sub Siwordo episcopo reperit. Qui episcopus ubi cum Ernosto, quem ei successorem Lanfrancus statuerat, præsentis vitæ sublatus est, monachus piæ recordationis, Gundulfus nomine, ab eodem ibi subrogatus episcopus est. Per hunc vetustam ecclesiam episcopatus cum fabrica adjacente subvertit, et nova quæque extruxit. Clericos qui illic, sicut diximus, vitam agebant, aut in eodem loco ad religionis culmen erexit; aut, datis aliis rebus de quibus abundantius solito victum et vestitum haberent, in alia loca mutavit. Sedem etenim episcopalem monachici ordinis cultu instituit, ac, delegatis terris et aliis quæ sustentationi illic servientium Deo competebant, divitem de paupere, sublimem de humili, sicut in præsentis habetur, effecit. Sed quod de pauperibus foras muros civitatis Cantuariæ fecit, prætermittendum mihi in hoc opere fore non arbitror. Extra aquilonalem denique portam urbis illius lapideam domum decentem et amplam construxit, et ei pro diversis necessitudinibus hominum et commoditatibus habitacula plura cum spatiosa curte adjecit. Hoc palatium in duo divisit, viros videlicet variis infirmitatum qualitatibus pressos uni, parti vero alteri feminas se male habentes¹ instituens. Ordinavit etiam eis de suo vestitum et victum quotidianum, ministros quoque atque custodes qui modis omnibus observarent ne aliquid eis deesset, neque viris ad feminas vel fe-

His architectural and other achievements at St. Albans;

at Rochester;

and at Canterbury.

MS. p. 19.

¹ *male habentes*] "malehabentes," MS.

minis ad viros accedendi facultas ulla adesset. Ex altera vero parte viæ ecclesiam in honorem Beati Gregorii papæ composuit, in qua canonicos posuit, qui regulariter viverent et præfatis infirmis quæ saluti animarum suarum congruerent cum sepultura ministrarent. Quibus etiam in terris, in decimis, et in aliis redditibus tanta largitus est, ut ad sustentationem eorum sufficientia esse viderentur. Remotius vero quam a boreali ab occidentali porta civitatis ligneas domos in devexo montis latere fabricans, eas ad opus leprosororum delegavit, viris in istis, quemadmodum in aliis, a feminarum societate sejunctis. His nihilominus pro qualitate sui morbi omnia quibus egerent de suis ministrari constituit, institutis ad hoc peragendum talibus viris de quorum sollertia, benignitate ac patientia, ut sibi quidem videbatur, nemini foret ambigendum. Super hæc, in villis ad pontificatum pertinentibus domos multas atque honestas, partim de lapide partim de ligno, sibi et successoribus suis ædificavit. Pro dignitate autem ecclesiæ Cantuariensis, quam quidam de episcopis, sed maxime Thomas archiepiscopus Eboracensis, ut novus Angliæ civis, nimium conatus est ad exaltationem suæ ecclesiæ humiliare, quantos labores perpessus sit, et quemadmodum ipsum Thomam ad mensuram antecessorum suorum humiliaverit, supervacaneum est atque dependens hic aliquid scribere. Ipse etenim inde¹ veritate plena et totius regni assensu confirmata sub testimonio regii sigilli scripta reliquit. Qui eo quidem magis in istis laboravit quod antiqua ipsius ecclesiæ privilegia in ea conflagratione quæ eandem ecclesiam tertio ante sui introitus annum consumpsit pene omnino² perierant.

Alias quoque consuetudines, quas priscis temporibus ecclesiæ Cantuariensi, ut liberrima in cunctis existeret,

His labours
for the
dignity of
the see of
Canterbury.

¹ *Ipse etenim inde*] On erasure and cramped in A.

² *omnino*] omnia, A., which has *consumpsit pene omnia* on erasure.

reges Angliæ sua munificentia contulerunt et stabiles in perpetuum manere sacratissima sanctione constituerunt, quorundam imprudentia perditas sua prudentia recuperavit. Odo siquidem episcopus Baiocensis,¹ ut de aliis taceam, frater prædicti regis Willelmi et Cantiaë comes, priusquam Lanfrancus Angliam intrasset magnus et præpotens² per totum regnum habebatur. Hic, dominatione qua in immensum sustollebatur, non modo terras, sed et libertatem nominatæ ecclesiæ, nullo ei resistente, multipliciter invaserat, oppresserat, tenebat. Quæ ubi Lanfrancus ut erant didicit, apud regem de illis egit sicut oportere sciebat. Unde præcepit rex quatinus, adunatis primoribus et probis viris non solum de comitatu Cantiaë, sed et de aliis comitatibus Angliæ, querelæ Lanfranci in medium ducerentur, examinarentur, determinarentur. Disposito itaque apud Pinnedene principum conventu, Goffridus episcopus Constantiensis, vir ea tempestate prædives in Anglia, vice regis Lanfranco justitiam de suis querelis facere jussus, strenuissime fecit. Lanfrancus enim valida ratione subnixus ex communi omnium astipulatione et iudicio ibi cuncta recuperavit quæ ostensa sunt antiquitus ad jura ecclesiæ Christi Cantuariensis pertinuisse, tam in terris quam in diversis consuetudinibus.

Item alio tempore idem Odo, permittente rege, placitum instituit contra sæpefatam ecclesiam et tutorem ejus patrem Lanfrancum, et illuc omnes quos peritiores legum et usum Anglici regni noverat gnarus adduxit. Cum igitur ad eventilationem causarum ventum esset, omnes qui tuendis ecclesiæ causis quaque convenerant in primo congressu ita convicti sunt, ut in quo eas tuerentur simul amitterent. Ipse namque Lanfrancus non intererat. Talibus enim, nisi necessitas summa

MS. p. 21.

Lanfranc thwarts the designs of bishop Odo on Canterbury.

He thwarts them a second time.

¹ *siquidem episcopus Baiocensis*] On erasure in A.; which had, apparently, *siquidem Baiocensis*.

² *prapotens*] prepotens, MS.

urgeret, ei interesse moris non erat. Ipsi ergo in camera lectioni divinæ occupato quid gestum fuerit nunciatur. At ille nil corde perterritus dicta adversariorum non recte processisse asseruit, et ideo cuncta in crastinum discutienda¹ induciari præcepit. Sequenti nocte adest in visu antistiti Beatus Dunstanus, monens MS. p. 22. ne illum multitudo conturbet, sed de præsentia sui securus placitum mane ipsemet hilaris intret. Quod et fecit. Suas itaque causas quodam exordio, quasi a rebus quæ tractatæ fuerant vel tractandæ penitus alieno, cunctis stupentibus, orsus, ita processit ut quæ super eum pridie dicta fuerunt sic devinceret et inania esse monstraret, ut donec vitæ præsentis superfuit nullus exurgeret qui inde contra eum os aperiret. De his ita.

Lanfranc
thwarts the
designs of
bishop Vau-
quelin on
the Win-
chester
monks.

Super hæc, suis quoque et eisdem ferme diebus omnes circiter qui ex clericali ordine per regem Willelmum in Anglia constituti pontifices erant monachos qui in nonnullis episcopatibus Angliæ ab antiquo vitam agebant inde eliminare moliti sunt, et regem ipsum in hoc sibi consentaneum effecerunt. In quo tantum se effectu potituros certi extiterant, ut Walchelinus episcopus adunatos pene quadraginta clericos canonicorum more tonsura ac veste redimitos haberet, quos, ejectis monachis, Wentanæ ecclesiæ cui præsidebat mox intromitteret. Sola mora hæc peragendi nondum requisita ab archiepiscopo Lanfranco licentia fuit. Ut autem eam dicto quoque citius impetraret nulla menti ejus dubitatio inerat. Sed aliter ac sibi mens sua sponderat exitus rei provenit. Nam ubi quid episcopus moliretur insonuit auribus ejus, illico facinus exhorruit, nec se dum viveret ut effectum quoquomodo talis voluntatis obtineret consensurum asseruit. Ita ergo et clerici qui succedere monachis fuerant per Walchelinum collecti in sua² dimissi sunt, et monachi qui cedere

¹ *discutienda*] Not in A.

| ² *in sua*] et in sua, A.

MS. p. 23.

clericis præiudicio quodam damnati erant, gratia Dei et instantia boni Lanfranci, pristinae conversationis¹ in sua ecclesia compotes effecti sunt. Nec ista pro sedandis quorundam animositatibus, quas ad dejectionem monachorum conceperant, sufficere poterant. Namque pari voto, simili conamine, uno consensu, concordi animo, pontifices quos religionis ordo non sibi astrinxerat eniti cœperunt, quatinus saltem de primatu Cantuariensi monachos eradicarent, intendentes se hoc facto facillime alios aliunde exclusuros. De illis etenim potioribus, sicut eis videbatur, rationibus ad id agendum fulciebantur, partim ob sublimitatem² primatis sedis, quæ dispositioni et correctioni ecclesiarum per suas personas quaque per Angliam invigilare habet; partim ob alias multiplices causas, quarum executio, iuxta quod ipsi confingebant, magis clericorum quam monachorum officium spectat. Deductus est in sententiam istam rex et alii principes regni, Lanfranco ut sui moris erat totis viribus obnitente, et omnium molimini ac invidiæ viriliter resistente. Ne tamen post obitum suum fieret quod se superstite sciebat per auxilium Dei nequaquam perficiendum, nesciens mortis suæ diem vel horam, egit sagacitate et industria qua pollebat, ut auctoritate³ Romanæ et apostolicæ sedis monachorum habitatio in eadem ecclesia confirmaretur, et inconvulsa dum sæculum duraret in perpetuum stabiliretur. Quod privilegio tali summus apostolicæ sedis antistes Alexander ita scripto roboravit.

He thwart s
a like design
on the
Christ-
church
monks

Alexander episcopus, servus servorum Dei, carissimo fratri in Christo Lanfranco, venerabili Cantuariorum archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

MS. p. 24.

Accepimus a quibusdam venientibus de vestris partibus ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quod quidam

¹ *conversationis*] On erasure, where there had been more, in A.

² *sublimitatem*] sullimitatem, MS. See Preface.

³ *industria . . . auctoritate*] On erasure in A.

⁴ *scripto*] scripto suo, A.

clerici, associato sibi terrenæ potestatis, laicorum videlicet, auxilio, diabolico spiritu repleti, moliuntur de ecclesia Sancti Salvatoris in Dorobernia, quæ est metropolis totius Britannia,¹ monachos expellere et clericos inibi statuere. Cui nefario operi molitionis suæ hoc adjicere conantur, ut in omni sede episcopali ordo monachorum extirpetur, quasi in eis non vigeat auctoritas religionis. Qua de re, zelo Dei compulsi, scrutinium de privilegiis ecclesiarum fieri præcepimus, et venit ad manus statutum prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorii majoris de ecclesiis Angliæ, quomodo scilicet præcepit Augustino gentis vestræ apostolo ut ejusdem ordinis viros, cujus et ipse noscitur esse, poneret in præfata sede metropolitana. Cujus præceptionis, inter alia, hæc subnexa sunt. “Quia tua,” inquit, “fraternitas monasterii regulis
 “ erudita in ecclesia Anglorum, quæ nuper, auctore Deo, ad
 “ fidem perducta est, hanc debet conversationem instituere,
 “ quæ in initio nascentis ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus
 “ nullus eorum ex iis quæ possidebant aliquid suum esse dice-
 “ bat, sed erant illis omnia communia. Quam communionis
 “ regulam ordini monachorum permaxime congruere nemo
 “ qui dubitat.” Hinc habetur epistola Bonifacii qui quartus
 a Beato Gregorio ecclesiæ Romanæ cui, auctore Deo, præsi-
 demus præfuit, quam Æthelberto regi Anglorum et Lau-
 rentio archiepiscopo prædecessori vestro misit, in qua, qui-
 busdam præmissis, hujusmodi censura anathematis usus est.
 “ Gloriose,” inquit, “fili, quod ab apostolica sede per coepi-
 scopum nostrum Mellitum postulastis, libenti animo con- MS. p. 25.
 “ cedimus; id est ut vestra benignitas in monasterio in
 “ Dorobernensi civitate constituto, quod sanctus doctor vester
 “ Augustinus beatæ memoriæ Gregorii discipulus Sancti
 “ Salvatoris nomini consecravit, cui ad præsens præesse di-
 “ noscitur dilectissimus frater noster Laurentius, licenter per
 “ omnia monachorum regulariter viventium habitationem
 “ statuatur, apostolica auctoritate decernentes, ut ipsi vestræ
 “ salutis prædicatores monachi monachorum gregem sibi as-
 “ socient, et eorum vitam sanctitatum moribus exornent.
 “ Quæ nostra decreta si quis successorum vestrorum, regum
 “ sive episcoporum, clericorum sive laicorum, irrita facere
 “ temptaverit, a principe apostolorum Petro et a cunctis
 “ successoribus suis anathematis vinculo subjaceat, quoadus-

¹ *Britannia*] *Brittaniæ*, A.

“ que quod temerario ausu peregit Deo placita satisfactione
 “ poeniteat, et hujus inquietudinis vestræ emendationem
 “ promittat.” Unde quia, ratione dictante, quieti ecclesia-
 rum utile esse perspeximus, præsens decretum supra nomina-
 torum patrum confirmamus, et vice apostolorum sub eodem
 anathemate eos constringimus quicumque huic obviare con-
 tenderint.

Quam vero secunda libertate et libera securitate quæ-
 que ad jura ecclesiæ Cantuariensis pertinentia potiri
 sæpefatus pater Lanfrancus intenderit, et ex iis quæ
 paucis designavimus, et ex epistola quam ecce subscri-
 bemus cuivis scire volenti patere satis erit. Quam
 epistolam de causis ecclesiasticis scriptam ea re max-
 ime placuit, aliis omissis, præsentis operi commiscere,
 quatinus ii qui scientia talium negotiorum non omnino
 expertes sunt ex consuetudinibus aliarum ecclesiarum
 animadvertant qua dignitate ipsam ecclesiam inter
 alias constet eminere. Epistola igitur ista est.

MS. p. 26.

Lanfrancus gratia Dei archiepiscopus dilectissimo fratri
 Stigando Cicestrensi episcopo, salutem.

Clerici villarum nostrarum qui in vestra diocesi existunt
 questi nobis sunt, quod vestri archidiaconi repertis occasio-
 nibus pecunias ab eis exquirunt, et a quibusdam jam accepe-
 runt. Meminisse debet fraternitas vestra, quia contra morem
 antecessorum nostrorum atque vestrorum vobis¹ concessimus,
 eisque imperavimus, quatinus ad vestras synodos irent, et ea
 quæ ad Christianæ religionis notitiam prodesse possunt sine
 interpellatione vel discussione aliqua a vobis audirent. Si-
 quæ in ipsis culpæ invenirentur, suspensa interim vindicta,
 ad nostrum examen servarentur, et nobis vel in miserando vel
 in ulciscendo sicut semper consuetudo fuit obnoxii teneren-
 tur. Mandamus itaque vobis ut male accepta sine dilatione
 reddi jubeatis, et ministris vestris ne ulterius id præsumant
 servandæ caritatis² studio prohibeatis. Nos vero presbyteris
 nostris qui extra Cantiam constituti sunt omnino præcepimus
 ne ad vestram vel ad alicujus³ episcopi synodum amplius

¹ *nostrorum . . . vobis*] On erasure, and cramped, in A. for admission of *vobis*. | ² *præsumant . . . caritatis*] On erasure in A. | ³ *ad alicujus*] *alicujus*, A.

cant, nec vobis nec aliquibus ministris vestris pro qualibet culpa respondeant. Nos enim, cum ad villas nostras venimus,¹ quales ipsi vel in moribus vel in sui ordinis scientia sint pastorali auctoritate vestigare debemus. Chrisma tantum a vobis accipiant, et ea quæ antiquitus instituta sunt in chrisomatis acceptione persolvant. Sicut namque ea quæ antiquitus usque ad nostra tempora antecessores nostri habuerunt sollerti vigilantia cupimus illibata servare,² ita aliis debita aliqua, quod absit, usurpatione nolumus denegare.

S. p. 27.

Conclusion
of the
panegyric.

Ad hæc qua sagacitate ; hoc enim paulo ante memoratum paucis replicare ab re non esse putavimus ; qua, inquam, sagacitate memorabilis pater Lanfrancus apud regem Willelmum egerit, ut per inspirationem gratiæ Dei ad hoc, eo imminente, perduceretur, ut quamplures terras nominatæ ecclesiæ Cantuariensi diversis causis ac violentiis hominum ablatas pro redemptione animæ suæ restitueret, et referre longum, et æstimavi non necessarium. Earundem enim terrarum et numerus et nomina eidem ecclesiæ notissima sunt, et redditus illarum ex quibus ii qui sub Deo ipsi loco deserviunt sustentantur, pro æterna ejus salute oculis justi Judicis die noctuque consideranda ab eisdem ipsis præsentantur. Quid itaque de aliis ipsius ecclesiæ terris quæ in eadem qua olim ablatæ sunt direptionis injuria permanent, successoribus tanti servorum Dei provisoris faciendum sit, fructus quem iste ex iis³ quæ restituit consecutus est docebit eos juxta quod sui curam habebunt. Re etenim vera et illas restituisset, si ultra quam vixit aliquanto tempore supervixisset. In hoc quippe illum gnara patris Lanfranci prudentia duxerat, et præfixo termino id se facturum sponponderat. Verum dum sponsionis suæ effectu potiri non meruit, quanto studio quis dum potest bonis insistere debeat, exemplo sui præmonuit. Hæc et hujusmodi quæ gloriosus pater Lanfrancus magnifice operatus est si quisquam uti

¹ *venimus*] *venerimus*, A.

² *servare*] *custodire*, A.

³ *iis*] *his*, A.

MS. p. 28.

sunt describere volet, copiosa materia est et ad opus grande sufficiens. Ego autem, quia probabili ac firma ratione sicut cœpi in alia ducor, tantum adhuc de eo breviter dico, ipsum re vera magnum et insuperabilem ecclesiæ Christi defensorem et pium totius Angliæ patrem, ac in quantum sibi licuit bonum pastorem cunctis in ea consistentibus dum vixit fuisse.

Per idem tempus erat quidam abbas Becci, nomine Anselmus, vir equidem bonus et scientia litterarum magnifice pollens; contemplativæ vitæ totus intendebat. Hic toti Normanniæ atque Franciæ pro suæ excellentis sanctitatis merito notus, carus et acceptus, magnæ famæ in Anglia quoque habebatur, ac regi præfato necne Lanfranco archiepiscopo sacratissima familiaritate copulabatur. Huic, cum nonnunquam pro diversis ecclesiæ suæ et aliorum negotiis ad curiam regis veniret, rex ipse, deposita feritate qua multis videbatur sævus et formidabilis, ita fiebat inclinus et affabilis, ut, ipso præsentē, omnino quam esse solebat stupentibus cunctis fieret alius. Hunc itaque et Lanfrancum videlicet viros divina simul et humana prudentia fultos præ se magni semper habebat, et eos in omnibus quæ sibi, quantum officii eorum referebat, agenda erant dulciori præ cæteris studio audiebat. Unde consilio¹ illorum ab animi sui severitate in quosdam plurimum et sæpe descendebat, et quatinus in sua dominatione ad observantiam religionis monasteria surgerent studiose operam dabat. Quæ religio ne nata deficeret, procurabat ecclesiarum pacem quæ tueri, et eis quæ in usus servientium Deo proficerent, in terris, in decimis, in aliis redditibus, ex suo largiri. Hac tamen benivolentia super ecclesias Normanniæ propensius respiciebat.

MS. p. 29.

Hic ergo Willelmus cum vicesimo primo regni sui anno infirmitate qua et mortuus est detentus apud

The Conqueror's respect for Lanfranco and for Anselm, abbot of Le Bec.

The Conqueror's last illness.

¹ *Unde consilio*] Unde et consilio, A.

Rotomagum fuisset, et se meritis ac intercessionibus Anselmi omnimodis commendare disposuisset, eum ad se de¹ Becco venire et non longe a se¹ fecit hospitari. Verum cum ei de salute animæ suæ loqui differret, eo quod infirmitatem suam paulum levigari sentiret, contigit ipsius patris corpus tanta invaliditudine deprimi, ut curiæ inquietudines nullo sustinere pacto valeret. Transito igitur Sequana, decubuit lecto in Ermentrudis villa, quæ est contra Rotomagum in altera fluminis parte. Quicquid tamen deliciarum regi infirmo deferebatur, ab eo illarum medietas Anselmo infirmanti mittebatur. Veruntamen nec eum amplius in hac vita videre, nec ei ut proposuerat quicquam de anima sua loqui promeruit. Tanta enim infirmitas occupavit utrumque, ut nec Anselmus ad regem Willelmum, nec Willelmus pervenire posset² ad abbatem Anselmum. Et quidem Willelmus ita mortuus est, non tamen, ut dicitur, inconfessus; atque Anselmus e vestigio est ab infirmitate relevatus, pristinæque saluti post modicum redonatus. Qui autem regio funere interfuerint, quave pompa corpus ejus Cadomum delatum sit, quamque libere, immo quam servili calumnia, in ecclesia Beati Stephani sepultum sit, et dictu lugendum et auditu fatemur esse miserendum.³ Quem enim conditio sortis humanæ non moveat ad pietatem, cum auditum fuerit regem istum qui tantæ potentiæ in vita sua extitit, ut in tota Anglia, in tota Normannia, in tota Cinomansensi patria, nemo contra imperium ejus manum movere auderet, mox ut in terram spiritum exhalaturus positus MS. p. 30. est, ab omni homine, sicut accepimus, uno solo duntaxat serviente excepto, derelictum, cadaver ejus sine omni pompa per Sequanam in naucella delatum, et

His tender regard for Anselm.

His death and sepulture.

¹ *ad se de and longe a se*] On erasure in A.; the latter to introduce *a se*.

² *pervenire posset*] posset pervenire, A.

³ *esse miserendum*] On erasure in A.

cum sepeliri deberet ipsam terram sepulturæ illius¹ a quodam rustico calumniatam, qui eam hæreditario jure reclamans conquestus est illam sibi jam olim ab eodem injuria fuisse ablatam? Quantus² autem mœror ex morte ipsius Lanfrancum perculerit quis dicere possit, quando nos qui circa illum, nuntiata morte illius, eramus, statim eum præ cordis angustia mori timeremus.

Defuncto itaque rege Willelmo, successit ei in regnum Willelmus filius ejus. Qui cum regni fastigia fratri suo Roberto præripere gestiret, et Lanfrancum, sine cujus assensu in regnum ascisci nullatenus poterat, sibi in hoc ad expletionem desiderii sui non omnino consentaneum inveniret, verens ne dilatio suæ consecrationis inferret ei dispendium cupiti honoris, cœpit tam per se quam et per omnes quos poterat fide sacramentoque Lanfranco promittere, justitiam misericordiam et æquitatem³ se per totum regnum si rex foret in omni negotio servaturum; pacem, libertatem et securitatem ecclesiarum contra omnes defensurum, necne præceptis atque consiliis ejus per omnia et in omnibus obtemperaturum. Sed cum post hæc in regno fuisset confirmatus, postposita pollicitatione sua, in contraria dilapsus est. Super quo cum a Lanfranco modeste redargueretur, et ei sponsio fidei non servatæ opponeretur, furore succensus, "Quis," ait, "est qui cuncta quæ promittit implere possit?" Ex hoc igitur rectis oculis super pontificem intendere non valebat,⁴ licet a nonnullis ad quæ illum voluntas sua trahebat, ipsius respectu, eo superstite temperaverit. Erat etenim idem Lanfrancus vir divinæ simul et humanæ legis peritissimus, atque ad nutum illius totius regni spectabat intuitus. Qui

The accession of William Rufus.

His pre-coronation promise to Lanfranc.

His violation of the promise.

MS. p. 31.

¹ *sepultura illius*] On erasure in A., for insertion for *illius*.

² *misericordiam et æquitatem*] æquitatem et misericordiam, A.

³ *rectis oculis . . . non valebat*] |

non rectis oculis . . . intendere valebat, A.

⁴ *idem Lanfrancus*] Lanfrancus idem, A.

His mis-
conduct on
Lanfranc's
death.

cum de hac vita translatus fuisset, quam gravis calamitas ex obitu illius ecclesias Angliæ devastaverit, multa prætermittendo, paucis ostendere placuit. Confestim enim rex foras expressit quod in suo pectore, illo vivente, confotum habuit. Nam mox, ut alia quæ perperam gessit omittam, ipsam totius Angliæ, Scottiæ¹ et Hiberniæ, necne adjacentium insularum matrem, ecclesiam scilicet Cantuariensem invasit, cuncta quæ juris illius erant intus et extra per clientes suos describi præcepit, taxatoque victu monachorum inibi Deo famulantium,² reliqua sub censum atque in suum dominium redigi jussit. Fecit ergo ecclesiam Christi venalem, jus in ea dominandi præ cæteris illi tribuens, qui ad detrimentum ejus in dando pretium alium superabat. Unde misera successione singulis annis pretium renovabatur. Nullam siquidem conventionem rex stabilem esse sinebat, sed qui plura promittebat excludebat minus dantem, nisi forte ad id quod posterior offerebat, prima conventionem vacuata, prior assurgeret. Videres insuper quotidie, spreta servorum Dei religione, quosque nefandissimos hominum regias pecunias exigentes per claustra monasterii torvo ac³ minaci vultu procedere, hinc inde⁴ præcipere, minas intentare, dominationem potentiamque suam in immensum ostentare. Qua de re quæ vel quot scandala, dissentiones, inordinationes ortæ sint, reminisci piget. Super hæc quidam ipsius ecclesiæ monachi, malis ingruentibus, MS. p. 32. dispersi ac missi sunt ad alia monasteria, et qui relictis multas passi tribulationes et impropria. Quid de hominibus ecclesiæ dicam, qui tam vasta miseria miseraque vastatione sunt attriti, ut dubitarem, si sequentia mala non essent, an salva vita illorum posset miserius atteri? Nec ista quæ dicimus in sola ecclesia Cantuariensi facta sunt. Desævit immanitas

¹ *Scottiæ*] Scotiæ, A.

² *famulantium*] servientium, A.

³ *ac*] et, A.

⁴ *hinc inde*] hincinde, A.

ista etiam in cunctis per Angliam constitutis fliabus ejus, quæ, viris suis, episcopis scilicet seu abbatibus, decidentibus, in viduitatem ea tempestate cadebant. Et quidem ipse primus hanc luctuosam oppressionem ecclesiis Dei induxit¹ nullatenus eam ex paterna traditione accipiens. Destructas² ergo ecclesias solus in dominio suo tenebat. Nam alium neminem præter se substituere volebat quamdiu per suos ministros aliquid quod cujusvis pretii duceret ab eis extrahere poterat. Itaque planum erat ubique miseriam videre. Duravit autem fere per quinque annos, ut de aliis taceam, super ecclesiam Cantuariensem hæc ipsa miseria, semper in pejus proficiens sibi que ipsi miserior deteriorque succrescens.

Quarto inter hæc anno Hugo comes Cestrensis, volens in sua quadam ecclesia monachorum abbatiam instituere, missis Beccum nunciis, rogavit abbatem Anselmum Angliam venire, locum inspicere, eumque per monachos suos regulari conversatione informare. Renuit ipse, nec venire voluit. Jam enim quodam quasi præsagio mentes quorundam tangebantur, et, licet clanculo, nonnulli adinvicem loquebantur, eum, si Angliam iret, archiepiscopum Cantuariensem fore. Quod quamvis omnino remotum esset a voluntate ejus, et firmitas propositi sui se nunquam hoc onus subituum certitudinem promitteret animo ejus, tamen, quia hoc non omnes intelligebant, providendo bona non tantum coram Deo sed etiam coram omnibus hominibus, Angliam intrare noluit, ne se hujus rei gratia intrasse quisquam suspicaretur. Contigit interea comitem ipsum acri languore gravari. Quod mox Anselmo mandans,³ magnopere precatus est quatinus, antiqua familiaritate considerata, ad consulendum animæ suæ sine

Hugh, earl of Chester, sends for Abbot Anselm, but in vain ;

A.D. 1092. falls ill and sends for him a second time, but in vain ;

MS. p. 33.

¹ *induxit*] *indixit*, A.

² *Destructas*] *Destitutas*, A.

³ *mox Anselmo mandans*] On erasure in A.

A.D. 1092. mora veniret. "Et si timor," inquit,¹ "suscipiendi
 "archiepiscopatus ne veniat eum detinet, fateor² in
 "fide mea quoniam id quod rumor inde jactat nihil
 "est, ac per hoc indecens ejus sanctitati esse sciat,
 "si nihilo tentus magnæ meæ necessitati subvenire
 "detretrat." Perstat ille in non veniendo, et comes
 æque permanet in requirendo. Tertio itaque mandat
 illi hæc, "Si non veneris, revera noveris quia nun-
 "quam in vita æterna in tanta requie eris, quin per-
 "petuo doleas te ad me non venisse." Quod ille
 audiens, "Angustia," ait, "mihi sunt undique. Si
 "Angliam ivero, vereor ne cui per hoc prava suspicio
 "surreat, et me causa consequendi archiepiscopatus
 "illuc ire existimet. Si non ivero, fraternæ caritatis
 "violator ero, quam quidem non solum amico verum
 "exhibere jubemur et inimico. Quæ denique si erga
 "inimicum violata peccatum est, erga amicum violata
 "quid est? Et certe amicus meus familiaris ab an-
 "tiquo comes Cestrensis Hugo fuit, qui mei nunc, ut
 "dicit, indiget. In necessitate probatur amicus. Si
 "ergo propter obliquam quam in me forsitan homines
 "habere possunt opinionem amico meo in sua neces- MS. p. 34.
 "sitate non succurro, meum certum pro dubio alio-
 "rum peccatum incurro. Commendans igitur me at-
 "que meam conscientiam ab omni terreni honoris
 "ambitione vacuam Deo, pergam respectu sancti amo-
 "ris ejus morem gerere amico meo. Cætera ipse Deus
 "agat, et me, salva gratia sua, ab omni sæcularis ne-
 "gotii impedimento pro sua misericordia immunem
 "custodiat." Exigebant etiam tunc temporis ecclesiæ
 suæ quædam valde necessariæ causæ ut Angliam per-
 geret, sed, præfato illum cohibente pavore, nullo pro
 eis pacto volebat iter arripere. Contigit interea ut

¹ In A. there is a mark at *inquit*, condemning it, no doubt, as out of place.

² *fateor*] A. has "fateor inquit."

comitissæ Idæ locuturus Bononiam iret. Ubi cum per dies aliquot necessario detentus moraretur, mandatum est illi a Beccensibus, ne, si peccato inobcedentiæ notari nollet, ultra monasterium repeteret, donec transito mari, suis in Anglia rebus subveniret. Profectus igitur mare transiit, et Dofris appulsus est. Inde citato gressu ad comitem venit, ipsumque ab infirmitate jam convaluisse invenit. Detentus est tamen in Anglia fere mensibus quinque, detinente eum non solum abbacia quam disponere venerat, sed et multiplicium ratione causarum quæ illius adventus causa non inferior, sicut diximus, erat. Sicque hujus temporis spatium transiit, ut de pontificatu Cantuariensi nihil ad eum vel de eo dictum actumve sit, ipseque sui periculi et antiqui timoris securus effectus fuerit. Post hæc in Normanniam regredi volens, negata a rege licentia, copiam id agendi habere non potuit.

A.D. 1092.

Detained for some months in England, he at last asks leave to go, but in vain.

Inter hæc cum gratia Dominicæ Nativitatis omnes regni primores ad curiam regis pro more venissent, contigit ut eorum optimi quique uno sensu¹ inter se de communi matre regni quererentur, quod viduata suo pastore tam diu et tam inaudita vexatione opprimere-
 tur. Hujusmodi ergo de hoc ab eis consilium sump-
 tum est, ut supplici prece dominum suum regem con-
 venirent, quatinus orationes, quod posteris mirum dictu
 fortasse videbitur, per ecclesias Angliæ fieri ad Deum²
 permitteret, ut ipse sua pietate regi inspiraret, quati-
 nus instituto illi digno pastore a tanta eam clade et
 alias per eam relevaret. Quod cum illi una suggestis-
 sent, ipse, licet nonnihil³ exinde indignatus, tamen
 fieri quod petebatur permisit, dicens quia, quicquid
 ecclesia peteret, ipse sine dubio pro nullo dimitteret
 quin faceret omne quod vellet. Hoc ita responso ac-
 cepto, episcopi ad quos ista maxime pertinebant An-

The Christ-
 mas court of
 1092.

MS. p. 36.

¹ *sensu*] consensu, A.

² *Deum*] Dominum, A.

³ *nonnihil*] non nichil, MS.

A.D. 1092. selmum super re ipsa consuluerunt, et quo¹ ipse orationis agendæ modum et summam ordinaret vix obtinere suis precibus ab eo potuerunt. Episcopis enim præferri in tali statuto² ipse abbas fugiebat. Coactus itaque, juxta quod magis ecclesiæ Dei expedire sciebatur, modum orandi cunctis audientibus edidit, et, laudato sensu ac perspicacia animi ejus, tota quæ convenerat nobilitas regni, soluta curia, in sua discessit. Institutæ igitur preces fiunt per Anglorum ecclesias omnes.

A.D. 1093. Hæc inter eventit, ut die quadam unus de principibus terræ cum rege familiariter agens, promeantibus verbis in hoc, ut fit, sic ei inter alia diceret, "Hominem tantæ sanctitatis nullum novimus, quantæ est, ut³ vere probamus, Beccensis abbas⁴ Anselmus. Nil etenim amat præter Deum; nil, ut in omni studio ejus claret, cupit transitorium." Ad quod rex subsannans, "Non," inquit, "nec archiepiscopatum Cantuariensem." Cui cum alter referret, "Nec illum MS. p. 36. quidem quam maxime, sicut mea multorumque fert opinio," obtestatus est rex quod manibus ac pedibus plaudens in amplexum ejus accurreret, si ullam fiduciam haberet se ad eum posse ullatenus aspirare. Et adjecit, "Sed, per Sanctum Vultum de Luca," sic enim jurare consueverat, "nec ipse hoc tempore, nec alius quis archiepiscopus erit, me excepto." Hæc illum dicentem e vestigio valida infirmitas corripuit et lecto deposuit, atque in dies crescendo ferme usque ad exhalationem⁵ spiritus egit. Quid plura? Omnes totius regni principes coeunt, episcopi, abbates, et quique nobiles, nihil præter mortem ejus præstolantes. Suggestitur ægro de salute animæ suæ cogitare, carceres aperire, captivos dimittere, vinculatos solvere,

Sudden and alarming illness of the king.

¹ *Anselmum . . . quo*] On erasure in A., for admission of *super re ipsa*.

² *in tali statuto*] On erasure in A.

³ *quantæ est ut*] Crowded in on erasure in A.

⁴ *Beccensis abbas*] abbas Beccensis, A.

⁵ *exhalationem*] exalationem, A.

repetendarum pecuniarum debita perdonare, ecclesias suo eatenus dominio servituti subactas, locatis pastoribus, libertati restituere; præcipueque ecclesiam Cantuariensem, "cujus oppressionem," inquit, "totius in Anglia Christianitatis constat esse detestandam dejectionem." Hac tempestate Anselmus, inscius horum, morabatur in quadam villa non longe a Glocestria ubi rex infirmabatur. Mandatum ergo illi est, quatinus sub omni festinatione ad regem veniat, ejusque¹ obitum sui præsentia tueatur et muniat. Accelerat ipse venire, audito tali nuncio, et venit. Ingreditur ad regem; rogatur quid consilii salubrius morientis animæ judicet. Exponi sibi primo postulat, quid, se absente, ab assistentibus ægro consultum sit.² Audit, probat, et addit, "Scriptum est, 'Incipite Domino in confessione.' Unde videtur mihi ut primo de omnibus quæ se contra Deum fecisse cognoscit puram confessionem faciat, et se omnia si convaluerit emendatum sine fictione promittat, ac deinde quæ consulum istis absque dilatione fieri jubeat." Laudatur hæc consilii summa, sibi que hujus confessionis suscipiendæ injungitur cura. Refertur ad notitiam regis quid salutis animæ illius magis expedire Anselmus dixerit. Nec mora. Adquiescit ipse, et, corde compunctus, cuncta quæ viri sententia tulit se facturum, necne totam vitam suam in mansuetudine et justitia amplius servaturum pollicetur. Spondet in hoc fidem suam, et vades inter se et Deum facit episcopos suos, mittens qui hoc votum suum Deo super altare sua vice promittant. Scribitur edictum regioque sigillo firmatur, quatinus captivi quicumque sunt in omni dominatione sua relaxentur, omnia debita irrevocabiliter remittantur, omnes offensiones antehac perpetratæ indulta remissione perpetuæ oblivioni tradantur. Promittuntur

A.D. 1093.

Anselm is summoned to Gloucester.

March 6th, 1093.

MS. p. 37.

The king's repentance and good promises.

¹ *ejusque*] et ejus, A.² *ægro consultum sit*] On erasure, and in margin, in A.

March 6th, 1093. insuper omni populo bonæ et sanctæ leges, inviolabilis observatio juris, injuriarum gravis et quæ deterreat¹ cæteros examinatio. Gaudetur a cunctis, benedicitur Deus in istis, obnixè oratur pro salute talis ac tanti regis.

The king names Anselm Archbishop of Canterbury.

Alarm and refusal of Anselm.

The bishops remonstrate with him.

Anselm rejects their remonstrances.

Interea regi a bonis quibusque suadetur, quatinus communem totius regni matrem instituendo illi pastorem solvat a pristina viduitate. Consentit libens, ac in hoc animum suum versari fatetur. Quæritur itaque, quis hoc honore fungi dignius posset. Sed, cunctis ad nutum regis pendentibus, prænuñciavit ipse, et concordî voce subsequitur acclamatio omnium, abbatem Anselmum tali honore dignissimum. Expavit Anselmus ad vocem,² et expalluit. Cumque raperetur ad regem, ut per virgam pastoralem investituram archiepiscopatus de manu ejus susciperet, toto conamine restitit, idque multis obsistentibus causis nullatenus fieri posse asseruit. Accipiunt igitur eum episcopi et ducunt seorsum de multitudine, hæc ei verba dicentes, " Quid agis? Quid intendis? Quid contraire Deo niteris? Vides omnem Christianitatem in Anglia fere perisse, omnia in confusionem venisse, omnes abominationes quaquaversum emersisse, nos ipsos et quos regere deberemus ecclesias Dei in periculum mortis æternæ per tyrannidem istius hominis decidisse, et tu cum possis subvenire contemnis? Quid O mirabilis homo cogitas? Quo fugit sensus tuus? Ecclesia Cantuariensis, in cujus oppressione omnes oppressi sumus et destructi, te vocat, te sublevato rem sui et nostri anxia quæritat; et tu, postposita libertate ejus, postposita nihilominus relevatione nostra, fraterni laboris participium abjicis, tui solius otiosam quietem appetis?" Ad hæc ille, " Sustinete," inquit, " quæso sustinete, et intendite. Fateor

MS. p. 38.

¹ *deterreat*] A. has *exterreat*, | ² *ad vocem*] ad hanc vocem, A. corrected in margin to *deterreat*.

“ verum est; tribulationes multæ sunt, et ope indi- Mareh 6th,
1083.
 “ gent. Sed considerate, obsecro. Ego jam grandævus
 “ sum, et omnis terreni laboris impatiens. Qui ergo
 “ pro meipso laborare nequeo, qualiter laborem totius
 “ ecclesiæ per Angliam constitutæ suscipere queo?
 “ Ad hæc, sicut mea mihi conscientia testis est, ex
 “ quo monachus fui sæcularia negotia fugi, nec un-
 “ quam eis ex voto intendere potui, quia nihil in
 MS. p. 39. “ eis esse constat quod me in amorem aut delecta-
 “ tionem sui flectere queat. Quare sinite me pacem
 “ habere, et negotio quod nunquam amavi, ne non
 “ expediat, implicare nolite.” “Tu tantum,” inquit, They renew
their en-
deavours.
 “ primatum ecclesiæ nihil hæsitans suscipe, et i præ
 “ in via Dei, dicendo et præcipiendo quod faciamus,
 “ et ecce tibi manus dabimus quia sequendo et ob-
 “ temperando quæ jusseris non deficiemus. Tu Deo
 “ pro nobis intende, et nos sæcularia tua disponemus
 “ pro te.” “Impossibile est,” ait, “quod dicitis. Ab- He remains
obstinate.
 “ bas sum monasterii alterius regni,¹ archiepiscopum
 “ habens cui obœdientiam, terrenum principem cui
 “ subjectionem, monachos quibus debeo consilii atque
 “ auxilii summistrationem. His omnibus ita sum
 “ astrictus, ut nec monachos deserere possim sine il-
 “ lorum concessione, nec me a dominatu principis mei
 “ valeam exuere sine ejus permissione, nec obœdien-
 “ tiam pontificis me subterfugere queam cum salute
 “ animæ meæ absque ipsius absolute.” “De his They make
light of his
refusal.
 “ omnibus,” aiunt, “leve consilium, et facilis erit as-
 “ sensus omnium.” Ait ille, “Nihil est; omnino non He persists
in it.
 “ erit quod intenditis.” Rapiunt igitur hominem ad They drag
him to the
king, who
implores
him to
yield.
 regem ægrotum, et pervaciam ejus exponunt. Con-
 tristatus est rex pene ad suffusionem oculorum, et
 dixit ad eum, “O Anselme, quid agis? Cur me pœnis
 “ æternis cruciandum tradis? Recordare, quæso, fide-
 “ lis amicitia quam pater meus et mater mea erga

¹ *alterius regni*] regni alterius, A.

March 6th, 1093. "te, et tu semper habuisti erga eos;¹ et per ipsam
 "obsecro ne patiaris me filium eorum² in corpore et
 "anima simul perire. Certus enim sum³ quia peribo,
 "si archiepiscopatum in meo dominio tenens vitam
 "finiero. Succurre igitur mihi, succurre, domine pa-
 "ter; et suscipe pontificatum, pro cujus retentione
 "nimis confundor, et vereor ne in æternum plus con- MS. p. 40.
 "fundar." Compuncti sunt ex his verbis quique as-
 "sistentium, et Anselmum se excusantem, et tantum
 "onus nec tunc quidem subire volentem invadunt, talia
 "cum quadam indignatione et conturbatione ipsi inge-
 "rentes, "Quæ dementia occupavit mentem tuam? Re-
 "gem turbas, turbatum penitus necas, quandoquidem
 "illum jam morientem obstinatio tua exacerbare non
 "formidas. Nunc igitur scias quia omnes perturba-
 "tiones, omnes oppressiones, omnia crimina quæ de-
 "inceps Angliam prement tibi imputabuntur, si tu
 "hodie per susceptionem curæ pastoralis eis non ob-
 "viaveris." Inter has angustias positus, Anselmus
 "vertit se ad duos monachos qui secum erant, Baldu-
 "inum⁴ videlicet et Eustachium, dixitque illis, "Ah,
 "fratres mei, cur mihi non subvenitis?" Dixit hoc,
 "ecce, coram Deo, quia non mentior, in tanta, sicut
 "affirmare solebat, anxietate constitutus, ut, si ei tunc
 "optio daretur, multo lætius, salva reverentia volunta-
 "tis Dei, mori eligeret, quam archiepiscopatus digni-
 "tate sublimari. Respondit itaque Balduinus,⁵ "Si volun-
 "tas Dei est ut ita fiat, nos qui sumus qui voluntati
 "Dei contradicamus?" Quæ verba lacrimæ, et lacri-
 "mas sanguis ubertim mox e naribus illius profluens
 "secutus est, palam cunctis ostendens ex qua cordis
 "contritione cum lacrimis verba prodierint. Audito

The bishops
resort to
chides and
menaces.

Anselm
craves help
of his
friends, but
in vain.

¹ *habuisti erga eos*] erga eos
habuisti, A.

² *me filium eorum*] filium eorum
me, A.

³ *enim sum*] sum enim, A.

⁴ *Balduinum*] Balduinum, A.

⁵ *Balduinus*] Baldwinus, A.

MS. p. 41.

hujuscemodi responso Anselmus, "Væ, quam cito," inquit, "baculus tuus confractus est." Sentiens ergo rex quod incassum labor omnium expendebatur, præcepit ut omnes ei ad pedes caderent, si forte vel ita ad consentiendum illiciti posset. Sed quid? Cadentibus illis, cecidit et ipse¹ coram eis nec a prima sententia sua cadere voluit. At illi animati in eum, seque ipsos pro mora quam objectionibus ipsius intendendo passi sunt² ignaviæ redarguentes, "Virgam huc "pastoralem, virgam," clamitant, "pastoralem." Et, arrepto brachio ejus dextro, alii renitentem trahere, alii impellere, lectoque jacentis cœperunt applicare. Rege autem ei baculum porrigente, manum contra clausit, et eum suscipere nequaquam consensit. Episcopi vero digitos ejus strictim volæ infixos erigere conati sunt, quo vel sic manui ejus baculus ingereretur. Verum cum in hoc conatum suum aliquandiu frustra³ expendere, et ipse pro sua quam patiebatur læsione verba dolentis ederet, tandem, indice levato sed protinus ab eo reflexo, clausæ manui ejus baculus appositus est, et episcoporum manibus cum eadem manu compressus atque retentus. Acclamante autem multitudine, "Vivat episcopus, vivat," episcopi cum clero sublimi voce hymnum, "Te Deum laudamus," decantare cœpere, electumque pontificem portaverunt potius quam duxerunt in vicinam ecclesiam, ipso modis quibus poterat resistente atque dicente, "Nihil est "quod facitis; nihil est quod facitis." Gestis vero quæ in tali causa geri in ecclesia mos est, revertitur Anselmus ad regem, dicens illi, "Dico tibi, domine "rex, quia ex hac tua infirmitate non morieris, ac "per hoc volo noveris quoniam bene corrigere poteris "quod de me nunc actum est, quia nec concessi nec

March 6th 1093.

The king bids the bishops fall at his feet. They do so, but to no purpose.

They call for the crosier.

The king offers, and he refuses

The bishops try to force him to take it, but fail.

They carry him and it into the church.

Returning to the king he declares that he has neither consented nor consents.

¹ *et ipse*] ipse, A.

² *ipsius . . . sunt*] On erasure in

³ *frustra*] A subsequent insertion in margin in A.

A.

March 6th,
1098.

He leaves
the room
and tells
the bishops
what will
happen if
they persist
in their
resolution,

“ concedo ut ratum sit.” His dictis, reflexo gressu
discessit ab eo. Deducentibus autem eum episcopis
cum tota regni nobilitate, cubiculo excessit. Conver-
susque ad eos in hæc verba sciscitatus est, “ Intelligi-
tis quid molimini? Indomitum taurum et vetulam
ac debilem ovem in aratro conjungere sub uno jugo
disponitis. Et quid inde proveniet? Indomabilis
utique feritas tauri sic ovem lanæ, lactis¹ et agno-
rum fertilem per spinas ac² tribulos hac et illac
raptam, si jugo se non excusserit, dilacerabit, ut
nec ipsa sibi nec alicui, dum nihil horum ministrare
valebit, utilis existat. Quid ita? Inconsiderate
ovem tauro copulastis. Aratrum ecclesiam perpen-
dite juxta apostolum dicentem, ‘ Dei agricultura³ estis,
‘ Dei ædificatio estis.’ Hoc aratrum in Anglia duo
boves cæteris præcellentes regendo trahunt et tra-
hendo regunt, rex videlicet et archiepiscopus Can-
tuariensis. Iste sæculari justitia et imperio, ille
divina doctrina et magisterio. Horum boum unus,
scilicet Lanfrancus archiepiscopus, mortuus est, et
alius ferocitatem indomabilis tauri obtinens jam
juvenis aratro prælatus; et vos loco mortui bovis
me vetulam ac debilem ovem cum indomito tauro
conjungere vultis? Quæ dico satis intelligitis; et
ea re quid cui velitis associare vellem considera-
retis,⁴ considerantes ab incepto⁵ desisteretis. Quod
si non desistitis; en prædico vobis quia me, de quo
lanam et lac verbi Dei et agnos in servitium ejus
nonnulli possent habere, extra quam modo putetis
regia feritas, diversis a se fatigatum injuriis, oppri-
met, et gaudium, quod nunc de me quasi pro re-
levationis vestræ spe vos tenet, multos, cum nil

¹ *lanæ, lactis*] lanæ et lactis, A.

² *ac*] et, A.

³ *Dei a. e. D. æ. estis*] This had
been *Dei agricultura estis* in A.
By erasure and by employment of

the margin the longer quotation is
given.

⁴ *consideraretis*] On erasure in A.

⁵ *incepto*] incepto, MS.

“ consueti consilii aut sperati auxilii per me habere
 “ potuerint, versum in mœstitiam dolentes efficiet. March 6th
1083.
 MS. p. 43. “ Eoque proficietis ut ecclesiam, quam relevare a vi-
 “ duitate tantopere satagitis, relabi in viduitatem,
 “ etiam vivente pastore suo, quod pejus est, quando-
 “ que cernatis. Et hæc mala quibus imputabuntur
 “ nisi vobis, qui tam inconsiderate regis feritatem et
 “ meam imbecillitatem conjunxistis? Cum igitur, me
 “ oppresso, nullus ex vobis fuerit qui ei in aliquo
 “ audeat obviare, vos quoque procul dubio pro libitu
 “ suo non dubitabit undique conculcare.” Hæc dicens,
 ac erumpentibus lacrimis dolorem cordis dissimulare¹
 non valens, ad hospitium suum, dimissa curia, vadit.
 Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo
 nonagesimo tertio, pridie Nonas Martii, prima Domi-
 nica quadragesimæ. Præcepit itaque rex ut sine dila- The king
gives further
orders in
the busi-
ness.
 tione ac diminutione investiretur de omnibus ad archi-
 episcopatum pertinentibus intus et extra, atque ut
 civitas Cantuaria, quam Lanfrancus suo tempore in
 beneficio a rege tenebat, et abbatia Sancti Albani,
 quam non solum Lanfrancus sed et antecessores ejus
 habuisse noscuntur, in alodium ecclesiæ Christi Can-
 tuariensis pro redemptione animæ suæ perpetuo jure
 transirent.
 Anselmus autem post hæc in villis ad archiepisco- Anselm is
lodged in
the archi-
episcopal
manors.
 patum pertinentibus ex præcepto regis morabatur,
 conversante secum ac victui suo exinde necessaria
 quæque procurante venerabili Gundulfo, Rofensi epi-
 scopo.
 Interea missi sunt a rege nuncii cum litteris in Nor- The king
sends letters
to the duke
of Nor-
mandy, the
archbishop
of Rouen,
and the
monks of
Le Bec.
 manniam ad comitem, ad pontificem Rotomagensem,
 ad monachos Beccenses, quatinus iis quæ in Anglia de
 abbate Beccensi gesta fuerant singuli, quantum sua
 intererat, assensum præberent. Sed quid? Plurima in
 MS. p. 44. hunc modum acta nihili apud eos profecerunt. Tan-

¹ *dissimulare*] *simulare*, A.

These all at last resign Anselm, and bid him yield.

dem tamen importuna ratione ac rationabili importunitate, Deo disponente, devicti, quæ de Anselmo cœpta erant perfici concesserunt, et ne onus impositum subterfugeret ei per obœdientiam injunxerunt. Unde et litteræ a singulis singulæ scriptæ sunt, quæ in uno eodemque concordantes per nuncios Anselmo et regi sunt transmissæ. De quibus omnibus unas huic opusculo inseram, quatinus in ipsis et aliarum sensus eluceat. Sint igitur hæc.

“Frater Guilielmus archiepiscopus suo domino et amico Anselmo, Dei benedictione et nostram.

De iis quæ de vobis a me rex quæsivit, et de quibus ipse mihi scripsistis, sicuti de tanta re decuit hucusque diu multumque pertractavi, et amicorum meorum ac vestrorum super hoc consilium quæsivi. Qui utrimque voluissent, si possibile fuisset, et vestram semper ut olim habere præsentiam, et non facere unde offenderent voluntatem divinam.¹ Sed quia ad hoc res venit, ut utrumque impleri nequeat; sicut dignum est, divinam voluntatem nostræ præponimus, et nostram voluntatem divinæ subijcimus, atque ex parte Dei et Sancti Petri omniumque amicorum meorum ac vestrorum qui secundum Deum vos diligunt, jubeo ut pastoralementem curam Cantuariensis ecclesiæ, et ecclesiastico more benedictionem episcopalem suscipiatis, oviumque vestrarum vobis, ut credimus, divinitus commissarum salutem deinceps invigiletis. Valet viscera mea.”

Their letters reach first Anselm, then the king.

Istæ litteræ cum aliis Anselmo directis prius ipsi quam regi suæ sunt allatæ.

The king, restored to health, relapses into his evil ways.

Inter hæc, juxta quod Anselmus prædixerat, rex ab infirmitate convaluit. Mox igitur cuncta quæ infirmus statuerat bona dissolvit, et irrita esse præcepit. Captivi nempe qui nondum fuerant dimissi jussit² ut arctius³ solito custodirentur, dimissi si capi possent recluderentur, antiqua jamque donata debita in integrum exigerentur, placita et offensiones in pristinum statum revocarentur, illorumque judicio qui justitiam subvertere magis quam tueri defendere curabant tractaren-

¹ voluntatem divinam] divinam | ² dimissi jussit] On erasure in A. voluntatem, A. | ³ arctius] artius, MS

tur et examinarentur, ad miserorum utique oppressionem et pecuniæ direptionem¹ potius quam ad alicujus peccati correctionem. Orta est ergo tam vasta miseria miseraque vastatio per totum regnum, ut qui illius recordatur parem se ei ante hanc vidisse in Anglia, sicut æstimo, non recordetur. Siquidem omne malum quod rex fecerat priusquam fuerit infirmatus bonum visum est comparatione malorum quæ fecit ubi est sanitati redonatus. Quæ siqui scire velint de quo fonte manaverint, ex eo perpendere possunt, quod ipse prædicto Rofensi episcopo, cum illum, recuperata sanitate, familiari affatu moneret ut se amplius circumspicere secundum Deum in omnibus haberet, respondit, "Scias, " O episcopo, quia, per Sanctum Vultum de Luca, nunquam me Deus bonum habebit pro malo quod mihi² intulerit." Hæc de rege ad præsens succinte memorasse sufficiat, jamque ad destinatum narrandi ordinem sermo recurat.

An impious speech of the king's to bishop Gundulf.

Cum igitur Anselmus, secundum quod prælibavimus, litteras a Normannia destinatas suscepisset, et rex de Dofris a colloquio Roberti comitis Flandriæ Rovecestram, ubi tunc ipse Anselmus erat, venisset, in secretum locum Anselmus regem tulit eumque taliter allocutus est, "In utroque dubius pendet adhuc, domine mi rex, animus meus, utrum videlicet adquiescam pontificatum suscipere, annon. Verum si me ad susceptionem illius ratio perduxerit, volo brevi prænoscas quid velim mihi facias. Volo equidem ut omnes terras quas ecclesia Cantuariensis, ad quam regendam electus sum, tempore beatæ memoriæ Lanfranci archiepiscopi tenebat, sine omni placito et controversia ipsi ecclesiæ restituas, et de aliis terris quas eadem ecclesia ante suum tempus habebat, sed perditas nondum recuperavit, mihi rectitudinem iudiciumque

Anselm has an interview with the king at Rochester, and makes an important statement to him. [? July 1093.]

MS. p. 46.

¹ *direptionem*] *dereptionem*, A. | has *pro malo mihi*. The proper
² *pro malo quod mihi*] The MS. | reading is supplied from A.

A.D. 1093. " consentias. Ad hæc, volo ut in iis quæ ad Deum et
 " Christianitatem pertinent te meo præ cæteris consilio
 " credas, ac, sicut ego te volo terrenum habere domi-
 " num et defensorem, ita et tu me spirituales habeas
 " patrem et animæ tuæ provisorem. De Romano quo-
 " que pontifice Urbano, quem pro apostolico hucusque
 " non recepisti, et ego jam recepi atque recipio eique
 " debitam obœdientiam et subjectionem exhibere volo,
 " cautum te facio, nequid¹ scandalum inde oriatur in
 " futuro. De his, quæso, tuæ voluntatis sententiam
 " edicito, ut, ea cognita, certior fiam quo me vertam."
 Rex itaque, vocato ad se Willelmo Dunelmensi epi-
 scopo, et Roberto comite de Mellentio, jussit ut eis
 præsentibus quæ dixerat iteraret. Fecit ille imperata,
 et rex sibi per consilium ita respondit, " Terras de
 " quibus ecclesia saisita quidem fuerat sub Lanfranco,
 " omnes eo quo tunc erant tibi modo restituam; sed
 " de illis quas sub ipso non habebat in præsentem nul-
 " lum tecum conventionem instituo; veruntamen de
 " his et aliis credam tibi sicut debebo." Finierat rex
 in istis, et ab invicem discesserunt.

The king's
 reply to
 Anselm.

The king
 begs Anselm
 to consent
 to the
 election and
 to relinquish
 some church
 lands.

Deinde, paucis diebus interpositis, rex ipse consen-
 sum quem a Normannis super Anselmo, juxta quod MS. p. 47.
 præfati sumus, expetierat, per epistolas accepit. Et
 veniens in villam suam quæ Windlesora vocatur,
 Anselmum per se suosque convenit, quatinus et se-
 cundum totius regni de eo factam electionem pontifex
 fieri ultra non negaret, et terras ecclesiæ quas ipse
 rex, defuncto Lanfranco, suis dederat, pro statuto ser-
 vitio illis ipsis hæreditario jure tenendas, causa sui
 amoris condonaret. Sed Anselmus, nolens ecclesiam
 quam necdum re aliqua investierat expoliare, terras
 ut petebatur nullo voluit pacto concedere; et, ob hoc
 orto inter eum et regem discidio, quod primum quo-
 que de pontificatu ejus agebatur indefinitum remansit.

¹ nequid] ne quod, A.

Unde Anselmus oppido lætatus est, sperans se hac occasione a prælationis onere per Dei gratiam exonerandum. Jam enim cum virga pastorali curam quam super Beccum abbas susceperat, pro descripta superius absolutione, ipsi Becco restituerat; et nunc, eo quod terras ecclesiæ injuria dare nolebat, episcopalis officii onus sese lætus evasisse videbat. Verum cum, decurso non exiguo tempore, clamorem omnium de ecclesiarum destructione conquerentium rex amplius ferre nequiret, virum ad se Wintoniæ, adunato ibi conventu nobilium, venire fecit, ac multis bonis et ecclesiæ Dei profuturis promissionibus illectum primatum ecclesiæ Anglorum suscipere suasit atque persuasit. Ille igitur, more et exemplo prædecessoris sui inductus, pro usu terræ homo regis factus est, et, sicut Lanfrancus suo tempore fuerat, de toto archiepiscopatu saisisi jussus.¹

A.D. 1093.
Anselm
refuses, and
hopes that
he has
escaped.

At last he
yields, be-
comes the
king's man,
and is seized
of the arch-
bishopric.

MS. p. 48.

Venit post hæc Cantuariam, vii. Kal. Octobris, atque immensa monachorum, clericorum, totiusque plebis alacritate susceptus, ad regendam ecclesiam Dei locum pontificis magno deductus honore conscendit. Eodem die venit Cantuariam a rege missus quidam, nomine Rannulfus, regiæ voluntatis maximus executor; qui, sprete consideratione pietatis ac modestiæ, placitum contra eum ipsa die instituit, et ferus ac tumens tantum ecclesiæ gaudium conturbare non timuit. Quæ res cunctorum animos graviter vulneravit, conquerentium ac nimis indigne ferentium tanto viro tantam injuriam fieri, ut nec primum quidem suæ dignitatis diem permetteretur in pace transigere. Quorum indignationi hoc quoque non parum doloris adjiciebat, quod negotium unde agebatur ad jura ecclesiæ pertinebat, nec in aliquo regalis judicii definitionem respiciebat. Igitur eo tempore nimis atroci plaga percussi sunt homines ipsius ecclesiæ. Unde Anselmus vehementissime dolens, sed regi contraire non valens, ex præsen-

He is en-
throned at
Canterbury
(Sept. 25th,
1093).

¹ *jussus*] *jussus* est, A.

A.D. 1093. tibus futura coniecit, et quia multas in pontificatu angustias foret passurus intellexit atque prædixit. Accedens itaque ad novum sibi insolitum genus serviendi Deo, juxta Salomonem stabat in timore, et præparabat animam suam ad temptationem, sciens omnes pie volentes in Christo vivere tribulationem necessario pati oportere.

He is consecrated at Canterbury, Dec. 4th, 1093.

Primate, not metropolitan, of all Britain.

Instante vero tempore suæ consecrationis, venit ex more Thomas archiepiscopus Eboracensis et omnes episcopi Angliæ Cantuariam, eumque debita cum¹ veneratione ibi pontificem consecraverunt, pridie Nonas Decembris. Duo tamen episcopi, Wigornensis videlicet et Exoniensis, infirmitate detenti, huic consecrationi interesse non valuerunt; sed, nunciis apicibusque directis, absentiam suam coepiscoporum suorum præsentis hac in causa præsentem, et consentaneam fore denunciaverunt. Verum cum ante ordinandi pontificis examinationem Walchelinus² Wentanus episcopus rogatu Mauricii episcopi Lundoniensis, cujus hoc officium est, ecclesiastico more electionem scriptam legeret, mox in primo versu Thomas Eboracensis, graviter offensus, eam non jure factam conquestus est. Nam cum diceretur, "Fratres et coepiscopi mei, vestræ fraternitati est cognitum quantum temporis est ex quo, acciditibus variis eventibus, hæc Dorobernensis ecclesia, totius Britannis metropolitana, suo sit viduata pastore," subintulit dicens, "Totius Britannis metropolitana? Si totius Britannis metropolitana, ecclesia Eboracensis, quæ metropolitana esse scitur, metropolitana non est. Et quidem ecclesiam Cantuariensem primatem totius Britannis esse scimus, non metropolitanam." Quod auditum, ratione subnixum esse quod dicebat intellectum est. Tunc statim scriptura ipsa mutata est, et pro "totius Britannis metropolitana" "totius Britannis primas" scriptum est, MS. p. 49

¹ cum] Not in A.

| ² Walchelinus] Walkelinus, A.

et omnis controversia conquevit.¹ Itaque sacravit illum² ut Britanniae totius³ primatem. Cum igitur inter sacrandum, pro ritu ecclesiae, textus evangelii super eum ab episcopis apertus, tentus, et, peracta consecratione, fuisset inspectus; haec in summitate paginae sententia reperta est, "vocavit multos. Et " misit servum suum hora coenae dicere invitatis ut " venirent, quia jam parata sunt omnia. Et coeperunt simul omnes excusare." Deinde, jam consummato ordinationis suae die octavo, Cantuariam egrediens ad curiam regis pro imminente Nativitate Domini vadit. Quo perveniens hilariter a rege totaque regni nobilitate suscipitur.

MS. p. 50.

A.D. 1003.
His prognostic.

He goes to court for Christmas.

Ea tempestate rex, Normanniam fratri suo Roberto toto conamine auferre laborans, multam et immensam undecunque collectam pecuniam in hoc expendebat, adeo ut nonnullas etiam difficultates pateretur, quas regiam pati excellentiam indecens videbatur. Suasus igitur ab amicis suis, novus pontifex quingentas argenti libras regi obtulit, sperans et pollicentibus credens sese pro hoc ejus deinceps gratiam firmiter adepturum, et iis quae Dei sunt intendere volentem fautorem in cunctis habiturum, necne rebus ecclesiasticis intus et extra pacem tuitionemque illius contra omnes aemulos adquisiturum. Rex ergo, tali oblatione audita, "Bene," rem quidem laudando, respondit. Sed quidam malignae mentis homines regem, ut fieri solet, ad hoc perduxerunt, quatinus oblatam pecuniam spernendo recipere non adquiesceret. "Tu," inquit, "eum praeceteris Angliae " principibus honorasti, ditasti, exaltasti; et nunc cum " ille, tua necessitate considerata, duo millia vel certe, ut " levissime dicatur, mille libras pro agendis munificentiae tuae gratiis tibi dare deberet, quingentas, proh " pudor, offert? Sed paululum sustine, faciemque tuam

He offers the king an aid.

The king accepts and then rejects it.

¹ *conquevit*] conquevit, MS.² *illum*] eum, A.³ *Britanniae totius*] totius Britanniae, A.

A.D. 1093. “ super eo commuta; et videbis quod, consueto aliorum
 “ ductus terrore, ovans, ad tuam benignitatem recuper-
 “ andam, quingentis quas offert totidem libras adjiciet.”
 Siquidem hunc ipse rex morem erga cunctos quibus
 dominabatur habebat, ut quando quivis¹ eorum aliquid
 ei pecuniarum, etiam solius gratiæ obtentu, offerebat, MS. p. 51.
 oblatum, nisi quantitas rei voto illius concurreret, sper-
 neret, nec offerentem in suam ulterius amicitiam ad-
 mittebat, si ad determinationem suam oblatum munus
 non augetet. Opinati sunt ergo illi maligni Anselmum
 quoque hoc more terrendum, atque ad explendam regis
 voluntatem aucta pecunia illico promovendum. Verum
 mentita est iniquitas sibi. Itaque mandatur illi regem
 oblatam refutare pecuniam,² et miratus est. Aditoque
 rege, sciscitatus est utrum ab eo tale mandatum pro-
 cesserit, annon. Audit vere processisse, et statim pos-
 tulans ait, “ Ne, mi domine, precor, hoc facias, ut quod
 “ in præsentiarum offero suscipere abnuas. Licet enim
 “ primum sit, non tamen extremum archiepiscopi tui
 “ donum erit. Et fateor utilius tibi est et honestius a
 “ me pauca cum amica libertate et sæpe suscipere,
 “ quam violenta exactione mihi multa simul sub servili
 “ conditione auferre. Amica nempe libertate, me et
 “ omnia mea ad utilitatem tuam habere poteris; servili
 “ autem conditione, nec me nec mea habebis.” Ad
 quæ iratus rex, “ Sint,” inquit cum jurgio, “ tua tibi;
 “ sufficient mea mihi. Vade.” Surrexit ergo et exiit, re-
 putans apud se forte non sine sui præmonitione primo
 ad sedem suam introitus die evangelium lectum fuisse,
 “ Nemo potest duobus dominis servire.” Et alacrior in
 seipsum reversus, “ Benedictus sit,” ait, “ omnipotens
 “ Deus, qui me sua misericordia immunem servavit ab
 “ omni infamia. Si enim hæc quæ obtuli rex gratiose
 “ suscepisset, profecto a malignis hominibus qui exun- MS. p. 52.

The primate
remon-
strates.

The king
gives him a
rebuff.

¹ *quivis*] quis, A.

² *refutare pecuniam*] pecuniam refutare, A.

“ dant jam ante pro episcopatu promissa, et nunc sub A.D. 1093.
 “ callida oblatione reddita, putatum fuisset. Sed modo
 “ quid agam? Præsignatum utique munus pro redemp-
 “ tione animæ suæ¹ pauperibus Christi dabo, non illi;
 “ et quo ei suam gratiam infundat, meque ab omni
 “ malo defendat, devotus orabo.” Quæsita dehinc per
 internuncios, sed quia pecuniam duplicare noluit minime
 acquisita gratia ejus, a curia festivitate finita recessit,
 sollicitius agens² oblato munere, ut proposuerat, Christi
 pauperes recreare.

Veniens autem in villam suam quæ Herga vocatur, A.D. 1094.
 dedicavit illic ecclesiam quam Lanfrancus quidem fa- He conse-
 crates the
 parish
 church of
 Harrow.
 blicaverat, sed morte præventus sacrare nequiverat. His right
 contested by
 the bishop
 of London.
 Inter quam dedicationem venerunt illuc duo canonici
 de Sancto Paulo, ab episcopo Landoniæ missi, litteras
 ex parte episcopi deferentes, in quibus ut ipsam dedica-
 tionem donec simul inde loquerentur differret depreca-
 tus est. Dicebat enim ipsam ecclesiam in sua parochia
 esse, et ob hoc, licet in terra archiepiscopi fuerit, dedica-
 tionem illius ad se pertinere. Audiens hæc Anselmus,
 et antecessorum suorum antiquam consuetudinem sciens,
 ratus est ab ipso ministerio pro hujusmodi precibus non
 cessandum, nec fecit. Siquidem mos et consuetudo
 archiepiscoporum Cantuariensium ab antiquo fuit et est,
 ut in terris suis, ubicunque per Angliam sint, nullus
 episcoporum præter se jus aliquod habeat, sed humana
 simul et divina omnia, velut in propria diocesi, in sua
 dispositione consistant. Anselmus tamen, nulli quic- He consults
 Wulstan,
 bishop of
 Worcester.
 quam injuriarum quasi libera utens potestate facere
 volens, diligenti postmodum inquisitione consuetudinis
 hujus certitudinem studuit investigare, quatinus, si eam
 ratam non fuisse constaret, amodo ab ea temperaret.
 Supererat adhuc beatæ memoriæ Wulstanus,¹ quem

MS. p. 53.

¹ *suæ*] On erasure in A.; per-
 haps to replace *mææ*.

² *sollicitius agens*] On erasure in
 A.

³ *Wulstanus*] *Wlstanus*, A.

A.D. 1094. prænominavimus, Wigornensis episcopus, unus et solus de antiquis Anglorum patribus, vir in omni religione conspicuus et antiquarum Angliæ consuetudinum scientia apprime imbutus.¹ Hunc Anselmus de negotio consuluit, et quo simplicem sibi veritatem innotesceret postulavit. Quo ille suscepto scripsit illi hæc.

The bishop
of Wor-
cester's
reply.

Reverentissimo ac beatissimo vitæ sanctitate et summæ sedis dignitate prælato, Anselmo archiepiscopo, Wulstanus² servorum Dei minimus Wigornensis ecclesiæ episcopus, merito indignus, orationum obsequia fidelique ex caritate servitia.

Novit prudentia vestra quotidianos labores et oppressiones sanctæ ecclesiæ, malignis eam opprimentibus, et ipsis quos oportuerat eam tueri auctoribus existentibus. Ad hos repellendos, et contra tales sanctam ecclesiam defendere, sanctitas vestra locata est in summa arce. Ne igitur dubitet, non eam sæcularis potentiæ timor humiliet, non favor inclinet, sed fortiter incipiat, incepta cum Dei adjutorio periciat, insurgentibus obsistat, opprimentes reprimat, sanctamque matrem nostram contra tales defendat. De iis³ autem unde nobis dignitas vestra scribere, et nostræ parvitas est dignata consilium⁴ quærere, quantum recordari possumus dicere non omitimus. Hanc denique unde consuluit causam ventilari nunquam audivimus, quia nullus aliquando extitit qui hanc Cantuariensi archiepiscopo potestatem adimere vellet, et ne dedicationem propriarum duntaxat ecclesiarum publice^{MS. p. 54.} faceret defenderet. Extant quippe et in nostra diocesi altaria, et quædam etiam ecclesia, in his scilicet villis quas Stigandus vestræ excellentiæ prædecessor, hand tamen jure ecclesiasticæ hæreditatis, sed ex dono possederat sæcularis potestatis, ab ipso dedicata, nostris et antecessoris nostri temporibus, nobis inconsultis, nec antea nec postea quicquam inde calumniantibus, utpote hanc specialem potestatem ejusdem metropolitani episcopi esse scientibus. Judicium tamen hinc agitatum aut hoc ex jure sibi judicatum aliquando minime audivimus, sed quod in nostra diocesi eum libere fecisse⁵ agnovimus in aliorum etiam facere posse credimus.

¹ *imbutus*] eruditus, A.

² *Wulstanus*] Wlfstanus, A.

³ *iis*] his, A.

⁴ *est dignata consilium*] consilium
est dignata, A.

⁵ *libere fecisse*] fecisse libere, A.

Ecce quantum inde reminisci aut scire potuimus prudentiæ vestræ intimavimus; jam quid faciendum sit ipsa consideret. Valeat paternitas vestra, et pro nobis oret.¹ A.D. 1094.

Roboratus igitur Anselmus ex istis atque ex multis aliorum, quos longum est enumerare, testimoniis, secure deinceps suorum morem antecessorum æmulabatur, non solum ecclesias inconsultis episcopis sacrans, sed et quæque Divina officia in cunctis terris suis per se suosve dispensans.

MS. p. 55. Evolutis dehinc aliquantis diebus, ex præcepto regis omnes fere episcopi una cum principibus Angliæ ad Hastings convenerunt, ipsum regem in Normanniam transfretare volentem² sua benedictione et concursu prosecuturi. Venit et pater Anselmus, suis quam maxime orationibus per marina pericula regem protegendo ducturus. Morati vero sunt ibi rex et principes plus uno mense, vento transitum regi prohibente. In qua mora Anselmus sacravit in ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ quæ est in ipso castello Robertum ad regimen ecclesiæ Lincoliensis, ministrantibus sibi in hoc officio septem de suffraganeis episcopis suis. De qua tamen consecratione quidam de episcopis atque principibus conati sunt contra Anselmum scandalum movere, intendentes ad hoc ut eundem episcopum absolute absque debita professione consecraret. Quod nullo jure fulti ea solummodo re sunt aggressi, quia putabant se animo regis aliquid ex conturbatione Anselmi unde lætaretur inferre, scientes eum pro supradicta³ causa adversus ipsum non parum esse turbatum. Sed Anselmus ex iis⁴ nil rancoris mente concipiens placido vultu nulla ratione assensum eis præbere, nec episcopum nisi primo suscepta professione ab eo de subjectione et obcedentiâ sua sacrare, voluit. Rex quoque, ubi quid episcopi moliebantur audivit, asseruit se nullo

He is summoned by the king to Hastings ;
where he consecrates the new bishop of Lincoln, (Feb. 12th, 1094.)

¹ *pro nobis oret*] oret pro nobis, A.

² *transfretare volentem*] transfretaturum, A.

³ *supradicta*] suprascripta, A.

⁴ *iis*] his, A.

A.D. 1094. pacto consensurum ut pro inimicitia quam contra archiepiscopum habebat, matri suæ ecclesiæ Cantuariensi de sua dignitate quid quis detraheret.

Ash-Wednesday, 1094 (Feb. 22nd).

Eo tempore curialis juvenus ferme tota crines suos juvenularum more nutriebat, et quotidie pexa ac ir-religiosis nutibus circumspectans, delicatis vestigiis, tenero incessu obambulare solita erat. De quibus, cum in capite jejunii sermonem in populo ad missam suam et ad cineres confluyente idem pater¹ habuisset, copiosam turbam ex illis in pœnitentiam egit, et attonsis crinibus in virilem formam redegit. Illos autem quos ab hac ignominia revocare nequivit a cinerum susceptione et a suæ absolutionis benedictione suspendit. MS. p. 56. Erat autem in his et hujusmodi prudenter ac libere agens, necne solius justitiæ respectum præ oculis in omnibus habens, qualiter ad Dei servitium justitiamque colendam regem provocaret studiosius intendit.

Anselm pays a visit to the king.

Die igitur quadam ad eum ex more ivit, et juxta illum sedens eum his verbis alloqui cœpit, “Mare te, “domine mi rex, transiturum, et Normanniam tuæ ditioni subjugaturum disposuisti. Verum quo hæc “et alia quæ desideras tibi prospere cedant, obsecro “primum, fer opem et consilium qualiter in hoc regno “tuo Christianitas, quæ jam fere tota in multis periit, “in statum suum redigi possit.” Respondit, “Quam “opem, quod consilium?” “Jube,” ait, “si placet, “concilia ex antiquo usu renovari, quæ perperam “acta sunt in medium revocari, revocata examinari, “examinata redargui, redarguta sedari. Generale “nempe concilium episcoporum ex quo rex factus “fuisti non fuit in Anglia celebratum, nec retroactis “pluribus annis. Quapropter multa crimina eruperunt, et, nullo qui ea recideret existente, in nimium “robur per pravam consuetudinem excreverunt.” At ille, “Cum,” inquit, “mihi visum fuerit de his agam,

He begs that councils be convened for the reformation of manners, but in vain ;

¹ pater] Supplied in margin in A.

MS. p. 57. " non ad tuam sed ad meam voluntatem. Sed in hoc A.D. 1094.
 " aliud tempus expendetur." Et adjecit subsannans,
 " Tu vero in concilio unde loquereris?" Tunc ille,
 " Nefandissimum Sodomæ scelus, ut illicita consan-
 " guineorum connubia et alia multa rerum detestan-
 " darum facinorosa negotia taceam, scelus, inquam,
 " Sodomæ noviter in hac terra divulgatum, jam plu-
 " rimum pullulavit, multosque sua immanitate feoda-
 " vit. Cui, fateor, nisi districti a te prodiens senten-
 " tia iudicii, et ecclesiasticæ vigor disciplinæ celerius
 " obviet, tota terra non multo post Sodoma fiet. Sed
 " conemur una, quæso, tu regia potestate et ego pon-
 " tificali auctoritate, quatinus tale quid inde statuatur,
 " quod cum per totum fuerit regnum divulgatum solo
 " etiam auditu quicumque illius fautor est paveat et
 " deprimatur." Non sederunt hæc animo principis, et
 " paucis ita respondit, "Et in hac re quid fieret pro
 " te?" "Si non," inquit Anselmus, "pro me, spero
 " fieret pro Deo et te." "Sufficit," dixit, "nolo inde
 " ultra loquaris." Tacuit ille, sed mox verba sua ver-
 " tit ad alia, dicens, "Est et aliud cui tuam industriam
 " vellem intendere,¹ et intendendo consilii sui manum
 " extendere. Abbatix quamplures sunt in hac terra,
 " suis pastoribus destitutæ. Quam ob rem monachi,
 " relicto ordine suo, per luxus sæculi vadunt, et sine
 " confessione de hac vita² transeunt.³ Unde consulo,
 " precor, moneo, quatinus, tanta re diligenter inspecta,
 " secundum voluntatem Dei abbates illis instituas, ne
 " in destructione monasteriorum et perditione mona-
 " chorum tibi, quod absit, damnationem adquiras." Non
 " potuit amplius spiritum suum rex cohibere, sed
 " oppido turbatus cum iracundia dixit, "Quid ad te?
 " Numquid abbatix non sunt meæ? Hem, tu quod

and that va-
 cant abba-
 cies be filled
 up, but to
 no purpose.

¹ *vellem intendere*] intendere | ² *confessione . . . vita*] On erasure
 vellem, A. | in A., the words slightly crowded.
 | ³ *transeunt*] exeunt, A.

- A.D. 1094. "vis agis de villis tuis, et ego non agam quod volo
 "de abbatiis meis?" Ait, "Tuæ quidem sunt, ut illas
 "quasi advocatus defendas atque custodias; non tuæ
 "autem, ut invadas aut devastes. Dei scimus eas
 "esse, ut sui ministri inde vivant, non quo expedi-
 "tiones et bella tua inde fiant. Denique villas et
 "quamplures redditus habes, unde pleniter adminis-
 "trare tua potes. Ecclesiis si placet sua dimitte." MS. p. 58.
- The King is incensed against Anselm, and he retires. "Pro certo," inquit, "noveris mihi valde contraria
 "esse quæ dicis. Nec enim antecessor tuus auderet
 "ullatenus patri meo talia dicere; et nihil faciam pro
 "te." Intellexit ergo Anselmus se verba in ventum proferre, et surgens abiit.
- Anselm begs to be restored to friendship with the King. Reputans autem in hujusmodi responsis nonnihil
 pristinam iram operari, et considerans, offenso prin-
 cipis animo, nequaquam posse pacem rebus dari, quo
 et rebus consuleret, et liberius, favente sibi regali pro-
 videntia, Deo fructificaret, humili per episcopos prece
 regem deprecatus est, ut in amicitiam sui sese gratis
 admitteret. "Quod si," ait, "facere nonvult, cur nolit
 "edicat; et, si offendi, satisfacere paratus sum." Re-
 lata sunt ista regi,¹ et respondit, "De nulla re ipsum
 "inculpo, nec tamen ei gratiam meam, quia non audio
 "quare, indulgere volo." Quod cum episcopi viro re-
 tulissent, percunctatus est quidnam illud esset quod
 "quia non audiebat" preces suas exaudire nolebat.
 "Mysterium hoc," inquiunt illi, "planum est. Nam
 "si pacem ejus vis habere necessario te oportet ei de
 "pecunia tua copiosa præbere. Jam nuper obtulisti
 "ei quingentas libras; sed, quoniam parum sibi visum
 "fuit,² noluit illas recipere. Nunc, si vis nostro con-
 "silio credere, et quod in simili negotio facimus tu
 "quoque facere, suademus ipsas ei quingentas libras ad
 "præsens da, et tantundem pecuniæ quam ab homi-
 "nibus tuis accipies illi promitte, et confidimus quod
- The King refuses his request.
- The bishops explain a royal formula.
- They give the Primate advice, which he rejects.

¹ regi] ad regem, A.| ² fuit] est, A.

MS. p. 59. " et tibi amicitiam suam restituet, et tua ut voles A.D. 094.
 " pacem habere permittet. Aliam qua exeas viam
 " non videmus, nec nos pari angustia clausi aliam
 " exeundi habemus." At ille continuo intelligens
 quid consilii hujus effectus in se¹ prætenderet, ait,
 " Absit hic exitus a me. Nam cum ipse mihi, juxta
 " quod dicitis, nullam alicujus offensæ calumniam
 " imponat, et tamen in tantum² iratus est³ ut
 " nonnisi mille libris argenti pacari queat, forte si
 " nunc novus episcopus hac eum datione pacarem, ex
 " ipso usu alia vice similiter irasceretur ut pari voto
 " pacaretur. Amplius. Homines mei post obitum
 " venerabilis memoriæ Lanfranci antecessoris mei de-
 " predati sunt et spoliati, et ego cum hucusque nil
 " eis unde revestiri possint contulerim, jam eos nudos
 " spoliarem, immo spoliatos decoriarem?⁴ Absit. Ni-
 " hilo quoque minus hoc absit a me amorem domini
 " mei facto ostendere venalem esse. Fidem ei debeo
 " et honorem, et ego illi hoc dedecus facerem, scili-
 " cet gratiam suam quasi equum vel asinum vilibus
 " nummulis emerem? Emptum denique amorem ejus
 " utique postea tanti penderem, quanti⁵ pretium pro
 " eo datum æstimarem. Sed longe sit a me sublimi-
 " tatem tantæ rei humili pretio comparare. Magis
 " autem satagite quo gratis et honeste me sicut ar-
 "chiepiscopum Cantuariensem et patrem suum spiritu-
 " alem diligat, et ego ex mea parte dabo operam, ut
 " me et mea ad servitium et voluntatem ejus juxta
 " quod debebo exhibeam." Dixerunt, " Scimus quia
 " saltem oblatas ei quingentas libras non negabis." Respondit, " Nec ipsas utique illi amplius dabo, quia
 " cum eas sibi offerrem suscipere noluit, et jam pluri-
 " mam partem earum, ut promisi, pauperibus dedi."

¹ in se] Not in A.

² in tantum] tantum, A.

³ iratus est] iratus est mihi, A.

⁴ decoriarem] excoriarem, A.

⁵ postea tanti penderem quanti] tanti penderem postea quantum, A.

A.D. 1094. Nunciata sunt ista regi, et jussit hæc ei contra referri,
 The King, hearing what has passed, vows hatred against Anselm.
 “ Heri magno, et hodie illum majori odio habeo; et
 “ sciat revera quod cras et deinceps acriori et acerbiori MS. p.
 “ odio semper habebō. Pro patre vero vel archiepiscopo
 “ nequaquam illum ultra tenebo, sed benedictiones et
 “ orationes ejus execrans penitus respuo. Eat quo
 “ vult, nec me transfretaturum pro danda benedic-
 “ tione diutius expectet.” Festinantius igitur a curia
 The King crosses over to Normandy.
 discessimus, et ipsum suæ voluntati¹ reliquimus. Et
 The King returns to England.
 ipse quidem in Normanniam transiit, expensaque im-
 mensa pecunia eam sibi nullatenus sibi subigere potuit.
 Infecto itaque negotio, in Angliam reversus est.

A.D. 1095. Quem consistentem in quadam villa, quæ tribus
 Anselm seeks the King at Gillingham, and begs leave to visit the Pope.
 milliariis a Sceftesberia distans Ilingeham vocatur,
 Anselmus adiit, eique suam voluntatem in hoc esse
 innotuit, ut Romanum pontificem pro pallii sui peti-
 tione adiret. Ad quod rex, “ A quo,” inquit, “ papa
 “ illud requirere cupis?” Erant quippe illo tempore
 duo, ut in Anglia ferebatur, qui dicebantur Romani
 pontifices a se invicem discordantes, et ecclesiam Dei
 inter se divisam post se trahentes; Urbanus videlicet,
 qui primo vocatus Odo fuerat episcopus Ostiensis, et
 Clemens qui Wibertus appellatus fuerat archiepiscopus
 Ravennas. Quæ res, ut de aliis mundi partibus sileam,
 per plures annos ecclesiam Angliæ in tantum occu-
 pavit, ut ex quo venerandæ memoriæ Gregorius qui
 antea vocabatur Hildebrandus defunctus fuit, nulli loco
 papæ usque ad hoc tempus subdi vel obœdire voluerit.
 Sed Urbano jam dudum pro vicario Beati Petri ab
 Italia Galliaque recepto, Anselmus etiam, utpote abbas
 de Normannia, eum pro papa receperat, et sicut vir
 nominatissimus necnon auctoritate plenus ejus litteras
 susceperat, eique velut summo sanctæ ecclesiæ pastori MS. p. 61.
 suas direxerat. Requisitus ergo a rege a quo papa
 usum pallii petere voluisset, respondit, “ Ab Urbano.”

¹ *suæ voluntati*] voluntati suæ, A.

Quo rex audito dixit illum pro apostolico se nondum recepisse, nec suæ vel paternæ consuetudinis eatenus extitisse, ut præter suam licentiam aut electionem aliquis in regno Angliæ papam nominaret, et quicumque sibi hujus dignitatis potestatem vellet præripere, unum foret ac si coronam suam sibi conaretur auferre. Ad quæ Anselmus admirans in medium protulit quod supra retulimus, se videlicet antequam¹ episcopus fieri consentiret ei apud Rovecestram dixisse, quod ipse abbas Beccensis existens Urbanum pro papa suscepit, nec ab illius obœdientia et subjectione quoquomodo discedere voluerit. Quibus ille auditis iræ stimulis exagitatus protestatus est, illum nequaquam fidem quam sibi debebat simul et obœdientiam sedis apostolicæ² contra suam voluntatem posse servare. Anselmus igitur, salva ratione sua quam de subjectione et obœdientia Romanæ ecclesiæ in medium tulerat, petivit inducias ad istius rei examinationem, quatinus, episcopis, abbatibus, cunctisque regni principibus una coeuntibus, communi assensu definiretur, utrum salva reverentia et obœdientia sedis apostolicæ posset fidem terreno regi servare annon. “Quod si probatum,” inquit, “fuerit utrumque fieri minime posse, fateor malo “ terram tuam donec apostolicum suscipias exeundo “ devitare, quam Beati Petri ejusque vicarii obœdientiam vel ad horam abnegare.” Dantur ergo induciæ, atque ex regia sanctione ferme totius regni nobilitas quinto Idus Martii³ pro ventilatione istius causæ in unum apud Rochingeham coit.

Fit itaque conventus omnium Dominico die in ecclesia quæ est in ipso castro sita ab hora prima, rege et suis secretius in Anselmum consilia sua studiose texentibus. Anselmus autem, episcopis, abbatibus, et princi-

A. D. 1095.
The King makes an important statement.

Anselm replies, to the great anger of the King.

He begs for a truce pending the solemn discussion of the question raised.

MS. p. 62.

The Rockingham council.

¹ *antequam*] ante quam, MS.
² *obœdientiam sedis apostolicæ*] apostolicæ sedis obedientiam, A.

³ This is an error of the author's. The real date was February 25th. See Preface.

A.D. 1095.
The Pri-
mate's
opening
speech.

pibus ad se a regio secreto vocatis, eos et assistentem monachorum, clericorum, laicorum numerosam multitudinem hac voce alloquitur. “ Fratres mei, filii ec-
“ clesiae Dei, omnes dico qui hic congregati estis in
“ nomine Domini, precor intendite, et causam propter
“ quam ventilandam adunati estis pro viribus opem
“ vestri consilii ferte. Quae autem ipsa causa sit, brevi
“ qui nondum pleniter audistis, si placet, audite. Verba
“ quaedam orta sunt inter dominum nostrum regem et
“ me, quae quandam videntur dissensionem generare.
“ Nam cum nuper licentiam adeundi Urbanum sedis
“ apostolicæ præsulem juxta morem antecessorum me-
“ orum pro pallii mei adeptione ab eo postulassem,
“ dixit se Urbanum ipsum pro papa necdum suscepisse,
“ et ideo nolle me ad eum illius rei gratia properare.
“ ‘Quinetiam,’ ait, ‘si eundem Urbanum, aut quemlibet
“ alium, sine mea electione et auctoritate in regno
“ meo pro papa suscipis, aut susceptum tenes, contra
“ fidem quam mihi debes facis, nec in hoc me¹ mi-
“ nus offendis, quam si coronam meam mihi tollere
“ conareris. Unde scias in regno meo nullum te
“ participium habiturum, si non apertis assertionibus
“ probavero te omnis obœdientiae subjectionem Urbano
“ de quo agitur pro voto meo negaturum.’ Quod ego
“ audiens admiratus sum. Siquidem abbas eram, ut
“ nostis, in alio regno, per misericordiam Dei conver-
“ satus ad omnes sine querela. Nulla vero spe vel MS. p. 63.
“ desiderio pontificatus, sed quibusdam rationabilibus
“ causis, quas nullatenus omittere poteram, in hanc
“ terram sum venire coactus. Ipso autem rege infir-
“ mato, omnes qui tunc aderatis ei ut matri suæ et
“ vestræ, scilicet ecclesiae Cantuariensi, per institutio-
“ nem pontificis ante mortem suam consuleret pro voto
“ consulistis. Quid dicam? Suscepto consilio, placuit
“ illi et vobis in hoc opus eligere me. Objeci plurima,

¹ *me*] In margin in A.

“ subducere me præsulatu gestiens, nec adqueivistis. A.D. 1095.
“ Professus sum, inter alia, me hunc de quo nunc
“ querela ista conseritur Urbanum pro apostolico susce-
“ pisse, meque ab ejus subjectione quoad viveret vel
“ ad horam discedere nolle; et qui ad hoc tunc temporis
“ mihi contradiceret nemo fuit. Sed quid? Rapuistis
“ me, et coegistis onus omnium suscipere, qui corporis
“ imbecillitate defessus meipsum vix poteram ferre.
“ In quo facto putabatis forsā mihi ad votum servire.
“ Sed, quantum illud desideraverim, quam gratum ha-
“ buerim, quantum in illo delectatus sim, dicere in
“ præsenti¹ quidem, cum nihil prosit, supervacuum
“ aestimo. Verum nequis in hac re nesciens conscien-
“ tiam meam² scandalizetur in me, fateor, verum dico,
“ quia, salva reverentia voluntatis Dei, maluissem illa
“ die, si optio mihi daretur, in ardentem rogum com-
“ burendus præcipitari, quam archiepiscopatus dignitate
“ sublimari. Attamen videns importunam voluntatem
“ vestram, credidi me vobis et suscepi onus quod im-
“ posuistis, confisus spe auxilii vestri quod polliciti
“ estis. Nunc ergo ecce tempus adest quo sese causa
“ obtulit, ut onus meum consilii vestri manu levetis.
MS. p. 64. “ Pro cujus consilii acceptione³ petivi inducias ab eo
“ die quo mihi præfata verba dicta sunt in hunc diem,
“ quatinus in unum conveniretis, communique⁴ consilio
“ investigaretis, utrumnam possim, salva fidelitate
“ regis, servare obœdientiam apostolicæ sedis. Petivi,
“ inquam, inducias, et accepi; et ecce gratia Dei adestis.
“ Omnes itaque, sed vos præcipue, fratres et coepiscopi
“ mei, precor ac⁵ moneo, quatinus, istis diligenter in-
“ spectis, studiosius, sicut vos decet, quo inniti queam
“ mihi consilium detis, ita ut et contra obœdientiam
“ papæ nihil agam, et fidem quam domino regi debeo

¹ *præsenti*] presenti, MS.

² *nesciens conscientiam meam*] conscientiam meam nesciens, A.

³ *acceptione*] adeptione, A.

⁴ *communique*] communi, A.

⁵ *ac*] et, A.

A.D. 1095. " non offendam. Grave siquidem mihi est vicarium beati
 " Petri contemnendo abnegare, grave fidem quam regi
 " me secundum Deum servaturum promisi violare, grave
 " nihilominus quod dicitur, impossibile mihi fore unum
 " horum altero non violato¹ custodire." Ad hæc epi-
 scopi responderunt, " Consilium quod a nobis petis penes
 " te est, quem prudentem in Deo ac bonitatis amato-
 " rem esse cognoscimus; et ob hoc in tam profunda re
 " consilio nostro non eges. Verum si, remota omni alia
 " conditione, simpliciter ad voluntatem domini nostri
 " regis consilii tui summam transferre velles, prompta
 " tibi voluntate, ut nobis ipsis, consuleremus. Attamen,
 " si jubes, verba tua ipsi domino nostro referemus, et
 " cum audierimus quid inde sentiat, dicemus tibi."
 Annuit ipse, et fecerunt ut dixerant. Præcepit itaque
 rex ut omnia in crastinum,² quia dies Dominica erat,
 differrentur, et Anselmus ad hospitium suum, curiam
 mane repetiturus, reverteretur. Factum est ita, et mane
 juxta condictum reversi sumus. Itaque Anselmus in
 medio procerum et conglobatæ multitudinis sedens ita
 orsus est, " Si juxta quod a vobis, domini fratres, hes-
 " terno die consilium de præsentis causa petivi vel nunc MS. p. 65.
 " dare velletis, acciperem." At illi, " Quod heri respon-
 " dimus modo respondemus; scilicet, si pure ad volun-
 " tatem domini regis consilii tui summam transferre
 " volueris, promptum et quod in nobis ipsis utile
 " didicimus a nobis consilium certum habebis. Si
 " autem secundum Deum quod ullatenus voluntati regis
 " obviare possit consilium a nobis expectas, frustra
 " niteris, quia in hujusmodi nunquam tibi nos admi-
 " niculari videbis." Quibus dictis, conticuerunt, et
 capita sua, quasi ad ea quæ ipse illaturus erat demi-
 serunt. Tunc pater Anselmus erectis in altum lumi-
 nibus, vivido vultu, reverenda voce, ista locutus est,

The reply of
the bishops.

The session
is adjourned
to the mor-
row.

Anselm re-
sumes the
discussion.

The bishops
reply to the
same pur-
port as
before.

Anselm ap-
peals to
Holy Scrip-
ture.

¹ *altero non violato*] non violato altero, A.

² *in crastinum*] incrastinum, MS.

MS. p. 66. A.D. 1095.

“ Cum vos, qui Christianæ plebis pastores, et vos, qui
 “ populorum principes vocamini, consilium mihi patri
 “ vestro nonnisi¹ ad unius hominis voluntatem dare
 “ vultis; ego ad summum pastorem et principem omni-
 “ um, ego ad magni consilii angelum curram, et in
 “ meo, immo in suo et ecclesiæ suæ, negotio consilium
 “ quod sequar ab eo accipiam. Dicit beatissimo apo-
 “ stolorum principi Petro, ‘Tu es Petrus, et super hanc
 “ ‘petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi
 “ ‘non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves
 “ ‘regni cælorum. Et quodcunque ligaveris super ter-
 “ ‘ram erit ligatum et in cælis, et quodcunque solveris
 “ ‘super terram erit solutum et in cælis.’ Communiter
 “ etiam apostolis omnibus, ‘Qui vos audit me audit, et
 “ ‘qui vos spernit me spernit.’ Et, ‘Qui tangit vos
 “ ‘sicut qui tangit pupillam oculi mei.’ Hæc, sicut
 “ principaliter Beato Petro et in ipso cæteris apostolis
 “ dicta accipimus, ita principaliter vicario Beati Petri
 “ et per ipsum cæteris episcopis qui vices agunt apo-
 “ stolorum eadem dicta tenemus; non cuilibet impe-
 “ ratori, non alicui regi, non duci, non comiti. In quo
 “ tamen terrenis principibus subdi ac ministrare debe-
 “ amus, docet et instruit idem ipse magni consilii
 “ angelus dicens, ‘Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari;
 “ ‘et quæ sunt Dei Deo.’ Hæc verba, hæc consilia
 “ Dei sunt. Hæc approbo, hæc suscipio, hæc nulla
 “ ratione exibo. Quare cuncti noveritis in commune,
 “ quia in iis² quæ Dei sunt vicario Beati Petri obœ-
 “ dientiam, et in iis² quæ terrenæ domini mei regis
 “ dignitati jure competunt ei fidele consilium et aux-
 “ ilium pro sensus mei capacitate impendam.” Fini-
 “ erat pater in istis. Omnes igitur assidentes oppido
 “ turbati cum festinatione et magno tumultu surrexe-
 “ runt, turbationem suam confusis vocibus exprimentes,
 “ ut eos illum esse reum mortis una clamare putares.

¹ nonnisi] non nisi, MS. See Preface. | ² iis] his, A.

A.D. 1095. *The bishops refuse to report to the King what he has said. He goes to the King, and repeats what he has said. The King takes counsel with the bishops and barons.* Conversique ad illum, cum jurgio, "Scias," inquit, "nos hæc verba tua minime domino nostro tua vice portaturos." Quibus dictis, ad regem reversi sunt. Quia ergo nemo cui verba sua regi deferenda tuto committeret cum Anselmo remansit, ipsemet ad regem ingrediens quæ dixerat viva voce innotuit, illicoque reversus est. Ad quæ rex vehementer iratus cum episcopis atque principibus intentissime quærere cœpit quid dictis ejus objicere posset, nec invenit. Scandalizati ergo inter se ab invicem sunt in partes divisi, et hic duo, ibi tres, illic quatuor in unum consiliabantur, studiosissime disquirentes siquo modo possent aliquod responsum contra hæc componere, quod et regiam animositatem deliniret, et prælibatas sententias Dei adversa fronte non impugnaret. Solus inter hæc Ansel- MS. p. 67. mus sedebat, tantum in¹ innocentia cordis sui et² misericordia Domini Dei fiduciam habens. Adversariis vero ejus conciliabula sua in longum protelantibus, ipse ad parietem se reclinans leni somno quiescebat. Facta itaque longa mora, redeunt episcopi cum nonnullis principibus a rege, hæc viro dicentes, "Vult dominus noster rex, omissis aliis verbis, a te sub celeritate sententiam audire, de iis³ videlicet quæ inter illum et te dicta fuerunt apud Ilingeham,⁴ unde petisti inducias in hunc diem respondendi. Res nota est, et expositione non indiget. Veruntamen noveris totum regnum conqueri adversum te, quod nostro communi domino conaris decus imperii sui coronam auferre. Quicumque enim regię dignitatis ei consuetudines tollit, coronam simul et regnum tollit. Unum quippe sine alio decenter haberi non posse probamus. Sed recogita, rogamus te, et Urbani illius qui, offenso domino rege, nil tibi prodesse, nec, ipso pacato tibi, quicquam valet obesse

The bishops bring back a message from the King.

¹ *tantum in*] tantum, A.

² *et*] et in, A.

³ *iis*] his, A.

⁴ *Ilingeham*] Ilingeham, A.

“obcedentiam abjice, subjectionis jugum excute, et liber, ut archiepiscopum Cantuariensem decet, in cunctis actibus tuis voluntatem domini regis et justificationem expecta; necne quod secus egisti culpam agnosce, ac, ut tibi ignoscat, voto illius in omnino quod a te inde petierit sapientis more concurre, quatinus inimici tui, qui casibus tuis nunc insultant, visa dignitatis tuæ sublevatione¹ erubescant. Hæc, inquam, rogamus,² hæc consulimus, hæc tibi tuisque necessaria esse dicimus et confirmamus.” Respondit, “Quæ dicitis audio; sed, ut ad alia taceam, abnegare obcedentiam papæ³ nullatenus volo. Jam dies declinat in vesperam; differatur, si placet, in crastinum causa ista, quo tractans mecum respondeam quod Deus inspirare dignabitur.” Suspicati ergo illum aut quid diceret ultra nescire, aut metu addictum jam statim cæpto desistere, reversi ad regem, persuaserunt inducias nulla ratione dandas, sed, causa recenti examinatione discussa, supremam, si suis adquiescere consiliis nollet, in eum mox judicii sententiam invehi juberet. Erat autem quasi prævius et prælocutor regis in hoc negotio Willelmus supra nominatus Dunelmensis episcopus, homo linguæ volubilitate facetus quam pura sapientia præditus. Hujus quoque discidium quod inter regem et Anselmum versabatur erat auctor et gravis incentor,⁴ regique sponderat se facturum ut Anselmus aut Romani pontificis obcedentiam funditus⁵ abnegaret, aut archiepiscopatu, reddito baculo et anulo, abrenunciaret. Qua sponcione fretus rex applaudebat sibi, sperans illum vel, abjurato apostolico, infamem remanere in regno suo,

A.D. 1065.

MS. p. 68

The Primate asks for an adjournment.

The King is advised to pass sentence on him at once.

¹ *sublevatione*] *sullevatione*, MS.² *Hæc inquam rogamus*] *Hæc inquam hæc rogamus*, A.³ *papæ*] *domini papæ*, A.⁴ *et gravis incentor*] *gravis et incentor*, A.⁵ *pontifici obedientiam funditus*] *pontifici funditus obedientiam*, A.; *pontifici funditus* being written on erasure and in margin, probably for the introduction of *funditus*.

A.D. 1095. vel, eodem retento, rationabiliter extorrem fieri a regno suo. Et ista quidem volebat, propterea quod omnem auctoritatem exercendæ Christianitatis illi adimere cupiebat. Nec enim regia dignitate integre se potitum suspicabatur, quamdiu aliquis in tota terra sua,¹ vel etiam secundum Deum, nisi per eum quicquam habere, nota dico, vel posse dicebatur. Quam cordis illius voluntatem Dunelmensis intelligens omni ingenio sategabat siquo modo Anselmum calumniosis objectionibus fatigatum regno eliminaret, ratus, ut dicebatur, ipso discedente, se archiepiscopatus solio sublimandum. Cum igitur regi persuasisset quæsitâ inducias Anselmo MS. p. 69. non esse dandas, comitatus quampluribus, qui verba sua suo fulcirent testimonio, ad virum ingrediens ait, “ Audi querimoniam regis contra te. Dicit quia, “ quantum tua interest, eum dignitate sua² spoliasti, “ dum Odonem episcopum Ostiensem sine sui auctoritate præcepti papam in sua Anglia facis, et, sic “ spoliatum, petis tibi inducias dare, quo possis eandem spoliationem tuis adinventionibus justam esse “ demonstrare. Revesti eum primo, si placet, debita “ imperii sui dignitate, et tunc demum de induciis “ age. Alioquin, noveris illum sibi ipsi odium Dei “ omnipotentis imprecari, nosque fideles ejus imprecationi ipsius conniventes acclamare, si vel ad horam “ inducias dederit quas tibi in crastinum dari precaris. Quare jam nunc e vestigio ad domini nostri “ dicta responde, aut sententiam tuæ vindicem præsumptionis dubio procul in præsentî experiere. Nec “ jocum existimes esse quod agitur, immo in istis “ magni doloris stimulis urgemur. Nec mirum. Quod “ enim dominus tuus et noster in omni dominatione “ sua præcipuum habebat, et quo illum³ cunctis regibus “ præstare certum erat, hoc ei, quantum in te est,

The Bishop of Durham returns and makes a menacing speech to the Primate.

¹ *sua*] Not in A.

² *dignitate sua*] sua dignitate, A.

³ *illum*] eum, A.

“ inique tollis, tollens fidem cum sacramento quod ei
 “ feceras polluis, et omnes amicos ejus magna in hoc
 “ confusione involvis.” Audiens hæc Anselmus pati-
 enter sustinuit, moxque ad tantæ calumniæ nefas ita
 brevi respondit, “ Qui, propterea quod venerabilis
 “ sanctæ Romanæ ecclesiæ summi pontificis obœdien-
 “ tiam abnegare nolo, vult probare me fidem et sacra-
 “ mentum violare quod terreno regi debeo, assit; et in
 “ nomine Domini me paratum inveniet ei sicut debeo,
 “ et ubi debeo, respondere.” Quibus auditis, aspicien-
 tes sese adinvicem, nec inventientes quid ad ista refer-
 rent, ad dominum suum reversi sunt. Protinus enim
 intellexerunt, quod prius non animadverterunt nec
 ipsum advertere posse putaverunt, videlicet archiepi-
 scopum Cantuariensem a nullo hominum, nisi a solo
 papa, judicari posse vel damnari, nec ab aliquo cogi
 pro quavis calumnia cuiquam, eo excepto, contra suum
 velle respondere. Ortum interea est murmur¹ totius
 multitudinis pro injuria tanti viri, summissa inter se
 voce querentis. Nemo quippe palam pro eo loqui
 audebat ob metum tyranni. Veruntamen miles unus
 de multitudine prodiens viro astitit, flexis coram eo
 genibus, dicens, “ Domine pater, rogant te per me sup-
 “ plices filii tui, ne turbetur cor tuum ex iis quæ
 “ audisti, sed memor esto beati Job vincētis diabolum
 “ in sterquilinio, et vindicantes Adam quem ipse vice-
 “ rat in paradiso.” Quæ verba dum pater comi vultu
 accepisset, intellexit animum populi in sua secum sen-
 tentia esse. Gavisi ergo exinde sumus et animæ-
 quiores effecti, confidentes, juxta scripturam, “ vocem
 “ populi vocem esse Dei.” Quid agam? Si minas, si
 opprobria, si contumelias, si mendacia viro objecta sin-
 gulatim describere voluero, timeo nimis judicari. Quæ
 tamen omnia pro fidelitate apostolicæ sedis æquanimitè
 sustinebat, et, juvante Deo, invicta quæque ratione

A.D. 1095.

The Primate
 makes a
 brief but
 defiant
 answer.

MS. p. 70.

The answer
 based on a
 privilege of
 the Arch-
 bishops of
 Canterbury.

Popular
 sympathy is
 on the side
 of the
 Primate.

¹ est murmur] murmur est, A.

A.D. 1095. destruebat, ostendens potius in veritate sese consistere, atque in cunctis quæ negotii summa respicebat Deum auctorem habere. Cum hæc omnia rex agnovisset, usque ad divisionem spiritus sui exacerbatus, episcopus dixit, "Quid est hoc? Nonne mihi polliciti estis quod eum omnino ad velle meum tractaretis, judicaretis, damnaretis?" Cui Dunelmensis, "Ita in primis tepide et silenter per singula loquebatur, ut omnis humanæ prudentiæ inscius et expers putaretur." Et adjecit, "Nox est. Jubeatur ad hospitium ire, et nos, jam plene agnita ratione sua, cogitabimus pro te usque mane." Hinc ad regis præceptum repetivimus hospitium nostrum. Mane autem reversi sedimus in loco solito,¹ expectantes mandatum regis. At illi cum suis omni modo perquirebat quid in damnationem Anselmi componere posset, nec inveniebat. Requisitus Willelmus Dunelmensis quid ipse ex condito noctu egerit apud se, respondit nil rationis posse afferri ad enervationem rationis Anselmi; "præsertim cum omnis," inquit, "ratio ejus innitatur verbis Dei et auctoritate Beati Petri. Verum mihi violentia videtur opprimendus, et si regiæ voluntati non vult acquiescere, ablato baculo et anulo, de regno pellendus." Non placuerunt hæc verba principibus. Et ait rex, "Quid placet, si hæc non placent? Dum vivo, parem mihi in regno meo utique sustinere nolo. Et sic sciebatis eum tanto in causa sua robore fultum, quare permisistis me incipere placitum istud contra eum? Ite, consiliamini, quia, per Vultum Dei, si vos illum ad voluntatem meam non damnaveritis, ego damnabo vos. Ad quæ Robertus quidam ipsi regi valde familiaris, ita respondit, "De consiliis nostris quid dicam, fateor² nescio. Nam cum omni studio per totum diem inter nos illa conferimus, et quatinus aliquo modo sibi cohereant conferendo con-

Dismay and anger of the King.

A fresh adjournment.

The King goes again into council.

The Bishop of Durham makes a proposal which is scouted by the barons.

The King threatens them, but is recalled to prudence.

MS p. 71

MS. p. 72.

¹ *in loco solito*] solito loco, A. | ² *fateor*] In margin in A.

“ serimus, ipse, nihil mali econtra cogitans, dormit, et A.D. 1095.
 “ prolata coram eo statim uno labiorum suorum pulsu
 “ quasi telas aranearum rumpit.” “ Et vos, episcopi mei, He now turns to the bishops, who decline to sit in judgment on their primate.
 “ quod dicitis?” Dixerunt,¹ “ Dolemus quod animo
 “ tuo, domine, satisfacere non valemus. Primas est
 “ non modo istius regni, sed et Scottiæ² et Hiberniæ
 “ necne adjacentium insularum, nosque suffraganei ejus.
 “ Unde patet nos rationabiliter eum judicare vel dam-
 “ nare nullatenus posse, etiam si aliqua culpa in eo,
 “ quæ modo non valet, posset ostendi.” Ait, “ Quid
 “ igitur restat? Si eum judicare non potestis, nonne
 “ saltem omnis obœdientiæ fidem ac fraternæ societatis
 “ amicitiam ei abnegare potestis?” “ Hoc quidem,” in- They, however, refuse him faith and friendship, the King doing the like.
 quiunt, “ quoniam jubes, facere possumus.” “ Properate
 “ igitur, et quod dicitis citius facite, ut cum viderit se
 “ a cunctis despectum et desolatum verecundetur et
 “ ingemiscat se Urbanum, me domino suo contempto,
 “ secutum. Et quo ista securius faciatis, en ego pri-
 “ mum in imperio meo penitus ei omnem securitatem
 “ et fiduciam mei tollo, ac deinceps in illo vel de illo
 “ nulla in causa confidere vel eum pro archiepiscopo
 “ aut patre spirituali tenere volo.” Actis exhinc plu-
 ribus ac diversis contra virum machinationibus, quæ ab
 incepta sui propositi norma eum avellerent, nec in ali-
 quo proficientibus, tandem, sociatis sibi abbatibus, epi-
 scopi retulerunt patri quod dixerat rex, suam pro voto
 illius abnegationem quam prælibavimus ingerentes.
 Quibus ille respondens ait, “ Quæ dicitis audio. Sed Anselm makes a temperate and pacific reply.
 “ cum, propterea quod me ad Beati Petri principis
 “ apostolorum subjectionem et fidelitatem teneo, mihi
 “ omnem subjectionem, fidem et amicitiam quam pri-
 “ mati et patri vestro³ spirituali debetis abnegatis,
 “ non recte proceditis. Absit tamen a me similem

MS. p. 73.

¹ Dixerunt] In margin in A.² Scottiæ] Scotiæ, A.³ et patri vestro] vestro et patri, A.

A.D. 1095. “ vobis vicem rependere. Verum fraternam paternam-
 “ que vobis caritatem exhibens nitar, si pati non refu-
 “ gitis, vos ut fratres ac filios sanctæ matris ecclesiæ
 “ Cantuariensis ab hoc in quo lapsi estis trepido errore
 “ convertere, et per potestatem mihi a Domino datam
 “ ad viam rectitudinis revocare. Regi autem qui mihi
 “ omnem in regno suo securitatem adimit, meque pro
 “ archiepiscopo vel patre spirituali habere se amodo
 “ nolle dicit, omnem cum fidei servitio securitatem,
 “ quantum mea interest, spondeo, et paterno more di-
 “ ligentem animæ illius curam, si ferre dignabitur,
 “ habebō; retenta semper apud me in Dei servitio po-
 “ testate, nomine et officio pontificatus Cantuariensis
 “ qualicunque oppressione vexari contingat res exteri-
 “ ores.” Ad hæc ille respondit, “ Omnino adversatur
 “ animo meo quod dicit, nec meus erit quisquis ipsius
 “ esse delegerit. Quapropter vos qui regni mei principes
 “ estis, omnem fidem et amicitiam sicut episcopi fecerunt
 “ ei citius¹ denegate,² quatinus appareat quid lucretur
 “ in ea fide quam, offensa voluntate mea, servat aposto-
 “ licæ sedi.” Dixerunt, “Nos nunquam fuimus homines
 “ ejus nec fidelitatem quam ei non fecimus abjurare
 “ valemus. Archiepiscopus noster est, Christianitatem
 “ in hac terra gubernare habet, et ea re nos qui Chris-
 “ tiani sumus ejus magisterium dum hic vivimus decli-
 “ nare non possumus, præsertim cum nullius offensæ
 “ macula illum respiciat, quæ nos secus de illo agere
 “ compellat.” Quod ille³ repressa sustinuit ira, rationi
 eorum palam ne nimis offenderentur contraire præca-
 vens. Igitur episcopi hæc videntes confusione vultus
 sui operti sunt, intelligentes omnium oculos in se
 converti, et apostasiam suam non injuste a cunctis
 detestari. Audires enim, si adesses, nunc ab isto,

The barons
invited to
follow the
example of
the bishops,
refuse to
do so.

The King
smothers
his resent-
ment
against
them, and
the bishops
are covered
with con-
fusion.

MS. p. 74.

¹ *citius*] Not in A.

² *denegate*] MS. has *degate*, A. has *denegate*.

³ *ille*] ipse, A.

nunc ab illo, istum vel illum episcopum aliquo cognomine cum interjectione indignantis denotari, videlicet Judæ proditoris, Pilati vel Herodis, horumque similitum. Qui paulo post singulatim requisiti a rege, utrum omnem subjectionem et obcedentiam nulla conditione interposita, an illam solam subjectionem et obedientiam quam prætenderet ex auctoritate Romani pontificis Anselmo denegassent; cum quidam uno, quidam alio modo se hoc fecisse responderet; hos quidem qui nulla conditione interposita funditus ei quicquid prælati suo debebant se abjurasse professi sunt, juxta se sicut fideles et amicos suos honorifice sedere præcepit, illos vero, qui in hoc solo quod præciperet ex parte apostolici sese subjectionem et obcedentiam illi abnegasse dicere ausi sunt, ut perfidos ac suæ voluntatis inimicos procul in angulo domus sententiam suæ damnationis ira permotus jussit præstolari. Territi ergo et confusione super confusionem induti in angulum domus secesserunt. Sed reperto statim salubri et quo niti solebant domestico consilio; hoc est, data copiosa pecunia; in amicitiam regis recepti sunt. Anselmus autem, sciens omnem sibi in Anglia securitatem a rege sublatam,¹ mandavit ei dare sibi conductum quo cum suis portum maris tuto petens regno decederet, donec Deus tantæ perturbationi modum dignanter imponeret. Quo ipse audito gravi cordis molestia elanguit. Nam licet discessum ejus summopere desideraret, nolebat tamen eum pontificatus dignitate saisitum discedere, ne novissimum scandalum quod inde poterat oriri pejus fieret priore. Ut vero illum pontificatu² dissaisiret impossibile sibi videbat. Turbatus itaque, et episcoporum consilio per quod in has angustias se devolutum querebatur omisso, cum principibus consilium iniit, quid facto opus esset inquisivit. Rogant illi quatinus vir cum summa pace

A.D. 1095.

Some of the bishops, involved in fresh trouble, buy the King's forgiveness and friendship.

Anselm claims a safe-conduct to the coast.

The King, dismayed at the request, promises an answer on the morrow.

MS. p. 75.

¹ *sublatam*] *sullatam*, A.

² *illum pontificatu*] *pontificatu illum*, A.

A.D. 1095. moneatur ad hospitium suum redire, responsum regis super petitione sua mane recepturus. Fit juxta verbum illorum, et perturbatis etiam curialibus plurimis, hospitium repedavimus. Rati quippe sunt¹ hominem a terra discedere, et ingemuere.² At ille lætus et alacer sperabat se perturbationes et onera sæculi, quod semper optabat, transito mari evadere. Cum igitur inter spem a regno discedendi et metum in regno remanendi animus ipsius fluctuaret, ecce principes a latere regis mane directi, "Rogat," aiunt, "dominus noster rex te venire ad se." Ascendimus, ivimus, et, supremam de negotio nostro sententiam avidi audire, in quo soliti eramus loco consedimus. Nec mora; veniunt ad patrem nostrum proceres regni, nonnullis episcopis comitati, hæc ei dicentes, "Antiqua tui amicitia moti dolemus discordiam istam inter dominum regem et te esse exortam. Quare cupientes in pristinam concordiam vos revocare, præ- MS. p. 76. vidimus in præsentem utile fore inducias utrinque de negotio dari, quatinus, hinc usque ad definitum aliquod tempus inter vos pace statuta, nec a te illi vel suis, nec ab eo tibi vel tuis quicquam fiat quod concordie metas erumpat. Hoc, inquam, utile fore prævidimus, et volumus dicas an velis in hoc ad- quiescere nobis." Respondit, "Pacem atque concordiam non abjicio. Veruntamen videor mihi videre quid ista quam offertis pax habeat in se. Ne tamen ab aliquo judicer magis velle meo sensui quam aliorum in istis credere, concedo suscipere quod domino regi et vobis placet pro pacis custodia secundum Deum statuere, salva semper apud me debita reverentia et obœdientia domini Urbani sedis apostolicæ præsulis." Probant dictum, et referunt ad regis auditum. Dantur ergo induciæ usque ad octavas Pentecostes; ac regia fide sancitur, quatinus ex utra-

Anselm, summoned to court, is asked to agree to a truce.

He consents, and a truce is concluded, terminable on the octave of Pentecost (May 20th, 1095).

¹ *quippe sunt*] sunt quippe, A. | ² *ingemuere*] ingemuerunt, A.

que parte interim omnia ut dictum erat essent in pace. Et rex, "Si integritas," inquit, "perfectæ pacis
 " istam quæ inter nos est controversiam ante hunc
 " terminum non sedaverit, omnino qualis hac die est
 " talis in præfinito termino induciarum definienda
 " in medium reducetur."¹ His ita gestis; accepta a rege licentia, ad suam Anselmus revertitur sedem, præsciens apud se pacem et inducias illas inane et momentaneum velamen esse odii et oppressionis mox futuræ. Quod in brevi postmodum patuit. Siquidem, evolutis paucis diebus, Balduinum monachum, in quo pars major consiliorum Anselmi pendebat, et duos clericos ejus rex ipse præscripti discidii causa ab Anglia pepulit, et Anselmum in hoc facto atroci mœroris verbere perculit. Quid referam camerarium ejus in sua camera ante suos oculos captum, alios homines ejus injusto² judicio condemnatos, deprædatos, innumeris malis afflictos? Et hæc omnia infra dies induciarum et præfixæ pacis regalis constantia fidei contra virum exercebat. Passa est igitur ea tempestate ecclesia Cantuariensis in omnibus hominibus suis tam sævam tempestatem, ut fere universi conclamarent melius sibi absque pastore jam olim fuisse quam nunc sub hujusmodi pastore esse. A cujus tempestatis descriptione temperantes, modum præsentī volumini imponemus, caventes ne proluxa fatuitas et fatua prolixitas orationis legentes vel audientes, si forte aliqui fuerunt, nimio tædio afficiat.

A.D. 1095.

Anselm
 returns to
 Canterbury,
 whither
 fresh
 troubles
 follow him.

MS. p. 77.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

¹ *reducetur*] revocetur, A| ² *injusto*] in justo, MS.

A.D. 1095.

INCIPIT SECUNDUS.

Arrival in
England of
Cardinal
Walter,
Bishop of
Albano.

CUM datarum dies induciarum præstolaretur, et hinc inde fides utrorumque, Willelmi videlicet regis et Anselmi archiepiscopi, certis indicis panderetur; regis scilicet, omnia quæ sponderat in contrarium pervertendo, et pontificis, sua sponsione servata, patienter irrogatas injurias perpetiando; Albanensis episcopus, Walterus nomine, ab Urbano sedis apostolicæ præsule Roma missus Angliam venit, adducentibus eum duobus clericis, Girardo scilicet ac¹ Willelmo, qui de capella regis erant. Siquidem ipse rex, ubi sensit Anselmum suæ voluntati nolle in præscripto negotio² obtemperare, clam et Anselmo ignorante eosdem clericos Romam miserat, Romanæ statum ecclesiæ per eos volens certo MS. p. 78. dinoscere. Erant namque Romæ in illis diebus, sicut prædiximus, duo pontifices qui a diversis apostolici nuncupabantur; sed quis eorum canonicè quis secus fuerit institutus, ab Anglis usque id temporis ignorabatur. Scire itaque veritatem hujus rei, Romam missi sunt hi duo clerici; eaque cognita, jussi sunt sacris promissionibus illectum ad hoc, si possent, papam perducere, ut ipsi regi ad opus archiepiscopi Cantuariensis pallium, tacita persona Anselmi, destinaret, quod ipse rex, Anselmo a pontificatu simul et regno dejecto, cui vellet cum pontificatu vice apostolici postmodum daret. Hoc quippe disposuerat apud se, hoc suspicatus est non injuria sibi concedi posse, hoc indubitato fieri promittebat opinioni suæ.

Cardinal
Walter,
bearer of
the Arch-
bishop's
pallium,

Præfatus ergo episcopus Angliam veniens secum archiepiscopatus stolam, papa mittente, clanculo detulit. Et silenter Cantuaria civitate pertransita, Anselmoque devitato, ad regem properabat, nulli de pallio quod ferebat quicquam dicens, nullum in absentia ductorum

¹ ac] et, A.

² nolle in præscripto negotio] in præscripto negotio nolle, A.

suorum familiariter alloquens. Rex denique præceperat ita fieri, nolens mysterium consilii sui publicari. Ille, igitur, cum nonnullis diebus ante Pentecosten ad regem venisset, et ei ad singula quæ suæ voluntati accepta fore didicerat bonæ spei fiducia respondisset, nil penitus ipsi pro Anselmo locutus est quod pacem inter eos conciliaret, quod tribulationes in quibus pro fidelitate sedis apostolicæ desudabat mitigaret, quod eum ad sublevandum in Anglia Christianæ religionis cultum robararet. Super quo multi qui prius ex adventu ipsius magni spe boni tenebantur oppido admirati, "Pape," inquirunt, "quid dicemus? Si aurum et argentum " Roma præponit justitiæ, quid subventionis, quid " consilii, quid solaminis ibi deinceps in sua oppres- " sione reperient qui pro adipiscenda suæ causæ recti- " tudine non habent quod dent?"

A.D. 1095.
observes a
painful
silence on
Anselm's
affairs, to
the great
scandal of
many.

MS. p. 79.

Sentiens itaque rex episcopum ex parte Urbani cuncta suæ voluntati conniventia nunciare, et ea si ipsum Urbanum pro papa in suo regno susciperet velle apostolica auctoritate sibi dum viveret in privilegium promulgare, adquevit placito, præcipiens Urbanum in omnia imperio suo pro apostolico haberi, eique vice Beati Petri in Christiana religione obœdiri. Egit post hæc quibus modis poterat ipse rex cum episcopo, quatinus Romani pontificis auctoritate Anselmum ab episcopatu, regali potentia fultus, deponeret; spondens immensum pecuniæ pondus ei et ecclesiæ Romanæ singulis annis daturum, si in hoc suo desiderio satisfaceret. Verum cum id nulla ratione fieri posse, docente episcopo, didicisset, deficiebat animo, reputans apud se nihil in requisitione vel susceptione Romani antistitis se profecisse. Attamen, immutabile considerans quod factum fuerat, consilio cum suis inito, quærebat qualiter, servata singulari celsitudinis suæ dignitate, viro saltem¹ specie tenus amorem suum redderet, cui cru-

The King
acknow-
ledges Pope
Urban II.

The King in
vain begs
the Cardinal
to despose
Anselm.

¹ viro saltem] On erasure in A.

A.D. 1095. deliter iratus nihil poterat cupitæ damnationis pro voto inferre.

Anselm is desired to move to Hayes, the King being at Windsor.

He is visited by most of the bishops, who ask him, but in vain, to give the King money.

He claims either the King's free regard or a safe-conduct to the coast.

They tell him that the Pope has sent the pallium.

Instante igitur die in quem induciæ datæ sunt inter ipsos, mandatum est Anselmo tunc in villa sua quæ Murtelac dicitur consistenti, et ibi solennitatem Pentecostes celebranti, quatinus ad aliam villam suam quæ Heisa vocatur accederet, ubi nuncii regis curiam suam in ipsa festivitate apud Windlesoram tenentis ad eum venire, et verba regis illi, et illius possent regi deferre. Ivinus ergo illuc. Et sequenti die veniunt ad illum pene omnes episcopi Angliæ. Qui, præmissa¹ pace sui, pedetemptim explorare aggressi sunt, utrum aliquo modo illum ad hoc illicere possent, ut ipse, jam tot ac tantis adversitatibus actus, vel tunc data pecunia regis amicitiam sibi conciliaret. Ad quod cum illum more solito inflexibilem reperissent, tandem hujusmodi quæstibus eum interpellare destiterunt, subjungentes hæc, "Si ergo pro adipiscenda amicitia ipsius " nil de tuis dare vis, dic, rogamus te, compendioso ac " simplici verbo quid velis." Ait, "Dixi vobis jam " quia nunquam domino meo faciam hanc contumeliam,² ut facto probem amicitiam ejus esse venalem. " Sed si me, sicut debet, patrem suum vult gratis " diligere, et ut more archiepiscopi Cantuariensis sub " obœdientia domini papæ Urbani in Anglia vivam " permittere, gratiose suscipiam, eique, pace ac securitate potitus, sicut domino et regi meo fideliter et " opportune deserviam. Si hoc nonvult, scitis quid in " hunc diem convenit inter nos; det scilicet mihi conductum donec ad mare perveniam, et postmodum " quod intelligam me facere dekerere faciam." " Nihilne " nobis," inquirunt, "aliud dices?" Refert, "Hinc " nihil." "Dominus papa Urbanus," aiunt, rogatu " domini nostri regis stolam illi archiepiscopatus per

¹ *præmissa*] *premissa*, MS.

² *faciam hanc contumeliam*] *hanc contumeliam faciam*, A.

MS. p. 81. "episcopum qui de Roma venit direxit. Tuum igitur A.D. 1095.
 "erit considerare, quid tanto beneficio dignum regi
 "rependas. Quod enim sine multis periculis magnoque
 "labore atque constamine obtinere non posses, ecce,
 "nullo interveniente gravamine, si in te non reman-
 "serit, habes." Sensit in his Anselmus nimis implici-
 tum negotium actitatum contra se, et anxius spiritu
 dixit, "O beneficium. Cujus aestimatio quænam sit
 "penes¹ me novit Deus inspector conscientiæ meæ."
 Dixerunt, "Quomocunque facti hujus executio sedeat
 "animo tuo, laudamus et consulimus ut saltem quod
 "in via expenderes si pro hoc Romam ires regi des,
 "ne, si nihil feceris, injurius judiceris." "Nec hoc
 "quidem;" ait, "nec omnino hujus rei gratia quicquam
 "illi dabo vel faciam. Ad nihilum tenditis. Sinite."
 Præterea, quæ quantave super istis facta sint enarrare
 piget. Post quæ omnia, rex, ut diximus, principum
 suorum consilio usus, posthabita² omnis præteriti
 discidii causa, Anselmo gratiam suam gratis reddidit,
 et quemadmodum patrem regni spiritualem et episco-
 pum Cantuariensem, quod sui officii foret, illum qua-
 que per Angliam exercere concessit. Quod cum pater
 gratosus accepisset, et, donatis hinc inde retroactis
 querelis, curiæ illius apud Windlesoram se præsentasset,
 ac familiari alloquio in conspectu procerum et coad-
 unatæ multitudinis ipsum detinisset, ecce Walterus
 ille Romanus advenit. Ingressusque, "En," inquit
 alludens, "quam bonum et quam jocundum habitare
 "fratres in unum." Et sedens de pace quædam ex
 Dominicis verbis protulit, laudans eam inter illos re-
 vixisse, quam verecundabatur sua industria satam in
 eis non fuisse.

MS. p. 82. Cum autem de pallii susceptione ageretur, et quidam
 pro captanda regis gratia virum ad hoc ducere moliri-
 rentur, ut pro regiæ majestatis honorificentia illud per

They again
urge him to
give the
King
money.

He again
refuses to
do so.

The King
restores him
to favour,
and he goes
to court.

It is in vain
proposed
that the
King give
him the
pallium.

¹ *penes*] apud, A.

| ² *posthabita*] post habita, MS.

A.D. 1095. manum regis suscipere, non adquevit, rationabiliter ostendens hoc donum non ad regiam dignitatem, sed ad singularem Beati Petri pertinere auctoritatem. Unde cum omnes silentio pressi conticuissent, statutum est ut a quo pallium in Angliam delatum est, ab eodem Cantuariam super altare Salvatoris deferretur, et inde ab Anselmo, quasi de manu Beati Petri, pro summi quo fungebatur pontificatus honore sumeretur. Adquevit istis multitudo omnis, et in quo ita fieret præfixus est dies.

The Bishops of Hereford and Salisbury absolved.

Post hæc Anselmum a curia discedentem secuti sunt episcopi duo, Robertus scilicet¹ Herefordensis, et Osmundus Serberiensis, poenitentiam apud illum agentes pro culpa suæ abnegationis quam cum aliis coepiscopis suis fecerant apud Rochingeham.² Qui, misertus eorum, absolvit eos in quadam ecclesiola, quæ se nobis obtulit ambulanti bus proposita via. Ibi etiam Wilfrido episcopo Sancti David de Gualis, qui vulgo Dewi vocatur, ipsa hora reddidit episcopale officium, a quo, exigente culpa ejus, jam antea ipsemet illum suspenderat.

The Bishop of St. David's reinstated.

The Archbishop goes to Canterbury where he receives Cardinal Walter.

Deinde Doroberniam properavimus, illic adventum Romani episcopi præstolaturi. Qui episcopus juxta conductum die Dominica, quæ erat quarto Idus Junii,³ venit, pallium in argentea capsula decentissime deferens, itumque est obviam a monachis in ipsa metropoli sede Domino Christo famulantibus, associato sibi MS. p. 83. fratrum conventu vicinæ beatorum apostolorum Petri et Pauli abbatie, cum numerosa clericorum, neque immensa laicorum diversi sexus et ætatis, multitudine. Pater etiam ipse, episcopis qui ob hoc Cantuariam venerant dextra lævaque stipatus ac sustentatus, sacro beati apostolorum principis muneri nudis pedibus, sed indutus sacris vestibus, devotus occurrit. Tali devo-

¹ scilicet] Not in A.

² Rochingeham] Rochingeham, A.

³ Here Eadmer has committed an error. The real date was May 27th. See Preface.

tionis cultu pallium super altare delatum ab Anselmo assumptum est, atque ab omnibus pro reverentia Sancti Petri suppliciter deosculatum. Indutus eo dehinc pontifex summus ad celebranda missarum solennia magno cum honore adductus altario præsentatur. Ad quam missam recitata est pro officio ipsius diei illa evangelii lectio quam in consecratione ejusdem pontificis diximus super verticem ejus inventam, hoc est, "Homo quidam fecit cœnam magnam et vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare," et cætera. Quod sic evenisse nonnullis admirationi fuit, præsertim cum hoc nullo præmeditante, nullo præordinante, constiterit¹ actum. Attamen quid quidam inde dixerint, quid præconati fuerint, dicere supersedemus. Verum ex iis² quæ pro rerum gestarum veritate suo loco, adjuvante Deo, dicemus, palam erit videre ipsa verba Domini nec primo in consecratione illius³ super eo casu occurrisset, nec secundo in confirmatione ipsius consecrationis coram populo incassum lecta fuisse.

A.D. 1095.
He assumes
the pallium.

Eadmer
notes an
ominous
coincidence.

MS. p. 84.

Revocato post hæc prædicto Balduino in Angliam, et rebus aliquanta pace sopitis, venit ad Anselmum quidam monachus cœnobii Sancti Albani, natione Hibernensis, nomine Samuel. Hic, defuncto bonæ memoriæ Donato Dublinæ civitatis episcopo, a rege Hiberniæ, Murierdach nomine, necne a clero et populo in episcopatum⁴ ipsius civitatis electus est, atque ad Anselmum juxta morem antiquum sacrandus cum communi decreto directus. Quorum electioni ac petitioni Anselmus annuens, hominem aliquandiu secum honorifice detentum, necne qualiter in domo Dei conversari deberet diligenter instructum, sumpta ab eo de canonica

Samuel,
Bishop elect
of Dublin,

consecrated
by Anselm
at Win-
chester
(April 20th
1096).

¹ hoc . . . constiterit] On erasure in A., writing crowded; probably for admission of *nullo præordinante*.

² iis] his, A.

³ illius] ejus, A.

⁴ episcopatum] episcopatu, A.

A.D. 1096. subjectione sua ex antiquo more professione, promovit in episcopatus officium Wentoniæ octava die subsequenti Paschæ, ministrantibus sibi in hoc officio quatuor episcopis suffraganeis suis. Qui novus pontifex tanti patris benedictione, ac litterarum præfato regi, clero quoque ac plebi Hiberniæ, pro testimonio suæ consecrationis scriptarum astipulatione roboratus, in patriam suam cum gaudio revertitur, atque in sedem suam cum honore pro usu terræ suscipitur.

Samson, Bishop elect of Worcester, and Gerard of Hereford, consecrated by Anselm at St. Paul's (June 8th 1096).

Eodem, hoc est tertio, anno pontificatus Anselmi, electus est Samson ad episcopatum ecclesiæ Wigornensis, et Girardus, cujus supra meminimus, ad regimen ecclesiæ Herefordensis. Qui, cum in summum promovendi sacerdotium ad Anselmum pro more venissent, necdumque omnes inferiores ordines habuissent, ordinavit eos pro instanti necessitate ad diaconatum et presbyteratum unum, et alium ad presbyteratum in Sabbato jejunii quarti mensis, in villa Sancti Andreæ de Rovecestra quæ prope Lundoniam sita Lambetha¹ vocatur. In crastino autem sacravit eos Lundoniæ in sede episcopali ad pontificatus honorem, ministrantibus sibi in hoc quatuor de suffraganeis suis, Thoma videlicet archiepiscopo Eboracensi, Mauricio episcopo Lundonensi, Herberto Tydfordensi seu Norwicensi, Gundulfo Rofensi.

MS. p. 85.

Duke Robert, proposing to go to the Holy Land, pawns his duchy.

Eo tempore Robertus comes Normanniæ in expeditionem Ierosolimitanam proficisci disponens fratri suo Willelmo regi Angliæ Normanniam spatio trium annorum pecuniæ gratis in dominium tradidit. Quæ pecunia per Angliam partim data, partim exacta, totum regnum in immensum devastavit.² Nihil ecclesiarum ornamentis in hac parte indulset dominandi cupiditas, nihil sacris altarium vasis, nihil reliquiarum capsis, nihil evangeliorum libris auro vel argento pa-

¹ *Lambetha*] *Lambeta*, A.

² *devastavit*] *vastavit*, altered to *devastavit*, in A.

ratis. Conventus est et Anselmus per id temporis, et ut ipse quoque manum auxilii sui in tam rationabili causa regi extenderet a quibusdam suis est amicis admonitus. Intellexit ille et rationis esse et honestatis hoc facere, sed propriarum rerum tenuitate constrictus unde expleret quod faciendum fore videbat non habebat. Usus igitur consilio magnorum virorum, Walchelini videlicet Wentani pontificis et Gundulfi Rofensis, necne aliorum quorum hujusce negotiis consilio par credi judicabatur, de thesauro ecclesiæ Cantuariensis, partim in auro, partim in argento, valens ducentas argenti marcas, connivente majori parte conventus, accepit, quod præfato regi cum illis quæ de suis habere poterat, pro instanti necessitate, ut rebus consuleret, pariter contulit. Verum in hoc facto nullum successoribus suis quod imitarentur exemplum relinquere volens, mox dominicam villam suam quæ Petteham¹ vocatur spatio septem annorum ejusdem ecclesiæ juri concessit, quatinus ex redditibus ipsius villæ qui circiter triginta libræ denariorum illis diebus erant, illatum ecclesiæ damnum restitueretur. Et quidem eodem spatio ipsa ecclesia eadem villa potita est, et silva villæ² et toti redditus ejus in novo opere quod a majore turri in orientem tenditur, quodque ipse pater Anselmus inchoasse dinoscitur, consumpta sunt. Hæc ex gestæ rei veritate proponimus, ut ora obloquentium qui usque hodie Anselmo deprædatæ ecclesiæ crimen intentant, si fieri potest, obturemus, optantes quatinus tanto viro detrahere desinant, ne quo se, quod sibi non prosit, peccati vulnere lædant. Ipso quoque tempore eandem ecclesiam res suas in majori quam solebat libertate sua sanctione deinceps possidere constituit, et alia quædam quæ antecessores ejus in dominio suo tenebant ipsi ecclesiæ perpetuo jure possidenda concessit. His brevi per excessum, sed, ut

A.D. 1096.
Of 10,000 marks, required by William, Anselm contributes 200.

MS. p. 86.

¹ Petteham] Pettheham, A. | ² villæ] et villæ, A.

A.D. 1096. reor, non superflue dictis, ad quod cœpimus revertamur. Igitur pacto inter fratres regem videlicet Willelmum et comitem Robertum de præfato negotio facto, Willelmus mare transiit, et traditam sibi a Roberto Normanniam suæ ditioni subegit.

The King crosses over to Normandy and takes possession of it.

Quo cum demoraretur, rex Hiberniæ, Murchertachus nomine, et Dofnaldus episcopus cum cæteris episcopis, et quique nobiles cum clero et populo ipsius insulæ, miserunt nuncios ac litteras ad Anselmum, innotescentes ei civitatem quandam, Wataferdiam nomine, in una suarum provinciarum esse, cui ob numerosam civium multitudinem expediret episcopum institui, simulque petentes quatinus ipse, primatus quem super eos gerebat potestate et qua fungebatur vicis apostolicæ fretus auctoritate, sanctæ Christianitati ac necessariæ plebium utilitati instituendo eis pontificem subveniret. Jam enim sæcula multa transierant, in quibus eadem civitas absque providentia et cura pontificali consistens per diversa temptationum pericula jactabatur. Elegerant autem idem ipsi in hoc officium quendam suæ gentis virum vocabulo Malchum, eumque sacrandum cum communi decreto ad Anselmum transmiserunt. Decretum autem hoc est.

MS. p. 87.

Malchus, Bishop elect of Waterford.

Anselmo Dei gratia Anglorum archiepiscopo clerus et populus oppidi Wataferdiæ, cum rege Murchertacho et episcopo Dofnaldo, salutem in Domino.

Pater sancte, cæcitas ignorantie nos diu detrimenta salutis nostræ sustinere coegit, quia magis elegimus serviliter Dominico jugo colla subtrahere quam liberaliter pastoralis obedientie subesse. Nunc autem quantum proficiat pastorum cura cognoscimus,¹ cum aliarum rerum similitudines ad mentem revocamus, quia sine regimine nec exercitus bellum, nec navis marinum audet attemptare periculum. Navicula ergo nostra mundanis dedita fluctibus sine pastore contra callidum hostem qua ratione pugnabit? Propterea nos et rex noster

¹ *cognoscimus*] cognovimus, A. ; this and the preceding word being cramped, and on erasure.

MS. p. 88. Murchertachus et episcopus Dofnaldus, et Dermeth¹ dux noster, frater regis, eligimus hunc presbyterum Malchum Walchelini² Wentoniensis episcopi monachum, nobis sufficientissime cognitum, natalibus et moribus nobilem, apostolica et ecclesiastica disciplina imbutum, fide catholicum, prudentem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, litteratum, hospitalem, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum in gradibus singulis. Hunc nobis petimus a vestra paternitate ordinari pontificem, quatinus regulariter nobis præesse valeat et prodesse, et nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus. Ut autem omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic decreto canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus. Ego Murchertachus rex Hiberniæ subscripsi. Ego Dermeth dux, frater regis subscripsi. Ego Dofnaldus episcopus subscripsi. Ego Idunan episcopus Midiæ subscripsi. Ego Samuel Dublinensis episcopus subscripsi. Ego Ferdornachus Laginiensium episcopus subscripsi. A.D. 1096.

Subscripserunt his multo plures, quos nos brevitati studentes notare non necessarium duximus. Igitur Anselmus, considerans et intelligens eos justa et utilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo pontificem diligenter in iis³ quæ sacra jubet auctoritas examinatum, ac multorum cum vitæ suæ testimonio dignum episcopatu comprobatum, sumpta ab eo ex more de subjectionis suæ obœdientia professione, sacravit eum Cantuariæ quinto Kal. Januarii, assistentibus et cooperantibus sibi in hoc ministerio duobus episcopis suis, Radulpho scilicet Cicestrensi et Gundulfo Rofensi. Malchus consecrated by Anselm Dec. 28th 1096.

MS. p. 89. Post hos dies rex, Normannia sibi ad votum subacta, atque disposita, Angliam redit, ac, interposito parvi temporis spatio, super Walenses, qui contra eum surrexerant, exercitum ducit, eosque post modicum in deditionem suscipit, et pace undique potitus est. Sed A.D. 1097. The King returns to England and marches on the Welsh.

¹ *Dermeth*] Dermeht, A.

² *Walchelini*] Walkelini, A.

³ *iis*] his, A.

A.D. 1097. On returning he sends a letter of complaint and menace to the Primate.

quid? Cum jam multi sperarent quod hæc pax Dei servitio¹ deberet militare, et attentim expectarent aliquid magni pro emendatione Christianitatis ex regis assensu archiepiscopum promulgare, ecce spei hujus et expectationis turbatorias litteras rex a Gualis reversus archiepiscopo destinavit, mandans in illis se pro militibus quos in expeditionem suam miserat nullas ei nisi malas gratias habere, eo quod nec convenienter, sicut aiebat, instructi, nec ad bella fuerant pro negotii qualitate idonei. Præcepitque ut paratus esset de his juxta judicium curiæ suæ sibi rectitudinem facere, quandocumque sibi placeret inde eum appellare.² Ad quæ Anselmus, "Expectavimus," inquit, "pacem et non est bonum; tempus curationis, et ecce turbatio." Licet enim jam olim sciverit se, eodem rege superstite, in Anglia Christo non adeo fructificaturum, tamen quia, rogatus de subventionem Christianitatis nonnunquam solebat respondere, se propter hostes quos infestos circumquaque habebat eo intendere non valere; jam tunc illum pace positum cogitaverat super hac re convenire, et saltem ad consensum alicujus boni fructus exequendi quibus modis posset attrahendo delinire. Sed, ne cordis ejus affectus perveniret ad effectum, orta est instinctu maligni quam dixi causa discidii, utique non ex rei veritate producta, sed ad omnem MS. p. 90. pro Deo loquendi aditum Anselmo intercludendum malitiose composita. Quod ille dinoscens, et insuper cuncta regali curiæ judicia pendere ad nutum regis nilque in ipsis nisi solum velle illius considerari, certissime sciens, indecens aestimavit pro verbi calumnia placitantium more contendere et veritatis suæ causam curiali judicio, quod nulla lex, nulla æquitas, nulla ratio muniebat, examinandam introducere. Tacuit ergo, nec quicquam nuncio respondit, reputans hoc genus mandati ad ea perturbationum genera pertinere, quæ

Anselm returns no answer to the letter.

¹ *Dei servitio*] servitio Dei, A. | ² *appellare*] appellare, A.

sibi jam sæpe illata recordabatur,¹ et ideo hoc solum, ut Deus talia sedaret, supplici corde precabatur. Præterea videns ecclesias et monasteria solito intus et extra suis rebus spoliari, omnem in eis religionem exterminari, quosque sæcularium tam majores quam minores corruptæ vitæ semitas tenere, multa mala ubique fieri, et ista de die in diem, cessante disciplina, multiplicari roborarique; verebatur ne hæc Dei judicio sibi damno fierent, si quibus modis posset eis obviare non intenderet. Sed obviare impossibile sibi² videbat, quia totius regni principem aut ea facere aut eis favere perspicuum erat. Visum itaque sibi est, auctoritatem et sententiam apostolicæ sedis super his oportere requiri.³

A.D. 1097.

Reasons urging Anselm to recur to the Pope.

Cum igitur in Pentecoste festivitatis gratiæ curiæ se præsentasset, et, modo inter prandendum, modo alias, quemadmodum oportunitas se offerebat statum animi regalis quis erga colendam æquitatem esset studiose perquisisset, eumque qui olim fuerat⁴ omnimodo reperisset, nihil spei de futura ipsius emendatione in eo ultra remansit. Peractis igitur festivi oribus diebus, diversorum negotiorum causæ⁵ in medium duci ex more cœperunt. Quærebatur etiam quo ingenio prælibata causa contra Anselmum sic ageretur, ut, culpæ addictus, aut ingentem regi pecuniam penderet, aut ad implorandum misericordiam ejus caput amplius non levaturus se totum impenderet. Interea Anselmus, accersitis ad se quos volebat de principibus regis, mandavit per eos regi se summa necessitate constrictum velle per licentiam ipsius Romam ire. Ad quod ille stupefactus, "Nequaquam," ait. "Nec enim illum ali-

Anselm goes to court at Whitsuntide.

Whilst plans are concerting for the threatened prosecution, Anselm through some of the barons asks leave to go to Rome.

MS. p. 91.

¹ *quæ sibi jam sæpe illata recordabatur*] quæ jam olim sæpe sibi recordabatur illata, A.

² *impossibile sibi*] sibi impossibile, A.

³ *requiri*] inquiri, A.

⁴ *fuerat*] A subsequent insertion over the line in A.

⁵ *diversorum . . . causæ*] On erasure in A., for admission, apparently, of *negotiorum*.

A.D. 1097. "cui tali peccato obnoxium credimus, ut necesse
 "habeat inde singularem apostolici absolutionem pe-
 "tere; nec ita cujuslibet consilii expertem, ut non
 "magis illum sciamus apostolico quam apostolicum
 "sibi in dando consilio posse succurrere." Relata sunt
 His request is refused, and the suit dropped.
 Anselmo hæc, et respondit, "Potestas in manu sua est;
 "dicit quod sibi placet. At si modo non vult conce-
 "dere, concedet forsitan alia vice. Ego preces multi-
 "plicabo." His pro licentia dictis, statim omnis com-
 mentatio implacitandi Anselmum compressa omissa est,
 et nos immunes ab illa querela curia decessimus.¹

In sequenti autem mense Augusto, cum de statu
 regni acturus rex episcopos, abbates, et quosque regni
 proceres in unum præcepti sui sanctione egisset, et,
 dispositis iis² quæ adunationis illorum causæ fuerant,
 dum quisque in sua repedare sategisset, Anselmus,
 ceptæ petitionis suæ non immemor, rogavit regem
 quatinus quæsitam jam olim licentiam vel tunc repe- MS. p. 92.
 titis precibus non negaret. Sed secundo negat sicut
 primo negarat. Postea, conventu soluto, in mense
 In October he, for the third time, asks leave to go.
 Octobri Wintoniæ ad regem ex conducto venimus.
 Instantius itaque, tam per se quam per alios, regem
 pontifex orat, quatinus bono animo sibi concedat
 quod se jam tertio postulare necessitas sua coge-
 bat. Hinc ille tædio affectus iraque permotus ait, "Con-
 "turbat me, et intelligentem non concedendum fore
 "quod postulat sua graviter importunitate fatigat.
 "Quapropter jubeo ut amplius ab hujusmodi preci-
 "bus cesset, et, quoniam me jam sæpe vexavit, prout
 "judicabitur mihi emendet." Ad hæc ille, "Paratum
 "me potius sciat ratione ostendere quod justa peto,
 "et quod ipse mihi in his non debeat juste contra-
 "dicere." Respondit, "Rationes suas non admitto.
 "Sed si iverit, pro certo noverit quia totum archi-
 "episcopatum in dominium meum redigam, nec illum

The King bids him desist or pay a fine.
 He claims it as his right to go.
 The King threatens.

¹ *decessimus*] *discessimus*, A. | ² *iis*] *his*, A.

“ pro archiepiscopo ultra recipiam.” Orta est igitur A.D. 1097.
 ex his quædam magna tempestas, diversis diversæ A stormy discussion ensues, and is adjourned to the morrow.
 parti acclamantibus. Quam ob rem quidam permoti
 suaserunt in crastinum rem differri, sperantes eam
 alio modo sedari. Assensum est utrinque in istis, et
 divisi hospitium ivimus. Mane autem regressi, cum
 in loco apto sedissemus, ecce quidam episcopi cum
 nonnullis principibus ad Anselmum venientes sciscitati
 sunt quid secum ab heri de causa tractaverit. Dixit, Anselm persists in his purpose (Oct. 15th, 1097), and threatens to take leave in spite of the King.
 “ Non ea re concessi causam de qua agitis hesternò
 “ induciari, quasi ignoraverim quid hodie responsurus
 “ inde fuerim; sed ne viderer tantum meo sensui
 “ credere, ut nec una nocte ad sui discussionem dig-
 “ narer aliorum consilio cedere. Nunc ergo sciatis
 “ quia in sententia qua fui sum, et ideo precor domi-
 “ num meum quatinus bona mente et alacri vultu,
 “ ut eum decet, mihi licentiam quam postulo det, in-
 “ dubitanter sciens quod causa meæ salutis, causa
 “ sanctæ Christianitatis, et vere causa sui honoris ac
 “ profectus, si credere velit, ire dispono.” Dixerunt,
 “ Si alia quæ dicas habes, profer. De licentia nempe
 “ supervacue loqueris. Non dabit.” “ Si dare,” ait,
 “ non vult, ego utique illam super me accipiam; quia
 “ scriptum est, ‘Obœdire oportet Deo magis quam
 “ ‘hominibus.’” Ad hæc Walchelinus Wentanus epi-
 scopus aspiciens in eum dixit, “Et quidem dominus
 “ meus rex et proceres sui credunt te esse hujusmodi
 “ moris, ut non facile ab iis¹ quæ certo inceperis
 “ movearis. Verum in hoc, scilicet ut, spreto tanti
 “ pontificatus honore simul et utilitate, Romam petas,
 “ non leve est credere quod stabilis maneat.” At The Bishop of Winchester tries to cajole him into staying.
 ille sciens animum viri, vivido vultu, intentis in eum
 oculis, respondit, “Vere stabilis.” Quo dicto, ad regem
 reversi quæ audierant retulerunt. Rege igitur con-
 silia sua protelante, et summo pontifice cum suis

MS. p. 98.

¹ iis] his, A.

A.D. 1097. sedente, occurrit animo episcopos æquius esse debere in suo, quod erat Dei, quam in consilio regis terreni. Mittens ergo præcepit eos venire ad se. Erant autem hi, Walchelinus episcopus Wintoniensis, Robertus Lincolniensis, Osmundus Serberiensis, Johannes Bathoniensis. Qui cum dexta lævaque illius jussi consedisent, ait illis, “Fratres, ideo feci vos venire ad me, “ quia vestri officii est ea quæ Dei sunt præ cæteris “ tractare, disponere, servare. Episcopi enim estis, “ prælati in ecclesia Dei estis, filii Dei estis.¹ Si ergo MS. p. 94. “ ita fideliter et districte vultis in mea parte considerare atque tueri rectitudinem et justitiam Dei, “ sicut in parte alterius perpenditis atque tuemini “ jura et usus mortalis hominis, hocque mihi promittitis, exponam vobis sicut fidelibus et filiis Dei quod “ tendat hæc mei præsentis consilii summa, et audiam “ sequarque consilium quod mihi inde vestra fida Deo “ industria dabit.” Dixere, “Loquemur, si placet, ad “ invicem, et communem consensum referemus ad te.” Surgentes itaque in partem sese tulere,² et, habitis inter se nonnullis verbis, miserunt Wentanum pontificem et episcopum Lincolnium ad regem, percunctari de negotio voluntatem ac jussum illius. Edocti ergo propter quæ missi erant, ad socios reversi docuerunt eos quæ didicerant. Quid plura? Placuit eis in commune sequi voluntatem hominis terreni, illicoque ad Anselmum una reversi,³ dixerunt ei, “Domine pater, “ scimus te virum religiosum esse et sanctum, et in “ cælis conversationem tuam. Nos autem, impediti “ consanguineis nostris quos sustentamus, et multiplicibus sæculi rebus quas amamus, fatemur, ad sublimitatem vitæ tuæ surgere nequimus, nec huic mundo tecum illudere. Sed si volueris ad nos “ usque descendere, et qua incedimus via nobiscum

Anselm begs the advice of the bishops at Court.

The bishops decline to render him assistance.

¹ *filiï Dei estis*] Not in A.
² *tulere*] *tulerunt*, A.

³ *ad Anselmum una reversi*] *reversï una ad Anselmum*, A.

“ pergere, nos tibi sicut nobis ipsis consulemus, et A.D. 1097
 “ negotiis tuis, quæcunque fuerint, ubi opus erit,¹
 “ sicut nostris opem feremus. Si vero te ad Deum
 “ solummodo quemadmodum cœpisti tenere delegeris,
 “ solus, quantum nostra interest, in hoc ut hactenus
 “ fuisti et amodo eris. Nos fidelitatem quam regi
 MS. p. 95. “ debemus, non excedemus.” At ille ait, “ Bene dix-
 “ istis. Ite ergo ad dominum vestrum, ego me tenebo
 “ ad Deum.” Fecerunt ut dixerat, et remansit Ansel-
 mus quasi solus. Facta deinde aliquantula mora, et
 unoquoque nostrum, qui admodum pauci cum eo re-
 mansimus, ad imperium illius singulatim sedente, et
 Deum pro digestionem ipsius negotii interpellante,
 veniunt prædicti episcopi cum aliquibus baronibus
 regni, inferentes viro hæc, “ Mandat tibi rex quia
 “ sæpe diversis eum querelis exagitasti, exacerbasti, The King
sends him a
message
offering him
two alterna-
tives.
 “ cruciasti. Verum cum tandem, post placitum quod
 “ totius regni adunatione contra te apud Rochingeham
 “ habitum est, eum tibi sicut dominum tuum recon-
 “ ciliari sapienter peteres, et, adjutus meritis et precibus
 “ plurimorum pro te studiose intervenientium, petitioni
 “ tuæ effectum obtineres, pollicitus es ipsi te usus ac
 “ leges suas usquequaque deinceps servaturum, et eas
 “ sibi contra omnes homines fideliter defensurum. Qui-
 “ bus ipse credulus factus sperabat se de cætero quie-
 “ tum fore. Sed hanc pollicitationem, hanc fidem, en tu
 “ patenter egrederis, dum Romam, non expectata licen-
 “ tia ejus, te iturum minaris. Inauditum quippe in
 “ regno suo est, et usibus ejus omnino contrarium,
 “ quemlibet de suis principibus, et præcipue te, quid
 “ tale præsumere. Ne igitur in hujusmodi re
 “ ultra vel a te, vel a quovis alio, te forsam cum
 “ in aliquo læsus fuerit imitari volente, fatigetur,
 “ vult et jubet quatinus aut jurejurando promittas

¹ *erit*] fuerit, A.

A.D. 1097 “ quod nunquam amplius sedem Sancti Petri vel
 “ ejus vicarium pro quavis quæ tibi queat ingeri
 “ causa appelles, aut sub omni celeritate de terra MS. p. 96
 “ sua recedas. Et si mavis, interposito hoc sacra-
 “ mento, remanere quam recedere, tunc te ad judi-
 “ cium curiæ suæ præcipit sibi emendare, quod de re
 “ in qua non eras certus te perseveraturum ausus fuisti
 “ eum totiens inquietare.” Dixerunt, et ad regem pro-
 tinus reversi sunt. Tunc Anselmus cum suis pauca
 locutus surrexit, atque ad regem, nobis eum prosequen-
 tibus, ingressus, dextram illius ex more assedit. Deinde
 mandatis quæ a nunciis acceperat in audientia ejus
 singulatim recapitulatis, percunctatus est utrumnam¹ a
 facie ipsius eo quo sibi dicta fuerunt² modo vere pro-
 cesserint. Et audito revera processisse, illico quid inde
 sentiret tali subintulit voce dicens, “ Quod dicis me
 “ tibi promississe usus et consuetudines tuas servaturum,
 “ et eas contra omnes homines tecum fideliter defen-
 “ surum ; fateor verum esse cognoscerem, si eo illas
 “ pacto distinguendo proferres, quo tunc temporis quan-
 “ do promissio ipsa de qua agis facta est eas fuisse
 “ distinctas indubitanter recordor. Scio quippe me
 “ spondisse, consuetudines tuas, ‘ ipsas videlicet quas
 “ ‘ per rectitudinem et secundum Deum in regno tuo
 “ ‘ possides, me secundum Deum servaturum, et eas
 “ ‘ per justitiam contra omnes homines pro meo posse
 “ ‘ defensurum.’ ” In his verbis cum rex et principes
 sui cæca mente objicerent, ac jurisjurandi interjectione
 firmarent, nec “ Dei ” nec “ rectitudinis ” in ipsa sponsi-
 one ullam mentionem factam fuisse ; rupit voces eorum
 Anselmus et ait, “ Pape, si nec Dei nec rectitudinis
 “ mentio, ut dicitis, facta fuit, cujus tunc ? Absit ab
 “ omni Christiano, absit leges vel consuetudines tenere MS. p. 97.

Anselm re-
 pairs to the
 King and
 quotes the
 promise
 made in
 1095.

The King
 and his ad-
 herents
 deny the
 accuracy of
 the quota-
 tion.

Anselm re-
 plies, and
 then ad-
 dresses the
 King.

¹ *mandatis . . . utrumnam*] Era-
 sure in A. ; writing cramped and
 carried out into margin.

² *fuerunt*] Altered in A. from
uerant.

A.D. 1097.

“ aut tueri quæ Deo et rectitudini contrariæ esse
 “ noscuntur.” Cum ad hæc illi summurmurantes contra
 virum capita moverent, nec tamen quid certi viva voce
 proferrent, ad ea quæ cœperat subinferens pater ait,
 “ Sed quod asseris consuetudinis tuæ non esse, ut ego
 “ causa salutis animæ meæ, causa regiminis ecclesiæ
 “ Dei quod suscepi, Beatum Petrum requiram et ejus
 “ vicarium; pronuncio hanc consuetudinem Dei recti-
 “ tudini¹ contraire, et iccirco eam non modo non
 “ tuendam vel servandam, sed penitus² ab omni servo
 “ Dei spernendam profiteor ac refutandam. Quod si
 “ per ista quæ dico quisquam probaturum se dixerit
 “ me fidem quam tibi debeo non servare, paratum me
 “ sicut et ubi debeo ad demonstrandum inveniet magis
 “ in hoc me tibi esse fidelem quam si secus agerem.
 “ At nunc ad hoc ostendendum non intendo. Scitur
 “ tamen, quia omnis fides quæ cuivis homini legaliter
 “ promittitur, ex fide Dei roboratur. Sic enim spondet
 “ homo homini, ‘ Per fidem quam debeo Deo, fidelis tibi
 “ ‘ero.’ Cum ergo fides quæ fit homini per fidem Dei
 “ roboretur, liquet quod eadem fides siquando contraria
 “ fidei Dei admittit³ enervetur. Sed disputatio rei
 “ hujus non est temporis hujus. Itaque fides quam
 “ debeo Deo, et servitium ejus, cogunt me ad caput
 “ Christianitatis papam accedere, et ab eo pernecessari-
 “ um ecclesiæ Dei et mihi consilium petere, nec videtur
 “ quod aliquis Deum offendere timens hoc debeat pro-
 “ hibere. Nec enim tu, rex, æquanimiter ferres si quili-
 “ bet de hominibus tuis potens ac dives ullum suorum
 “ fidelitati servitioque tuo intendentem præpediret, ac
 “ præpeditum minis et terroribus ab exsequenda⁴ uti-
 “ litate tua prohiberet; verum debita in eum ultione

MS. p. 88.

¹ *Dei rectitudinî*] Deo et recti-
 tudini, A.

² The words *eam non modo non
 tuendam vel servandam, sed penitus*
 are not in A.

³ *Dei admittit*] On erasure in A.;
 writing crowded, probably for ad-
 mission of *Dei*.

⁴ *exsequenda*] exequenda, MS.

A.D. 1097. "violatæ quam tibi debebat fidei reatum punires." He is interrupted and shouted down. Tunc rex et comes de Mellento, Robertus nomine, interruptentes verba ejus, "O, o," dixerunt, "prædicatio est quod dicit, prædicatio est; non rei qua de¹ agitur ulla quæ recipienda sit a prudentibus ratio." Quibus cum quique procerum acclamarent, et os patris suis vocibus oppilare laborarent, ipse inter ora perstreptentium demisso vultu mitis sedebat, et clamores eorum quasi surda aure despiciebat. Fatigatis autem eis a proprio strepitu, sedatoque tumultu, Anselmus ad verba sua remeat, dicens, "Ad ea quæ jubes, ut, quo securus de me possis amodo esse, jurem tibi quod nunquam amplius pro qualibet causa Beatum Petrum vel vicarium ejus² in Anglia appellem; dico hujusmodi jussionem tuam, qui Christianus es, omnimodis esse non debere. Hoc enim jurare, Beatum Petrum abjurare est.³ Qui autem Beatum Petrum abjurat, Christum qui eum super ecclesiam suam principem fecit indubitanter abjurat. Cum igitur propter te, O rex, Christum negavero, fateor, peccatum quod in requirenda licentia admisi iudicio curiæ tuæ non segnīs emendabo." His verbis præfatus comes indignando subjungens, ait, "Eia, eia, Petro et papæ te præsentabis, et nos equidem non transibit quod scimus." Cui pater respondit, "Deus quidem novit quid vobis manebit, et mihi ad apostolorum suorum MS. p. 99. limina properanti, si sibi placet, auxiliari valebit." Post hæc surrexit; atque ad locum unde exieramus reversos e vestigio nuncii regis subsecuti, intulerunt viro hæc, "Ecce ibis. Veruntamen scias dominum nostrum pati nolle, te euntem⁴ quicquam de suis tecum ferre." At ille, "Equitaturas habeo, vestes quoque et supellectilem, quæ fortassis dicet aliquis esse de

He resumes his address to the King.

Leaving the room he is followed by a message from the King.

¹ qua de] de qua, A.

² vicarium ejus] ejus vicarium,

A.

³ abjurare est] est abjurare, A.

⁴ euntem] exeuntem, A.

" suo. Hæc si non permittit ut mecum habeam, no- A.D. 1097.
 " verit quia potius pedes ac nudus abibo quam cœpto
 " desistam." In istis princeps pudore suffusus dictum
 suum non ita se intellexisse¹ respondit, "Nec enim
 " dixi," ait, "ut nudus aut pedes abiret. At tamen
 " die qui erit undecimus ab isto jubeo ut mare trans- Orders are
 given for
 his de-
 parture
 from Eng-
 land.
 " iturus ad portum sit; et ibi nuncius meus ipsi
 " obvius erit, qui dictabit ei quid ex permissu meo
 " ille vel sui discedentes secum ferant." His tali
 modo digestis, statim volebamus ad hospitium sece-
 dere. Sed Anselmus, doctus in patientia possidere
 animam suam, jocundo et hilari vultu ad regem re- He returns
 to the King
 and offers
 him his
 blessing.
 vertitur dicens ei, "Domine, ego vado. Quod si bono
 " animo vestro fieri vobis placeret, utique et vos
 " magis deceret, et omni bono homini acceptius esset.
 " At nunc rem in contrarium lapsam, licet moleste
 " quantum ad vos, quod tamen mea refert, æquanimiter
 " pro posse feram; nec ob hoc me ab amore salutis
 " animæ vestræ, miserante Domino, auferam. Nunc
 " igitur ignorans quando vos iterum visurus sim, Deo
 " vos commendo; et, sicut spiritualis pater dilecto filio,
 " sicut archiepiscopus Cantuariensis regi Angliæ, vobis
 " Dei et meam benedictionem antequam abeam, si eam
 " non abjicitis, tribuere volo." Tunc rex, "Benedic-
 " tionem," ait, "tuam non abjicio." Mox ille surgens He blesses
 the King
 and goes
 (Oct. 15th,
 1097).
 levata dextra signum sanctæ crucis super regem ad
 hoc caput humiliantem edidit, et abscessit, viri alacri-
 tatem rege cum suis admirante. Anno ab Incarnatione
 Filii Dei millesimo nonagesimo septimo acta sunt hæc,
 feria quinta quæ fuit Idus Octobris.

MS. p. 100.

Venit dehinc Cantuariam Anselmus, ubi sedes pon- Anselm
 returns to
 Canterbury
 and takes
 leave of his
 monks.
 tificalis, ubi totius regni caput est atque primatus.
 Postera die allocutis, et pro instanti negotio magno-
 pere consolatis, filiis suis, astante monachorum, cleri-
 corum, ac numerosa populorum multitudine, peram et

¹ *se intellexisse*] intellexisse se, A.

A.D. 1097. baculum peregrinantium more coram altari suscepit, commendatisque omnibus Christo, ingenti fletu et eju-
 He goes to
 Dover,
 where he is
 detained for
 a fortnight.
 A clerk of
 the King's
 household
 overhauls
 his baggage.
 He sets sail.
 He lands at
 Wissant.
 The King's
 conduct.

latu prosecutus egressus est. Ipso die ad portum
 Dofris ivimus, ibique clericum quendam, Willelmum
 nomine, a rege ex conducto, ut diximus, ad Anselmum
 directum reperimus. Detenti autem ibi sumus quin-
 decim diebus, vento nobis transitum prohibente. In
 qua mora idem Willelmus cum patre intrans et exiens,
 et in mensa illius quotidie comedens, nihil de causa
 pro qua missus fuerat agere volebat. Die vero quinto
 decimo, cum nos nautæ urgerent naves petere et nos
 transire avidi ad hoc fatigaremur, ecce videres rem
 miserandam. Patrem patriæ, primatem totius Britan-
 niæ Willelmus ille, quasi fugitivum vel alicujus imma-
 nis sceleris reum, in littore detinet, ac ne mare trans- MS. p. 101.
 eat ex parte sui domini¹ jubet, donec omnia quæ
 secum ferebat singulatim sibi² revelet. Allatæ igitur
 ante illum bulgiæ et manticæ reseratæ sunt, et tota
 supellex illius spe pecuniæ reperiendæ subversa et ex-
 quisita est, ingenti plebis multitudine circumstante, ac
 nefarium opus pro sui novitate admirando spectante,
 et spectando execrante. Rebus ergo eversis, sed nihil
 eorum quorum causa eversæ³ sunt in eis reperto, de-
 lusa sollicitudo perscrutantis est, et Anselmus cum
 suis abire permissus. Itaque navem ingredimur, ven-
 tis vela panduntur; et post modicum, orta aliquanta
 difficultate sed ea respectu clementiæ Dei in brevi
 sedata, prosperrime marinos fluctus evecti Witsandis
 pro voto appulimus.

Rex autem Willelmus ubi audivit Anselmum trans-
 fretasse, confestim præcepit cuncta quæ illius juris
 fuerant⁴ in suum transcribi dominium, et irrita fieri
 omnia quæ per ipsum mutata vel statuta fuisse pro-

¹ *sui domini*] domini sui, A.

² *singulatim sibi*] sibi singulatim,
 A.

³ *quorum causa eversæ*] On erasure in A.

⁴ *fuerant*] On erasure in A.

bari poterant ex quo primo venerat in archiepiscopatum. Desævit igitur quaque per episcopatum tam sæva tempestas, ut tribulationes quæ factæ sunt in illo post mortem venerandæ memoriæ Lanfranci ante introitum patris Anselmi parvipensæ sint comparatione tribulationum quæ factæ sunt his diebus. A.D. 1097.

Nos igitur mane a Witsandis discedentes, et post dies ad Sanctum Bertinum venientes, magna plebis alacritate ac monachorum veneratione suscepti, quinque inibi dies morati sumus. Interea rogatur Anselmus a canonicis Sancti Audomari ecclesiam suam visitare, ibique altare quod in honorem Sancti Laurentii martyris fecerant, dedicare. Adquievit ille precibus eorum, ministerioque decenter expleto, pransus abbatiam repetiit, objiciens clericis secum illum remorari petentibus Domini dictum, quo discipulos suos jubet de domo in domum non transire. Anselm leaves Wissant for St. Bertin's.

MS. p. 102.

Post hæc nobis cœptum iter accelerantibus fama viri multo celerius præcurrebat, et multiplices populos voce replebat. Unde turbarum concursus, clericorum cœtus, monachorum exercitus ei quocunque veniebat occurrunt, isti gaudio et exultatione concrepantes, illi vexillis et sonoris concentibus Deo pro illius adventu conjubilantes. Verum, sicut quidam ad venerationem et ministerium ejus omni studio parabantur, ita quidam e diverso alio spiritu acti eum capere, eum suis rebus spoliare moliebantur. Sed ubi adest Divina protectio, quid valet humana molitio? Transita Francia, Burgundiam intravimus. Percussæ autem fuerant aures ducis illius terræ diviti fama archiepiscopi Cantuariensis per terram suam transire volentis. Unde succensus amore pecuniæ, quam copiosam illum ferre rumor disperserat, proponit animo eam ipsi auferre. Quadam igitur die, cum in itinere essemus, et refrigerandi gratia a via paulisper declinasset, ecce dux idem armata militum manu stipatus in equis ocior advolat, et clamore valido quis vel ubi esset archiepi- He pursues his journey through France and enters Burgundy.

He is encountered by the Duke of Burgundy.

A.D. 1097. scopus interrogat. Quem cum sibi designatum mox equo sedentem torvo fuisset aspectu intuitus, subito pudore percussus demisso vultu erubuit, et quid diceret non invenit. Cui pater, "Domine," ait, "dux, si placet osculabor te." Et ille, "Osculari et servire tibi, domine pater, paratus sum; ac de adventu tuo in Deo gratiosus exulto." Dato igitur osculo pacis, dicit ad illum pater, "Causa religionis Christianæ, vir venerande, Angliam exivi; et, miserante Deo, Romam ire disposui. Nunc autem videns te lætor et gaudeo, cum ¹ quia cognitionem et amicitiam tuam, tum quia securitatem et pacem in terra tua me ac meos deinceps per te habere desidero." Respondit, "Et quidem quod dicis multum amo et volo, meque tuis orationibus benedictionique committo." Quibus dictis, præcepit cuidam qui de suis ibi potentior aderat, quatinus virum per terram suam conduceret, eique ubi opus haberet non secus ² quam sibi ipsi ministraret. Discedens itaque odium Dei omnibus imprecatus est, qui se ad insequendum hominem Dei concitaverant. "Nec enim hominis, sed vultus," ait, "angeli Dei fulget in eo. Unde sciant omnes qui ei scienter infesti sunt, quia maledicti a Deo sunt." Nos hinc Deo pro sua misericordia debitas ex corde gratias agentes, itinere cæpto perreximus.

He reaches Cluny (Dec. 23rd, 1097.)

Venimus vero Cluniacum tertio die ante Nativitatem Domini, ibique a toto illius monasterii monachorum agmine summa cum veneratione pater suscipitur, et cuncta loci ipsius gaudio lætitiaque replentur. Quid deinde? Donec ibi fuit, ut paucis dicam, singulari præ omnibus id loci venientibus reverentia, habitus est.

Hugh, Archbishop of Lyons, invites him to that city.

Mittit interea nuncium, qui suum venerabili Hugoni archiepiscopo Lugdunensi notificet adventum. Erat quippe idem vir Anselmo jam ex multis præce-

¹ cum] tum, A.

| ² secus] On erasure in A.

dentibus annis notus, et, sanctæ dilectionis illius igne succensus, magno videndi eum desiderio fatigabatur. Quem etiam Anselmus in tantum diligebat, ejusque prudentiam atque consilii auctoritatem tanti pendebat, ut statuerit apud se summam negotii sui considerationi ac¹ dispositioni ejus, necne reverendi Hugonis Cluniacensis abbatis, ex integro commendare. Hic itaque pontifex, audito Anselmum suis finibus accessisse, oppido lætatus est. Et dirigens ad eum quos familiares ac digniores circa se habebat, quatinus suam ecclesiam² seque ipsum sine mora dignaretur invisere obnixè deprecatus est. Mandavit insuper episcopo Matisconensi ut viro decenti honore occurreret, et officiosissime deserviret. Quod ipse diligenter executus est. Ubi vero Lugdunum venimus, qua veneratione ab ipso summo pontifice et suis omnibus suscepti simus, et enarrare difficile et dictu fortassis est incredibile. Quo cum demoraremur,³ didicit Anselmus ex iis quæ fama ferebat non multum suæ causæ profuturum, si ipse in ulteriora procederet. Imbecillitas quoque sui corporis residuæ viæ laborem perhorrebat, et insidiæ quæ ab indigenis illarum regionum ea tempestate comitantibus, et maxime religiosi ordinis viris, struebantur eum non nihil retardabant. Itaque Lugduni resedit, cunctis valde acceptus et honorabilis.

A.D. 1098.
He accepts the invitation and is received with great ceremony.

MS. p. 105.

Scriptam dehinc epistolam unam sedis apostolicæ præsulī destinavit; in qua quid illi de iis⁴ quæ acciderant suggererit quoque animi sui desiderium intenderit, tenor ipsius epistolæ quam subscribimus designabit.

He writes to the Pope from Lyons.

Domino et patri cum amore reverendo et cum reverentia amando, summo pontifici Urbano, frater Anselmus, servus ecclesiæ Cantuariæ, debitam subjectionem et orationum devotionem.

¹ ac] et, A.

² suam ecclesiam] ecclesiam suam, A.

³ cum demoraremur] On erasure in A.

⁴ iis] his, A.

A.D. 1098. Novimus, domine reverende et pater diligende, quia Dominus noster Jesus Christus sublimavit sanctitatem vestram in ecclesia sua ad consulendum et subveniendum iis¹ qui, ad supernæ patriæ requiem anhelantes, in hujus sæculi exilio diversis fatigantur tribulationibus. Hac igitur spe et consideratione, ego humilis servus vester in angustiis cordis mei ad sinum paternæ et apostolicæ pietatis vestræ per exhibitionem præsentis meæ confugere disposui; sed hoc utique facere non possum sicut desidero. Cur autem non possim, per præsentium latorem cognoscetis. Quoniam ergo per memetipsum præsentiam vestram secundum desiderium meum adire nequeo, per litteras, ut possum, clementiæ vestræ angustias meas insinuo, quatinus ejus consolatione eadem angustia mitigentur, et anima mea desideratam tranquillitatem per affectum vestræ compassionis se adipisci gratuletur. Tanta enim est cordis mei tribulatio, ut nec verbis nec litteris sufficiam illam exprimere, sed oro Deum qui novit occulta ut eam vos intelligere faciat, et per viscera misericordiæ suæ viscera vestra ad ejus miserationem secundum desiderium² et necessitatem meam commoveat. De hac tamen mea necessitate et meo desiderio aliqua aperio, per MS. p. 106. quæ vestram prudentiam posse intelligere quid mihi expediat non dubito. Notum est multis, mi pater pie, qua violentia, et quam invitatus, et quam contradicens captus sim et detentus ad episcopatum in Anglia, et quomodo obtenderim repugnantiam ad hujusmodi officium naturæ, ætatis, imbecillitatis et ignorantia meæ, quæ omnino omnes sæculi actiones fugiunt et inconsolabiliter execrantur, ut nullatenus illas tolerare possim cum salute animæ meæ. In quo archiepiscopatu jam per quatuor annos manens nullum fructum feci, sed in immensis et execrabilibus tribulationibus animæ meæ inutiliter vixi, ut quotidie magis desiderarem mori extra Angliam, quam ibi vivere. Nam si ita vitam præsentem sicuti eram ibi finirem, plus videbam animæ meæ damnationem quam salutem. Videbam enim multa mala in terra illa, quæ nec tolerare debebam nec episcopali libertate corrigere poteram. Ipse quoque rex faciebat quædam quæ facienda non videbantur de ecclesiis quas post obitum prælatorum aliter quam oporteret tractabat. Me etiam et ecclesiam Cantuariensem multis modis gravabat. Terras namque ipsius ecclesiæ quas post mortem

¹ iis] his, MS.

² miserationem secundum desi-

derium] On erasure and in margin in A.

archiepiscopi Lanfranci, cum in manu sua archiepiscopatum teneret, militibus suis dederat, mihi sicut eas idem archiepiscopus tenuerat non reddebat, sed insuper alias secundum libitum suum, me nolente, dabat. Servitia gravia et antecessoribus meis inusitata, ultra quam ferre possem aut pati deberem, a me exigebat. Legem autem Dei et canonicas et apostolicas auctoritates voluntariis consuetudinibus obrui videbam. De his omnibus cum loquebar, nihil efficiebam; et non tam simplex rectitudo quam voluntariæ consuetudines obtinebantur. Sciens igitur quia si hæc ita usque in finem tollerem in damnationem animæ meæ successoribus meis tam pravam consuetudinem confirmarem, nec de his placitare poteram; nullus enim aut consilium aut auxilium mihi ad hæc audebat dare; petii a rege licentiam adeundi vestram paternitatem, quatinus illi et cordis mei angustias ostenderem, et deinde ejus consilio et auxilio quod salubrius esset animæ meæ agerem. Qua de re iratus petiit ut de hujus¹ licentiæ petitione quasi de gravi offensa illi satisfacerem, et securum illum facerem me deinceps nullo modo requisiturum pro aliqua necessitate apostolicum, nec saltem inde locuturum, aut si unquam hoc facturum eram in præsentem hoc facerem. Sic itaque mare transii intentione ad vos veniendi. Quod, sicut dixi, facere non possum. Quoniam autem impossibile est me hujusmodi vitæ concordare, aut animam meam in tali episcopatu salvari, cum² propter rerum quas dixi qualitates, tum propter meas multimodas et sensus et morum et naturæ et ætatis imbecillitates, hæc est summa supplicationis meæ propter quam ad vos ire volebam, ut, sicut Deum animæ meæ et animam meam Deo desideratis, per paternam et apostolicam pietatem quæ cor vestrum inhabitat animam meam de vinculo tantæ servitutis absolvatis, eique libertatem serviendi Deo in tranquillitate reddatis, ne abundantiore tristitia, sicut jam nimis passa est, absorbeatur, et de dolore temporali ad æternum pertrahatur; deinde ut ecclesiæ Anglorum secundum prudentiam et auctoritatem apostolatus vestri consulatis. Omnipotens Dominus vestram sanctitatem nobis in suæ gratiæ prosperitate diu servet incolumem, et conterat Sathanan et portas inferi sub pedibus vestris. AMEN.

MS. p. 108.

Inter hæc Romam usque divulgatum est, archiepiscopum Cantuariæ, primatem Britanniæ, multo auri

¹ hujus] On erasure in A.

| ² cum] tum, A.

A.D. 1098. et argenti pondere onustum, mare transisse, Romam pergere. Accensi ergo nonnulli cupiditate non bonam viam observant, exploratores ponunt, laqueos parant¹ ut eum capiant. His tamen quammaxime homines Alamannici regis intendebant, ob dissensionem quæ fuerat illis diebus inter papam et ipsum. Supererat quoque ea tempestate Wibertus archiepiscopus Ravennas, qui, de apostolatu quem contra jus invaserat pulsus, omni religiosæ personæ Romam petenti per se suosque modis quibus poterat struebat insidias. Unde quidam episcopi, monachi, et religiosi clerici, ea sæviente persecutione, capti, spoliati, multisque contumeliis affecti, necati sunt. Spe igitur maxima manus iniqua sibi confisa est simili poenarum genere sese Anselmum damnaturam. Sed ille, ut diximus, Lugduni remansit, reditum nunciorum suorum ibi opperiens. Cum vero malignantes illi moram ex adventu ejus extra spem paterentur, didicerunt a peregrinis eum, valida corporis infirmitate tentum, a Lugduno amplius non promovendum. Quod dictum peregrinorum non fuit ex toto veritati contrarium. Infirmitas nempe fuerat, ut de sanitatis illius recuperatione desperatio nos non parva teneret. Quo illi audito, consternati sunt animo, et quam de Anselmi disturbance spem habebant, perdiderunt. Verum languore magna ex parte sopito, et rumore qui populos de processu ipsius repleverat circumquaque extincto, ecce quos Romam miserat nuncii veniunt, et quod omni excusatione sublata eum ad se papa properare præceperit referunt. Quid moror? Nescius moræ apostolicis jussis abaudit,² viæ se periculis mortem pro Deo non veritus tradit.

MS. p. 107
bis.

The Pope summons him to Rome.

He leaves Lyons (Mar. 16th, 1098).

Discedentes igitur a Lugduno tertia feria quæ ante Dominicum diem palmarum erat, venimus in subse-

¹ *parant*] On erasure in A.; perhaps for *preparant*.

² *abaudit*] The corresponding

passage in the *Vita* has *obaudit*. So has A.

quenti Sabbato ad villam quamquæ Aspera dicitur. In qua cum hospitati atque refecti fuisset, visum patri est decentius inter monachos qui in eadem villa cohabitabant quam inter villanos nocte illa nos conversari, cum¹ propter religionem monachici ordinis, tum propter officium imminens noctis atque diei. De re itaque mandatum monachis est, et alacres assenserunt. Eramus quippe tres monachi qui hoc quærebamus, dominus videlicet et pater Anselmus, præfatus Balduinus, et ego qui hæc scribo, frater Eadmerus. Qui ita ibamus quasi pares essemus, nullo patrem nostrum coram aliis dominandi jure sequente. Cum ergo² monachi illi nobiscum sicut peregrinis vespertina hora loquerentur, et unde venissemus percunctarentur, respondimus de Franciæ partibus nos adventasse et Romam usque, si Deus concederet, ire velle. At illi, "In nihili tenditis," inquit. "Nam viam istam quam aggredimini nullus in habitu religioso peragere potest quin capiatur multisque injuriis afficiatur. Quod archiepiscopus Cantuariensis intellegens sapienti consilio usus est. Proposuit namque idem vir se pro sua, ut fertur, causa nuper Romam iturum, et venit usque Placentiam. Verum cum illic sequentis viæ pericula didicisset, reversus est, et nunc Lugduni moratur." Ad hæc Balduinus ait, "Et ille bene quidem fecit; et nos, quia servitio Dei et obediencia spiritualis patris ire compellimur, quantum nobis licuerit, ducente Domino, progrediemur. Quando ultra non potuerimus, salva obediencia nostra revertemur." "Ducat vos," aiunt, "benignus Deus." Celebrato igitur inter eos noctis officio atque diei, nos viæ reddidimus.

Exhinc cum Romam prospero itinere pervenissemus, et Anselmus decentissime a papa³ susceptus de

He reaches Rome and is welcomed by the Pope,

MS. p. 108
bis.

¹ cum] tum, A.
² ergo] igitur, A.

³ decentissime a papa] a papa decentissime, A.

A.D. 1098. who writes to the King, as does Anselm. sui adventus causa requisitus fuisset, eo illam ordine retulit quo in epistola¹ quam a Lugduno, ut diximus, ei direxit, ipsam digessit. Audit ille quæ feruntur, et subventionem pollicetur. Scribit litteras Willelmo regi Angliæ, in quibus ut res Anselmi liberæ in regno suo faceret, ac de suis omnibus illum revestiret, monet, hortatur, imperat. Scribit quoque Anselmus sub eadem materia litteras, et eas una cum litteris papæ ipsi regi destinat. Mansimus ergo Romæ decem diebus, in palatio Lateranensi cum papa degentes.

Abbot John of San Salvatore at Telese sends him an invitation. Præerat eo tempore abbas quidam Johannes nomine cœnobio Sancti² Salvatoris, quod prope Telesinam MS. p. 109. urbem situm est. Qui Johannes, Romanus genere, discendarum studio litterarum jam olim Franciam venerat, ibique fama permotus Anselmi, qui tunc Becci abbas erat, eum religionis proposito fervens adiit, eoque audito Becci monachus factus est. Quod ubi post aliquot annos ad aures summi pontificis Urbani pervenit, Johannem ipsum ad se accersitum præfati cœnobii abbatem fecit. Hic itaque, agnito patrem suum Anselmum Romam venisse, missis nunciis omni studio deprecatus est, quatinus ad se venire, atque in sua quadam mansione cui salubris aura favebat, ad evitandas Romanæ urbis ægritudines instanti dignaretur æstate conversari. Quibus ille auditis, supernæ pietati ac fraternæ sollicitudini gratias egit, summoque pontifici relatas preces innotuit. At ille, "O," inquit, "Divinæ miserationis prædestinatio. Vere et-
" enim præmisit Deus Joseph in Ægyptum³ ante
" Jacob patrem suum. Quapropter licet omnia quæ
" habeo tuis, utpote viri propter justitiam necne
" Beati Petri fidelitatem exulantis, proposuerim ne-
" cessitatibus servitura; tamen, quia urbis istius aer

¹ *epistola*] epistola sua, A.

² *Sancti*] Not in A.

³ *Ægyptum*] Egiptum, MS.

“ multis, et maxime peregrinæ regionis hominibus, A.D. 98.
 “ nimis est insalubris, laudo ut eas quo vocaris, ne
 “ quod superna dignatio tibi providet negligere vi-
 “ dearis.” Adquiescit Anselmus dicto pontificis; et,
 expectaturus quid rex Angliæ respondeat papæ ac
 suis litteris,¹ partes ad quas invitabatur petit.² Occur-
 ritur ei cum lætitia et honore in omni loco ad quem
 ingreditur, et certatim ad ministrandum illi quique
 parantur. Ubi vero loco ad quem ibat appropin-
 quavit, adjuncta secum fratrum caterva, Johannes Abbot John
receives
him, and ac-
companies
him to
Schiavi. obviam vadit, et patrem suum more boni filii magna
 cum reverentia et exultatione susceptum monasterio
 introducit. Exinde, quoniam calor etiam³ ibi cuncta
 torrebat, ducit eum in villam suam, Sclaviam nomine,
 quæ in montis altitudine sita sano jugiter aere con-
 versantibus illic habilis extat.

His ferme diebus Rogerus dux Apuliæ, adunato The siege of
Capua by
Roger Duke
of Apulia,
who invites
Anselm to
pay him a
visit. grandi exercitu, Capuanam civitatem a sua ditione re-
 silientem obsidebat. Et, audita fama Anselmi, directis
 nunciis rogavit eum venire ad se, cupiens illum videre
 et alloqui, atque per eum iis⁴ quæ saluti suæ admini-
 culari poterant informari. Ivit ergo pater ad eum.
 Adhuc longe eramus, et ecce dux ipse, copiosa militum
 multitudine septus, patri occurrit, ac in oscula ruens
 ei pro suo adventu gratias egit. Plures exin⁵ dies in
 obsidione fecimus, remoti in tentoriis a frequentia et
 tumultu perstreptentis exercitus.⁶ Cum autem inter
 hæc sedis apostolicæ pontifex Urbanus illo adventaret,
 et ei ab Anselmo ac principibus totius exercitus obviam
 itum esset; ingenti sæcularis gloriæ pompa prosecutus Pope and
Primate
under the
walls of
Capua. ductus est in tentorium quod ei prope nos erat cæteris
 excellentius constitutum. Sicque donec civitas in de-

¹ *papæ ac suis litteris*] litteris
 papæ ac suis, A.

² *petit*] petiit, A.

³ *etiam*] Not in A.

⁴ *iis*] hiis, A.

R 8387.

⁵ *exin*] exhinc, A.

⁶ *et tumultu perstreptentis exerci-
tus*] On erasure in A.; crowded
and carried on into margin.

1A.D. 1098. ditionem transiit obsidio illius dominum papam et Anselmum vicinos habuit, ita ut familia illorum magis videretur una quam duæ, nec facile quivis declinaret ad papam, qui non diverteret ad Anselmum. MS. p. 111.

The King endeavours, but in vain, to raise a prejudice against Anselm.

Sed quid faciam? Si dilectioni, si reverentiæ, si honori qui Anselmo ab universis inter quos eo tempore veniebat¹ exhibebatur scribendo singulatim immorari voluero, non immerito indiscretionis argui potero. Tantum dico quia licet rex Angliæ, qui illum, ut prædictum est, de regno suo pepulit, tam litteris quam largis muneribus omnes quos ratus erat ei posse detrimento existere conatus fuerit adversus eum commovere, tamen nihil profecit, quin potius ex his perspicaciter intellectum a cunctis² est, virum simplicis justitiæ viam tenere, et omnino contra æquum fatigari. Nam cum litteræ quæ directæ fuerant nullam ipsi qua jure argui posset culpam referendo inveherent, nec latores earum a litteris ipsis pejora dicendo dissentirent, factum est ut et viri justitiæ firmiter crederetur, et injustitia hominis eum non æquo judicio fatigantis magis ac magis publicata detestaretur. Quique igitur ex hoc illius ceperunt causæ favere, illius commodo, illius honori, se suaque pro voto certatim impendere. Dux ipse ad quem ipsa mandata præ cæteris lata fuerunt, non consideratis eis, patrem multis precibus ad hoc flectere nisus est quatinus secum dignaretur remanere, et optimas terrarum suarum tam in villis quam in castellis seu civitatibus juxta electionem suam dono accipere, easque in usus suos suorumque dum viveret proprio jure vindicare. Aliter igitur molimina regis in Anselmum processerunt ac ipse ratus fuerat. Obsidione dehinc soluta, Anselmus cum papa ad Aversanam MS. p. 112. civitatem vadit. Papa civitatem, Anselmus multa prece invitatus abbatiam Sancti Laurentii hospitandi gratia

Anselm accompanies the Pope to Aversa.

¹ quos eo tempore veniebat] quos }
habitabat eo tempore et veniebat, A. } ² a cunctis] Not in A.

petit. Igitur Anselmo ab ipsius cœnobii fratribus perfectæ caritatis obsequium exhibetur, et loquenti solito more quæ Dei sunt auditus studiose præbetur. A.D. 1098.

Considerans itaque Anselmus apud se, quantam Anselm. desires to give up the archbishopric. mentis inquietudinem et perturbationem fuerit passus in Anglia, et quomodo nullus, exceptis aliquibus monachis, eum gratia fructificandi Deo audire voluerit, quantaque mentis tranquillitate potitus et quam fructuoso studio sit a cunctis auditus postquam exivit de Anglia, omni desiderio fervebat curam Angliæ cum pontificatu deserere, et eis perpetim abrenunciare. Huic quoque desiderio non parum roboris impendebat, quod, omni dubietate sublata, videbat impossibile fore suos et Willelmi regis mores in unum amplius concordare. Ad ea nempe quæ illum in Anglia positi facere A digression on the King's misconduct. solere cognoveramus, nova quædam quotidie ab iis ¹ qui inde veniebant publice referebantur, in quibus ita contra Dei justitiam affirmatus intelligebatur, ut multi regionum illarum viri simul ac mulieres aliam de eo æstimationem haberent, quam de Christiano Christianos lex Christiana docet habere. De quibus pauca brevi perstringere placuit, ne solummodo nudis verbis quæ dicuntur dici putentur. Quæ tamen sicut illa accepi-
 MS. p. 113. mus simpliciter ponam, non astruens vera an secus extiterint, an non. Ferebant igitur ii ² qui veniebant, quod eodem fere tempore, cum idem rex Rotomagi moraretur, Judei qui in civitate ipsa degebant ad eum convenere, conquerentes nonnullos ex suis, spreto Judaismo, Christianos tunc noviter factos fuisse, atque rogantes ut sumpto pretio illos, rejecto Christianismo, ad Judaismum redire compelleret. Adquiescit ille, et, suscepto pretio apostasiæ, jubet Judeos ipsos ³ adduci ad se. Quid plura? Plures ex illis minis et terroribus fractos, abnegato Christo, pristinum errorem suscipere fecit.

¹ iis] his, A.

² ii] hi, A.

³ Judeos ipsos] ex Judeis ipsis, A.

A.D. 1098. Erat præterea illis diebus adolescens quidam Judeus, cui uno dierum per viam forte eunti apparuit alter juvenis, vultu ac veste decorus. Qui, interrogatus unde vel quis esset, dixit se jam olim ex Judeo Christianum effectum, Stephanum protomartyrem¹ esse. "Sed " ea," inquit, " causa nunc de cælo ad terras descendi, " ut tu, abjecta superstitione Judaica, Christianus " efficiaris, et meo nomine baptizatus in Christo ap- " pelleris." Dixit, et ab oculis ejus elapsus non com- paruit. Adolescens autem timore correptus illico pres- byterum adiit, quid viderit, quidve audierit, clara voce innotuit, seque in Christum credere confessus baptismi gratiam statim adeptus est. Quod factum cum pater ejus agnovisset acri cordis dolore afficitur. Et æstuans quonam modo suis sacris filium posset restituere, didicit quemadmodum Willelmus rex Anglorum nonnullos hujusmodi, pecuniæ gratis, nuper Judaismo reddiderit. Ivit ergo ad illum, et qualiter perdidit filium suum querula voce depromsit. Orat sibi misereri, et unici MS. p. 114 more a se dilectum paternis rogat legibus imperiali sanctione restitui. Tacet ille ad rogata, nondum audiens quam ob rem tali negotio sese deberet medium facere. Advertit Judeus mysterium cur suis precibus non responderet, et e vestigio sexaginta marcas argenti se illi daturum si Judaismo restitueret filium suum pollicetur. Jubente igitur rege, juvenis ipse in conspectum suum adducitur, et rex illum hac voce alloquitur, " Queritur pater tuus de te, quod præter " licentiam suam Christianus effectus es. Hoc si ita " est, præcipio tibi quatinus voluntati ejus satisfa- " ciens, omni ambage seclusa, Judaismo te sine mora " restituas." Cui juvenis respondens, " Domine rex," ait, " ut puto jocularis." At ille indignatus, " Tecum," dixit,² " jocularer, stercoris fili? Recede potius et præ-

¹ *protomartyrem*] prothomarti- | ² *dixit*] inquit, A.
rem, MS.

“ ceptum meum velocius imple, alioquin, per Vultum A.D. 1098.
 “ de Luca, faciam tibi oculos erui.” Tunc adolescens
 animæquior factus voce constanti ita respondit, “ Uti-
 “ que non faciam. Verum noveris quia si bonus
 “ Christianus esses, nunquam de ore tuo talia protu-
 “ lisses. Christiani etenim est, eos qui a Christo per
 “ incredulitatem separati sunt ei conjungere, non au-
 “ tem eos qui illi per fidem juncti sunt ab eo sepa-
 “ rare.” Confusus princeps in istis, contumeliis affec-
 tum juvenem cum dedecore jussit suis conspectibus
 eliminari. Qui expulsus patrem suum eventum rei
 pro foribus præstolantem invenit. In quem animatus,
 “ Fili,” ait, “ mortis et pabulum æternæ perditionis,
 “ non sufficit tibi damnatio tua, nisi et me tecum
 “ præcipites in eam? Ego vero, cui jam Christus
 MS. p. 115. “ pater factus est, absit ut te unquam pro patre ag-
 “ noscam, quia pater tuus diabolus est.” Dum ista
 ita dicuntur, ad jussum regis introducit ante eum
 Judeus, et ait illi rex, “ Ecce feci quod rogasti, redde
 “ quod promisisti.” At ille, “ Filius meus jam nunc
 “ et in Christi confessione constantior, et mihi est
 “ solito factus infestior, et dicis, ‘ Feci quod petisti,
 “ ‘ redde quod promisisti’ ? Immo quod cœpisti primo
 “ perface, et tunc demum de pollicitis age. Sic enim
 “ convenit inter nos.” “ Feci,” dixit, “ quantum potui.
 “ Verum, quamvis non profecerim, minime tamen fe-
 “ ram me sine fructu laborasse.” Angustiatius Judeus
 ex his vix obtinuit, ut, data medietate promissæ pe-
 cuniæ, alia sibi medietas laxaretur.

Præter hæc quoque per id temporis ferebatur eum
 in tantam mentis elationem corruisse, ut nequaquam
 patienter audire valeret, si quivis ullum negotium
 quod vel a se vel ex suo præcepto foret agendum
 poneret sub conditione voluntatis Dei fieri; sed quæ-
 que, acta simul et agenda, suæ soli industriæ ac for-
 titudini volebat ascribi. Quæ mentis elatio ita excre-
 vit in eo, ut, quemadmodum dicebatur, crederet et

A.D. 1098. publica voce assereret nullum sanctorum cuiquam apud Deum posse prodesse, et ideo nec se velle, nec aliquem sapienter¹ debere, Beatum Petrum, seu quemlibet alium, quo se juvaret interpellare. Hac fide in ipso proficiente, ad hoc quoque lapsus est ut Dei iudicio incredulus fieret, injustitiæque illud arguens, Deum aut facta hominum ignorare, aut æquitatis ea lance nolle pensare, astrueret. Exempli causa. Quinquaginta cir-^{MS. p. 116.} citer viri, quibus adhuc illis diebus ex antiqua Anglorum ingenuitate divitiarum quædam vestigia arridere videbantur, capti sunt et calumniati quod cervos regis ceperint, mactaverint, manducaverint. Negant illi. Unde statim ad iudicium rapti iudicantur injectam calumniam examine igniti ferri a se propulsare debere. Statuto itaque die, præfixi pænæ iudicii pariter subacti sunt, remota pietate et misericordia. Erat ergo miseriam videre. Verum omnipotens Deus, cui misericordiam et iudicium canit Davidicus² psalmus, innocentiam eorum, servatis misericorditer ab exustione manibus omnium, cunctis ostendit, et malitia hominum eos impie destruere cupientium quam injusta fuerit justo iudicio declaravit. Igitur cum principi esset relatum, condemnatos illos tertio iudicii die simul omnes inustis manibus apparuisse, stomachatus taliter fertur respondisse, "Quid est hoc? Deus est justus iudex? "Pereat qui deinceps hoc crediderit. Quare, per hoc "et hoc, meo iudicio amodo respondebitur, non Dei, "quod pro voto cujusque hinc inde plicatur." Hæc et hujusmodi plura his atrociora, quæ a diversis non ignobilis famæ hominibus de Willelmo illo tunc temporis nunciabantur, magno, ut diximus, Anselmum accendebant pontificatui Angliæ abrenunciare, scientem videlicet mores suos moribus ipsius nulla posse ratione amplius concordare.

¹ *sapienter*] sapientem, A.

| ² *Davidicus*] Daviticus, MS.

MS. p. 117. Postulaturus igitur a summo pontifice ipsius vinculi quo se nimis astringi gembat relaxationem, eum adiit, ei sui cordis anxietatem innotuit, misereri sibi poposcit, id est ut ab onere¹ curæ pastoralis, quod importabile sibi quia infructuosum videbat, se relevaret obnixè rogavit. Audit papa quod ille postulat, et illico miratus exclamat, "O episcopum, O pastorem. Nondum cædes, nondum vulnera perpessus es, et jam Domini curam ovilis subterfugere quæris? Christus in cura ovium suarum probat Petri amorem erga se; et Anselmus, Anselmus, inquam, ille sanctus, ille talis ac tantus vir, solummodo quiescere volens, oves Christi, et ante pugnam luporum morsibus dilaniandas non veretur exponere? Ah, quid dicam? Quo amore sperat Domino copulari, qui hoc fugit quo ipse Dominus, se teste, probatur amari? Absint hæc a te, absint a tua religione, dilectissime frater Anselme. Potius, ne me in istis ulterius inquietes, scias quod non solum non concedo tibi facere quod petis; immo ex parte Dei omnipotentis, vice beatissimi Petri apostolorum principis, tibi per sanctam obœdientiam præcipio, quatinus curam Anglici regni tibi commendatam quamdiu retinere ut hactenus poteris, non abjicias. Quod si propter tyrannidem principis qui nunc ibi dominatur in terram illam redire non permittaris; jure tamen Christianitatis semper illius archiepiscopus esto, potestatem ligandi atque solvendi super eam dum vixeris obtinens, et insignibus pontificalibus more summi pontificis ubicunque fueris utens." Ad hæc ille, "Obœdientiam, pater, non abjicio; sed, si non displicet, quid animo geram paucis suggeram. Credat, si placet excellentia vestra, quoniam si cædes, si vulnera, si mors ipsa mihi pro tutela et defensione ovium Christi intenderetur, spero non aufugerem,

A.D. 1098.
 Anselm begs the Pope to relieve him of his burden.
 The Pope refuses to do so.
 He gives a more explicit account of his difficulties.

MS. p. 118.

¹ *ut ab onere*] On erasure and in margin in A.

A.D. 1098. “ si me conscientia mea non fallit. At nunc, ut de rege ipso qui me, sicut notum est, de regno suo expulit, taceam; ipsi quos oves, et episcopi quos adjutores, habere debebam, et qui mihi obcedentiam professi erant,¹ omnes in commune ad hoc me ducere conabantur, quatinus sub obtentu justitiæ contra justitiam facerem, id est obcedentiæ Beati Petri abrenunciarem, ne fidem quam debebam regi terreno violarem. Quibus dum niterer persuadere me utrumque horum, altero inviolato, posse servare; quandoquidem Dominus jubeat quæ Cæsaris Cæsari, et quæ Dei sunt Deo reddi; objiciebant hoc apud se in usu non haberi, nec velle de domino suo hanc injuriam sustinere, ut aliquis in regno ejus cuilibet intenderet nisi ei vel per eum. Et ego, pater, inter tales quid facerem?” Respondit, “ Ratione duceris. Ego quoque, ne de his atque aliis tibi non jure illatis videar non curare, eaque gladio Sancti Petri nolle vindicare, moneo quatinus concilio, quod apud Barum ante corpus Beati Nicolai Kalendis Octobris celebrare constitui, præsentiam tuam exhibeas, ut quod de ipso rege Anglico suisque ac sui similibus, qui contra libertatem ecclesiæ Dei se erexerunt, mediante æquitatis censura, me facturum disposui auditu visuque percipias.” Dehinc ad habitaculum suum Sclaviam Anselmus revertitur, quietem et paupertatem oblatiis divitiis anteponens.

The Pope bids his attendance at the council convoked to Bari.

He returns to Schiavi.

Anselm accompanies the Pope to Bari.

Instante autem termino concilii, ad apostolicum reversus est, et cum eo Barum usque profectus. In ipso vero concilio, dum plurima de fide catholica summus pontifex facunda ratione rationabilique facundia disseruisset, mota est quædam quæstio ex parte Græcorum,² evangelica auctoritate probare volentium Spiritum Sanctum processionem non habere nisi tantum a Patre.

MS. p. 119.

¹ *erant*] A. has *sunt*, and, over it, *vel erant*.

² *Græcorum*] *Greecorum*, MS.

Huic errori cum multis argumentis tum plurimis rationibus papa contraire nisus, inter alia, quiddam de epistola sibi olim ab Anselmo "De Incarnatione Verbi" edita et directa exempli gratia intulit, quod suæ disputationi non parum claritatis ac firmitudinis attulit. Verum cum nonnulla objicerentur, et redditæ rationes, quemadmodum in talibus mos est, disquisitæ enucleatius exponi peterentur, imperatum silentium primus ipse pontifex rupit, alta voce dicens, "Pater et magister "Anselme, Anglorum archiepiscopo, ubi es?" Sedebat enim idem pater¹ in ordine cæterorum inter primos concilii patres, et ego ad pedes ejus. Ubi ergo se requiri audivit, surrexit continuo et respondit, "Domine "pater, quid præcipitis? Ecce me." At ille, "Quid, "quæso, facis? Cur in aliorum silentio degis? Veni, "veni, obsecro, ascende usque ad nos, et pugnans pro "matre tua et nostra adjuva nos, cui suam integritatem vides Græcos¹ istos conari adimere, et nos in "idipsum nefas, si facultas eis tribuitur, præcipitare, "Succurre igitur, quasi vere pro hoc a Deo missus "huc." Videres itaque circa solium papæ quosque persreperere, sedes mutare, locum sedendi viro parare, et sic demum honorifice levatum ad se prope papam collocare, concilio stupente ad hæc et percunctante de homine quis esset aut unde. Tum, compresso tumultu, omnibus in commune viri sanctitatem atque industriam papa exposuit, et quia propter justitiam multas persecutiones passus, atque injuria de sua sit terra expulsus, reverenda voce innotuit. Cum igitur ad imperium ejus Anselmus præsto esset motæ quæstioni mox respondere, visum nonnullis est melius fore in crastinum rem differri, quo liberioribus animis dicenda expeditius proponerentur. In crastino itaque, maturius conventu disposito, Anselmus ex conducto debitum solvere postulatus est. Surrexit ergo et coram

A.D. 1088.
The Pope invokes his assistance against the Greeks.

He upholds and expounds the doctrine of the Procession.

MS. p. 120.

¹ enim idem pater] On erasure in | ² Græcos] Grecos, MS.

A.

A.D. 1088. universis in edito stans sic de negotio, regente cor et linguam ejus Spiritu Sancto, tractavit, disseruit, absolvit, ut in ipso conventu nemo existeret qui non inde sibi satisfactum consentiret. Sed quibus hoc argumentis, quibus rationibus, quibusve Divinæ Scripturæ auctoritatibus et exemplis egerit, scribere supersedemus, eo quod ipsemet Anselmus postmodum inde diligentius atque subtilius tractans egregium opus scripsit, idque per multa terrarum loca ubi ejusdem erroris fama pervenit ab amicis suis rogatus direxit. Ergo ubi finem dicendi fecit, intendens in eum summus pontifex ait, "Benedictum sit cor et sensus tuus, et os et "sermo oris tui sit benedictus." Hinc in laude viri demoratum est, et fides ejus atque prudentia divulgata ac magnificata, necnon eorum perfidia, siqui forent, qui ea quæ de proposita quæstione docuit suscipere et credere nollent, exprobrata ac perpetuo anathemate percussa atque prostrata. MS. p. 121.

The conduct of the Red King is now discussed.

Procedente deinceps ratione, de rege Anglorum sermo conseritur, et sinistra quædam de ipso publice prædicantur,¹ Anselmo inter illa demisso vultu sedente et loquentes nullo favore prosequente. Tandem de venditione et oppressione ecclesiarum, de quibus inter alia vituperabatur, necne de injuriis Anselmo illatis apostolicus acriter questus est, "Quem propterea," inquit, "etiam regni sui fecit extorrem, quoniam a Beati Petri "fidelitate et obœdientia nequivit separare." Et adjecit, "Ecce vita illius tyranni,² qualis ad apostolicam sedem "sæpe delata est. Cui pro correctione sui plura multotiens cohortatoria simul et castigatoria suasionem "verba mandavimus, sed afflictio atque depulsio tanti "viri quem coram videtis satis innuit quantum profecimus. Ad hæc, fratres, quid sentitis, quid decernitis?" Dixerunt, "Sententia plana est, et judicium evidens. Si "enim semel, si secundo, si tertio vocasti et renuit

¹ *prædicantur*] predicantur, MS. | ² *tyranni*] MS.

“ audire, renuit disciplinam accipere ; restat ut gladio
 “ Sancti Petri sub anathematis ictu percussus, quod
 “ meruit sentiat, donec a sua pravitate discedat. Re-
 spondit, “ Ita est.” Audiens hæc Anselmus illico sur-
 rexit, et flexis genibus coram papa, præfatum regem
 jam tunc excommunicare parato, vix obtinuit ne in
 regem faceret quod communis omnium sententia pro-
 mulgavit. Qui ergo bonitatem viri solo prius fuerant
 auditu edocti, nunc eam facto se experiri gavisi sunt
 dum illum et pro malo bonum reddere, et pro perse-
 quente se non ficta vident prece intercedere. Admira-
 bilis itaque universis factus est.

MS. p. 122.

A.D. 1098.
 His excom-
 munication
 is averted
 by Anselm.

Inter hæc ego patri per omnia præsens aderam, A digression
 paratus videlicet ad servitium ejus. Et quia mihi ab on the cope
 infantia hic mos semper erat,¹ nova quæ forte sed worn by the
 maxime in ecclesiasticis occurrebant diligenti intentione Bishop of
 considerare ac memoriæ commendare, dispositum concilium, Benevento.
 loca et ordines personarum, modos et examina-
 tiones causarum, curiosa fortasse magis quam sagaci
 mente et oculo hinc inde, utpote qui nunquam prius
 talia videram, modesto intuitu consideravi. Ecce autem
 cum illis intenderem, occurrit quem antea bene nove-
 ram archiepiscopus Beneventanus, cappa præ omnibus
 qui conventui ipsi intererant pretiosiori decoratus.
 Papa enim non cappa sed casula, et pallio desuper
 redimitus, concilio præsidebat. Ego igitur intuens
 cappam antistitis Beneventani, et eam, ut dixi, cæteris
 præstare perspicuens, recordatus sum verborum quæ
 puer a senioribus ecclesiæ nostræ, Edwio scilicet mag-
 nifico viro, Blachemanno atque Farmanno, aliisque
 nonnullis olim audieram. Solebant etenim iidem²
 memorabiles viri sæpe narrare, quod, ipsis adolescentiæ
 primordia agentibus, Ymma regina, cujus in capite
 hujus operis habita mentio est, inter multa bona quæ

b a | ² iidem] idem, MS.
¹ semper erat] A. has erat semper.

A.D. 1098. ecclesiæ Christi Cantuariensi contulit, brachio beati apostoli Bartholomei ipsam ecclesiam, disponente domino suo Cnud rege Anglorum, sublimaverit. Quæ res qualiter acta fuerit, hoc modo quod per excessum MS. p. 123. cceptæ narrationis dici patienter quæso accipiatur, uno sensu, pari ordine referebant. "Tempore," aiunt, "quo
 " ipsa domina sicut regina in regno Anglorum magna
 " et præpotens habebatur, pontifex ecclesiæ Beneven-
 " tanæ venit in Angliam; quem, sicut ipse ferebat, im-
 " manis fames certis præsagiis totam Apuliam afflictura
 " illo deduxerat, cupiens aliquo modo, si non posset
 " toti provinciæ, saltem suis civibus tantum malum
 " propulsare. Is iter ingressus brachium Beati Bartho-
 " lomei apostoli secum tulerat, spe sibi certa promit-
 " tens se per illud multa lucraturum. Idem quippe
 " brachium, ob hujusmodi necessitudinum contrahenda
 " subsidia, in ipsa ecclesia Beneventi a reliquo corpore
 " servabatur remotum. Episcopus itaque, transita
 " Italia, venit in Galliam, quæ sibi dabantur gra-
 " tanter ubique bona suscipiens. Audita vero diviti
 " fama regni Anglorum, ratus est sibi eo progredien-
 " dum, ex aliorum eventibus sperans se illic amplius
 " cæteris regionibus adquisiturum. Præfata quoque
 " regina magni nominis et divulgatæ famæ habebatur,
 " quam bonitas sua et qua super ecclesias respiciebat
 " largitas ei pepererat. Pontifex igitur Angliam ve-
 " niens ipsam reginam adiit, et, illius allocutione poti-
 " tus, quid detulerit, quam ob causam tam remotas
 " orbis adierit partes, insinuavit. At illa hominis
 " caritativo labore ad misericordiam flexa de suis ei
 " copiose largita est, et illum patriam remeare, necnon
 " eis quibus imminens famis periculum formidabat
 " subvenire hortata est. Sed ipse, intelligens non MS. p. 124.
 " sufficere sibi ad suum negotium quæ¹ habebat, eos
 " quos magis familiares in curia ipsi dominæ esse ac-

¹ quæ] Altered from quod in A.

“ceperat percunctatus est, utrum os quod attulerat, dato pretio, reginæ in jus proprium transferre curæ esset.” Quid multa? Investigatur de re animus dominæ et invenitur promptissimus esse; certam se tantummodo episcopus faceret, ipsum os nominati apostoli revera fuisse, et taliter ut ipsamet testaretur sibi, sublata omni ambiguitate, satisfactum. Ad quod ille, “Quo,” inquit, “modo?” “Super Corpus,” ait, “Domnicum, et super sanctorum reliquias quas ei proponam jurejurando asseveret,¹ reliquias de quibus agitur veraciter esse de corpore beati apostoli Bartholomei; et id, remota omni æquivocatione ac² sophismate, faciat.” “Hoc,” inquit episcopus, “secure me facturum polliceor.” Veniens itaque Cantuariam cum brachio ipso, prout illi rex et regina dictaverant, decenter susceptus est. Astante igitur ipsa, monachorum quoque ac clericorum immenso agmine eam vallante, inter quos etiam supra memorati viri a quibus hæc accepimus se præsentibus fuisse testati sunt, numerosaque utriusque sexus et ætatis multitudo ob hoc convolante et audiente; jurando super altare et Corpus Christi, necne sanctorum reliquias quas Beatum Gregorium Sancto Augustino, aliosque Romanos pontifices aliis archiepiscopis, destinasse scitur, asseveravit, ipsum os quo de³ sermo habebatur Beati Bartholomei apostoli proprium fuisse, nec ipsi assertioni suæ aliquid omnino sophismatis aut æquivocationis inesse. Quo facto, memorabilis domina quamplures argenti libras antistiti contulit, et osse potita illud ecclesiæ Christi Cantuariensi solemni donatione ex parte regis Cnudi suaque concessit. Illis quippe diebus hic mos Anglis erat, patrocinia sanctorum omnibus sæculi rebus anteferre. Pontifex quoque sedis ipsius, Ægelnothus nomine, inter reliqua quæ homini dedit, cappam illi valde

MS. p. 125.

¹ asseveret] Not in A.² ac] atque, A.³ quo de] de quo, A.

A.D. 1098. pretiosam, aurifrigio ex omni parte ornatam dedit, quæ et illius ecclesiæ decori, et ecclesiæ Cantuariensi futuris temporibus tantæ rei existeret testimonio et probationi. Ego igitur cum, ut dixi, concilio præsens antistitem Beneventanum cappa reliquis præstante ornatum viderem, et eam ex iis¹ quæ olim audieram optime nossem, non modice lætatus, et cappam et verba mihi puero exinde dicta patri Anselmo ostendi. Mox celebrato concilio, ubi Beneventanum ipsum adii, et inter alia mutuæ dilectionis colloquia cœpi de eadem cappa loqui, et unde illam haberet quasi nescius interrogavi, summam rei exposuit, et eam ordine quo descripsi suam ecclesiam ab ecclesia Cantuariensi adeptam esse declaravit. Qua de re certior effectus, putavi aliquibus gratum hoc ipsum huic opusculo indere, licet propositum narrationis tramitem me hoc agendo excedere non nescirem. Quo peracto, ad cœptum redeamus iter. Finito concilio a Baro discessimus, comitatum papæ Romam usque non deserentes.

Return of the messenger sent to the Red King.

Interea revertitur nuncius quem a Roma ad regem Angliæ destinatum supradiximus, referens ipsum regem, susceptis quidem quoquo modo litteris papæ, litteras Anselmi nullo voluisse pacto suscipere; immo, cognito illum esse hominem ejus, jurasse per Vultum Dei quia si festine terram suam non exiret sine retractatione oculos ei erui faceret. MS. p. 126.

Arrival of a royal envoy in Rome;

who delivers a message from the King, and gives an account of his conduct.

Verum post dies aliquot ex quo Romam reversi fuimus venit missus a rege Willelmus cujus in exitu Angliæ mentionem fecimus, domino papæ ad litteras quas pro Anselmo miserat responsurus. Dicebat ergo pontifici, "Mandat tibi dominus meus rex sibi non parvæ admirationi esse, quod vel in mentem tibi cadere potuit, ut eam pro restitutione rerum Anselmi interpellares." Et subdidit, "Si causam quæris, hæc est. Quando de terra sua discedere voluit,

¹ iis] his, A.

“aperte minatus est se, illo discedente, totum archi- A.D. .1098.
 “episcopatum in dominium suum accepturum. Quo-
 “niam igitur nec his minis constrictus quin exiret
 “omittere voluit, juste se putat fecisse quod fecit, et
 “injuria reprehendi.” Ad hæc papa, “Accusat eum,”
 inquit, “aliunde?” Respondit, “Non.” “Pape,” ait,
 “quis unquam audivit talia? Pro hoc solo prima-
 “tem regni suis omnibus spoliavit, quia ne sanctam
 “matrem omnium Romanam ecclesiam¹ visitaret
 “omittere noluit? Vere et sine omni ambiguitate
 “possumus dicere, a sæculo tale quid auditum non
 “esse. Et pro tali responso, mirabilis homo, huc te
 “fatigasti? Redi quantocius redi, et præcipe illi ex
 “parte Beati Petri, quatinus, muta omni contradic- The Pope
 “tione, illum suis omnibus integre revestiat, si ex- threatens to
 “communicari recusat. Itaque fac ut quid hinc velit excommuni-
 “scire me faciat ante concilium, quod tertia hebdo- cate the
 “mada⁴ Paschæ in hac urbe sum celebraturus. Alio- King.
 “quin certissime noverit, se in eodem concilio dam-
 “nationis sententia puniri quam promeruit.” At ille, The Pope is
 “Priusquam abeam, tecum secretius agam.” Mansit induced to
 ergo ibi per dies plurimos idem Willelmus, prudenter grant the
 operam dando hos et illos suæ causæ fautores efficere, King a
 ac, ut domini sui voluntati satisfaceret, munera quibus truce.
 ea cordi esse animadvertibat dispertiendo et pollicendo
 parviharere. Deductus ergo a sententia Romanus
 pontifex est, ac pro voto Willelmi⁵ inducias usque ad
 festum Sancti Michaelis dedit regi. Acta sunt hæc
 in ipsis solenniis Nativitatis Christi.

MS. p. 127.

Quod videntes, vane nos ibi consilium vel auxilium Anselm
 opperiri intelleximus, petitaque licentia Lugdunum begs leave
 remeare decrevimus. Quam licentiam cum nullatenus to quit
 Rome, but
 is kept
 there by
 the Pope.

¹ *Romanam ecclesiam*] ecclesiam
 Romanam, A.

² *possumus dicere*] dicere possu-
 mus, A.

³ *auditum non esse*] non esse
 auditum, A.

⁴ *hebdomada*] ebdomada, MS.

⁵ *Willelmi*] Wilelmi, A.

A.D. 1099. impetrare potuissemus, remansimus Romæ usque ad præfinitum tempus concilii, continue circa papam degentes, et quasi in commune viventes. Nec enim duæ, sed una videbatur amborum curia esse. Unde et ipse papa frequenter ad Anselmum veniebat, læte cum eo sese agendo, et curiam ei faciendo.¹ Dedit quoque illi hospitium in quo conversabamur, eo jure ut si aliquando Romam rediret, contra omnes homines illud sibi vindicaret. Ipse in conventu nobilium, in processionibus, in stationibus, semper et ubique a papa secundus erat, præ cunctis honoratus, cunctis acceptus, et ipse cunctis simplici humilitate summissus. MS. p. 128.

The council of the Vatican (April 1099).

Cum vero ad concilium ventum esset, et, episcopis qui de Italia et Gallia venerant suas sedes ex consuetudine vindicantibus, nemo existeret qui se vel audisse vel vidisse archiepiscopum Cantuariensem Romano concilio antehac interfuisse diceret, vel scire quo tunc in loco sedere deberet; ex præcepto papæ in corona sedes illi posita est, qui locus non obscuri honoris in tali conventu solet haberi. Igitur dum in ipso concilio multa tractarentur, multa disponderentur, multa observari decernerentur; nec tamen ab omnibus, partim propter conventus immensitatem, partim propter intrantium et exeuntium a corpore Beati Petri strepitum et concrepationem, clare intelligerentur; præcepit ipse pontificum summus Lucensi episcopo, Reingero nomine, quatinus in medio cæteris eminentior staret, ac sonora qua pollebat voce quæ statuta erant cunctorum auribus expresse deponeret. Paret ipse præsentis imperio: Verum, nonnullis ab eo capitulis in audientia omnium diserte expositis, subito, admirantibus cunctis, vultu, voce ac gestu corporis in alium habitum demutatus est. Unde suorum luminum acie in circumsedentes directa, vulneratæ mentis dolorem ultra dissimulare non potuit. Rupta igitur de-

The Bishop of Lucca's protest.

¹ *ei faciend] faciendo ei, A.*

cretorum serie quæ exponenda susceperat, intulit di- A.D. 1099.
 cens, "Sed, væ, quid faciemus?"¹ Præceptis subditos
 "oneramus, et iniquis tyrannorum sævitiis non ob-
 viamus. Oppressiones namque quas ipsi sua tyran-
 nide ecclesiis inferunt, et exspoliaciones personarum
 MS. p. 129. "quæ tuendis illis institutæ sunt quotidie ad hanc
 "sedem referuntur; consilia et auxilia sicut a capite
 "omnium requiruntur; sed quo terminentur effectu,
 "heu, totus mundus novit et inde conqueritur. De
 "cujus mundi remotissimis partibus unus ecce inter
 "nos modesta taciturnitate quiescens mitis residet,
 "cujus silentium clamor magnus est, cujus humilitas
 "et patientia quo declivior atque mansuetior, eo
 "sublimior est ante Deum et in nos ferventior; iste
 "unus, inquam, iste quam crudelissime afflictus, quam
 "injustissime suis omnibus exspoliatus, venit huc, judi-
 "cium et æquitatem apostolicæ sedis de negotio suo
 "efflagitans. Jam annus secundus est quo huc venit;
 "sed, væ, quid hucusque subventionis invenit? Si de
 "quo dico non omnes agnoscitis, ipse est Anselmus
 "archiepiscopus Anglicæ regionis." His dictis, virgam
 pastoralem quam manu tenebat tertio pavimento illisit,
 indignationem spiritus sui compressis, exploso murmure,
 labiis et dentibus palam cunctis aperiens.² Ad hæc ei
 papa innuens ait, "Frater Reingere, sufficit, sufficit; de
 "hac re bonum consilium erit." At ille, producto in
 eum spiritu, inquit, "Et equidem expedit, nam aliter
 "eum qui justa judicat non transibit." Deinde ad per-
 dicenda concilii decreta monitus verba resumpsit, ac in
 fine dicendi ne parvipenderetur injuria Anselmo illata
 repetiit, monuit, et sessum ivit. Hæc omnia cum
 pater Anselmus audisset, et tandem circa finem verbo-
 rum de se dicta intellexisset, oppido miratus est, sciens
 MS. p. 130. se nec homini de re locutum fuisse, nec a se vel ullo

The Pope's
 reply.
 The Bishop's
 rejoinder.

¹ *faciemus*] *faciamus*, A.

² *aperiens*] *ostendens*, A.

³ *ei papa*] *papa ei*, A.

A.D. 1099. suorum ut talia diceret processisse. Sedebat ergo uti solebat, silenter auscultans.

Decrees of
of the
council on
investitures
and homage.

Inter ultima vero synodi; jam recisis quæ recidenda, et statutis quæ visa fuerant constituenda; in adversarios sanctæ ecclesiæ excommunicationis sententiam cum toto concilio papa intorsit. Qua sententia omnes quoque laicos investituras ecclesiarum dantes, et omnes easdem investituras de manibus illorum accipientes, necne omnes in officium sic dati honoris hujusmodi consecrantes, pari modo involvit. Eos nihilominus sub ipsius anathematis vinculo colligavit, qui pro ecclesiasticis¹ honoribus laicorum hominum homines fiunt, dicens nimis execrabile videri, manus quæ in tantam eminentiam excreverunt, ut, quod nulli angelorum concessum est, Deum cuncta createm suo ministerio creent et eundem ipsum pro redemptione et salute totius mundi summi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignominiam detrudi ut ancillæ fiant earum manuum quæ die ac nocte obscenis contagiis inquinantur, rapinis ac injustæ sanguinum effusioni addictæ commaculantur. His præsentés fuimus, hæc conspeximus, his ab universis, "Fiat, fiat," acclamari audivimus, et in his consummatum concilium scimus.

Anselm's
departure
from Rome
and return
to Lyons.

Postera die, accepta licentia, Roma digredimur, nil iudicii vel subventionis præterquam quod diximus per Romanum pontificem² nacti. Via vero redeundi tunc temporis multis erat periculis obnoxia; sed, protegente nos Domino, pericula cuncta evasimus, ac MS. p. 131. Lugdunum illæsi pervenimus. Ubi summa cum³ veneratione gaudioque suscepti, et a pontifice civitatis detenti, mansionem nostram illic firmavimus, amissa omni fiducia ulterius tempore Willelmi regis Angliam remeandi. Habitus est ergo ibi Anselmus non sicut hospes aut peregrinus, sed sicut indigena et vere loci

¹ ecclesiasticis] MS.

² pontificem] presulem, A.

³ summa cum] cum summa, A.

dominus. Unde nusquam ipse ipsius urbis antistes, eo A.D. 1099.
 præsente, suo volebat loco præsidere; sed, præsidente
 ubique Anselmo, inferioris et suffraganei loco simul et
 officio mira ductus humilitate fungebatur. Anselmus
 festivitates, sacros ordines, ecclesiarum dedicationes
 celebrabat, et pontificalia quæque officia administrabat.

Sed cum multi, agnita benevolentiae ejus amplitu-
 dine, ad eum currebant, et sacramentum impositionis
 manus episcopi ab illo sibi ac suis conferri deposce-
 rent, ipse, qui in episcopaliū officiorum administra-
 tionibus semper nutum pontificis expectabat, leni affabi-
 litate respondebat suum non esse tale quid in parochia
 alterius episcopi, eo inconsulto, præsumere. In quo
 eum ratione agi intelligentes, mox ad suum episco-
 pum nuncios dirigunt, et, qua benignitate vir ad suas
 preces responderit innotescētes, orant illum rogari
 pro se. De re ergo a pontifice appellatus, immo per
 totam parochiam suam hoc et aliis pontificalibus offi-
 ciis in illius voluntatis deliberatione positus, omnes
 admittere, neminem ab ipsius gratia sacramenti patie-
 batur immunem discedere. Fiebat itaque¹ frequens
 populorum concursus, et nonnunquam in hoc solo ex-
 pendebatur dies totus, ita ut nos qui ei ministrabamus
 gravi tædio sæpe fatigaremur, ipso semper jocundo et
 hilari vultu² existente. Crevit autem in eum mira
 quædam ex his et inaudita dilectio omnium, et bonitas
 ejus divulgabatur per circuitum.

MS. p. 132.

Inter hæc per populos fama dispersit, Urbanum se- Death of
Urban II.
(July 29th
1099).
 dis apostolicæ præsulē præsentī vitæ modum fecisse.
 Siquidem prius obiit quam quæ a rege Anglorum pro
 causis Anselmi expectabat responsa suscepit.³ Qui The King's
receipt of
the news.
 decessus vitæ ubi ejusdem regis auribus insonuit, re-
 spondit, "Et Dei odium habeat, qui inde curat." Ad-

¹ itaque] On erasure in A.

² jocundo et hilari vultu] jocundo vultu et hilari, A.

³ suscepit] susciperet, A.

A.D. 1099. jecitque, "Ille vero qui modo papa est, cujusmodi " est?" Cui cum in aliquibus Anselmo archiepiscopo similis diceretur, ait, "Per Vultum Dei, si talis est non " valet. Veruntamen sit modo ipse per se; quia, per " hoc et hoc, papatus suus non ascendet hac vice " super me. Ego interim libertate potitus agam quod " libet." Nec enim putabat apostolicum orbis posse in regno suo esse cujuslibet juris, nisi permissus a se.¹ Qualiter ergo deinceps sese habuerit, ad alia festinanti scribere opportunum non est. Atamen libertate qua se potitum gloriatus est non diu frui permissus est. Prius enim quam annus transiit insperata et subita morte percussus eam perdidit. October namque audiuit eum gloriantem, secunda dies sequentis Augusti vidit eum expirantem. Siquidem illa die mane pransus in silvam venatum ivit, ibique sagitta in corde percussus, impoenitens et inconfessus e vestigio mortuus est, et ab omni homine mox derelictus. Quæ sagitta utrum, sicut quidam aiunt, jacta ipsum percussit, an, quod plures affirmant, illum pedibus offendentem superque ruentem occiderit, disquirere otiosum putamus; cum scire sufficiat eum justo judicio Dei prostratum atque necatum. Hic occurrit animo quid rex iste quondam, ut supra retulimus, Rofensi episcopo dixerit, videlicet quod Deus nunquam eum bonum habiturus esset pro malo quod sibi inferret; et perpendo quid postmodum Deus erga illum egerit donec vitæ præsentis superfuit. Scitur enim quia ex quo illa verba, depulso languore quo notum est illum fuisse gravatum, protulit, tantum in deprimendo et subjungendo inimicos, in acquirendo terras, in exercendo voluptates suas prosperatus est, ut omnia sibi arridere putares. Ventus insuper et ipsum mare videbantur ei obtemperare. Verum dico non mentior, quia cum de

His death
(August
2nd, 1100).

Reflections
on the
career of
the Red
King.

MS. p. 133

¹ in regno . . . a se] On erasure, and slightly crowded, in A.; perhaps for admission of *in regno suo*.

Anglia in Normanniam transire, vel inde cursim prout ipsum voluntas sua ferebat redire, volebat, mox illo mari appropinquante¹ omnis tempestas quæ nonnunquam immane sæviebat sedabatur, et transeunti mira tranquillitate famulabatur. Quid amplius? Ita, fateor, in cunctis erat fortunatus, ac si verbis ejus hoc modo responderit Deus, "Si te pro malo, ut dicis, "nunquam bonum habebō, probabo an saltem pro "bono possim te bonum habere, et ideo in omni quod "tu bonum æstimas velle tuum adimplebo." Sed quid? In tantum ex successibus suis profecit, ut, sicut ii qui factis illius² die noctuque præsentibus extiterunt attestantur, nunquam vel de lecto surgeret vel in lecto se collocaret, quin se ipso aut collocante aut surgente semper deterior esset. Quapropter dum nec malo corrigi voluit nec bono ad bene agendum attrahi potuit, ne in perniciem bonorum diutino furore sæviret, compendiosa illum æquus Arbiter et momentanea³ cæde huic vitæ subtraxit.

MS. p. 134.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

¹ *illo mari appropinquante*] illo adveniente et mari appropinquante, A.

² *illius*] ejus, A.

³ *æquus arbiter et momentanea cæde*] et momentanea cæde æquus arbiter, A.

A.D. 1100.

INCIPIT TERTIUS.

News of
of the Red
King's
death is
brought to
Anselm.

Secundo itaque anno ex quo a Roma Lugdunum venimus, qui erat nostri exilii annus tertius, venerunt ad Anselmum, jam tertium diem in cœnobio quod Casa Dei dicitur agentem, duo monachi, unus Cantuariensis et alter Beccensis, nunciantes ei jam sæpe memorati Willelmi regis vitæ excessum. Quo ille vehementi stupore percussus, mox est in acerbissimum fletum concussus. Quod videntes admirati admodum sumus. At ille, singultu verba ejus interrumpente, asseruit, in ipsa veritate quam servum Dei transgredi non decet, quia, si hoc efficere posset, multo magis eligeret se ipsum corpore quam illum sicut erat mortuum esse.

A letter
from Can-
terbury
urges him
return.

Nobis post hæc Lugdunum reversis, ecce alius e fratribus ecclesiæ Cantuariensis advenit, litteras deferens, preces offerens, quibus obnixè ab Anglorum matre ecclesia interpellatur, quatinus, extincto tyranno, filios suos rupta mora revisere consolarique dignetur. Audito igitur de re consilio memorati reverendi Hugonis ipsius urbis episcopi, iter Angliam remeandi ingressus est, ipso pontifice et toto populo terræ super hoc dolente, et, nisi rationi contrairet, modis omnibus ne fieret prohibere volente. Magno denique solatio se in

MS. p. 135.

discessu illius destitui videbant. Prosecuti autem illum sunt de villa in villam per plures dies tam viri quam mulieres, singuli certatim currentes et pro sua desolatione gemebundas voces edentes. Necdum pervenimus Cluniacum, et nihilominus alter nuncius ex parte novi regis Anglorum et procerum regni patri occurrens moras ejus in veniendo redarguit, totam terram in adventum illius¹ attonitam, et omnia negotia regni ad audientiam et dispositionem ipsius refe-

He meets a
messenger
from the
new King.

¹ *adventum illius*] adventu ejus, A.

rens pendere dilata. Cujus verbis litteræ regis quas attulerat attestantes, et dicta plenius explanantes, preces et vota ipsius regis virum festinato venire magnopere postulantis,¹ et seipsum regnumque suum ejus consilio ac moderamini se subjecturum pollicentis, continebant. Hæc et hujusmodi plura quam dicere velim nos ad patriam properare coegerunt.

A.D. 1100.
A letter from the King is delivered to him.

Prosperissimo itaque cursu marina transvecti pericula;² nono Kal. Octobris Dofris appulimus, et ingenti gaudio totam terram in adventu Anselmi exultantem repperimus. Quædam etenim quasi novæ resurrectionis spes singulorum mentibus oriebatur, qua et ab oppressione calentis adhuc calamitatis se quisque liberandum, et in statum optatæ prosperitatis aditum sibi pollicebatur.

He lands at Dover (Sept. 23rd, 1100.)

Quæ spes inde maxime procedebat, quod Henricus qui tunc noviter fratri defuncto in regnum successerat, in ipso suæ consecrationis die bonas et sanctas omni populo leges se servaturum, et omnes oppressiones et iniquitates quæ sub fratre suo emergerant in omni sua dominatione tam in ecclesiasticis quam in sæcularibus negotiis prohibitorum et subversurum sponderat, et hæc omnia jurisjurandi interjectione firmata, sub monimento litterarum sigilli sui testimonio roboratarum, per totum regnum divulgatum iri præceperat. Præsentia nihilominus communis omnium patris jam ipsi spei non parum roboris apud hominum mentes adjiciebat, constantem illius probitatem agnoscentium, et sancta quædam ad reformandum Christianæ religionis statum, qui post obitum venerandæ memoriæ Lanfranci archiepiscopi in multis deciderat, proxime ab eo prodire et statui arrectis sensibus expectantium.

Henry's promise at his consecration.

MS. p. 136.

Sed cum post paucos sui reditus dies Serberiam ad regem venisset, et ab eo gaudenter susceptus rationi illius, qua se excusavit cur in suscipienda regiæ digni-

Anselm goes to see the King.

¹ *postulantis*] On erasure in A.

² *transvecti pericula*] pericula transvecti, A.

A.D. 1100.
who makes
a demand of
him, with
which he
neither will
nor can
comply.

He sends
the King a
message.

The King's
embarrass-
ment.

A truce is
concluded
till Easter
1101

tatis benedictione illum cujus juris eam esse sciebat non expectaverit, adquevisset, postulatus est pro consuetudine antecessorum suorum regi hominum facere, et archiepiscopatum de manu ejus recipere. Quibus cum ille nequaquam se aut velle aut posse assensum præbere responderet, interrogantibus quare, statim quid super his et quibusdam aliis in Romano concilio acceperit manifesta relatione innotuit, itaque subinferens ait, "Si dominus rex ista suscipere et suscepta servare voluerit, bene inter nos et firma pax erit. Sin autem, non video remanere meum in Anglia utile fore vel honestum; præsertim cum si episcopatus aut abbas dederit, privari me penitus tam a sui quam et eorum qui ea¹ susceperint communionem necesse sit. Nec enim ea de causa Angliam redii, ut si ipse Romano pontifici obcedere nolit, in ea resideam. Unde quid velit precor edicat, ut sciam quo me vertam." His rex auditis graviter conturbatus est. Grave quippe sibi visum est investituras ecclesiarum et hominia prælatorum perdere, grave nihilominus Anselmum a regno ipse nondum in regno plene confirmatus pati discedere. In uno siquidem² videbatur sibi quasi dimidium regni perderet, in alio verebatur ne fratrem suum Robertum, qui tunc de Ierusalem Normanniam redierat, Anselmus adiret, et eum in apostolicæ sedis subjectionem deductum, quod facillimum factu sciebat, regem Angliæ faceret. De verbis igitur altrinsecus motis induciæ usque Pascha petitiæ sunt, quatinus utrinque Romam mitterentur qui decreta apostolica in pristinum regni usum mutarent, et interim ecclesiis Angliæ in quo erant statu manentibus, Anselmus, redditis terris quas rex mortuus ecclesiæ Cantuariensi abstulerat, suis omnibus revestiretur; sicque fieret ut si a sententia flecti papa

MS. p. 137.

¹ ea] Not in A.

² siquidem] Changed in A. from *quidem*.

nequiret, totius negotii summa in eum quo tunc erat¹ A.D. 1100.
 statum rediret. Hæc Anselmus, quamvis frivola esse
 et in nihil utile tendere sciret atque prædiceret, tamen,
 ne novo regi seu principibus ullam contra se suspi-
 cionem de regni translatione aut aliunde incuteret,
 precibus illorum passus est vinci, et quod volebant
 annuit, dismissaque curia in pace ad sua secessit.

MS. p. 138.

Hinc paucis diebus interpositis, Mathildis filia Mal-
 chomi¹ nobilissimi regis Scottorum et Margaritæ, quæ The
 espousals of
 Henry and
 Matilda.
 scitur exorta de semine regum Anglorum, nupsit præ-
 fato Henrico regi Anglorum. Ipsa quippe Margarita
 filia fuit Edwardi filii regis Edmundi, qui fuit filius
 regis Æthelredi filii gloriosissimi regis Eadgari, cujus
 mox in capite hujus operis mentio facta est. Negotium
 itaque ipsius copulæ licet propositi operis intentionem,
 ut quibusdam forte videtur, haud quaquam respiciat,
 tamen quia per Anselmum administratum fuit,³ nam
 et eos in conjugium benedixit et illam pariter in regi-
 nam consecravit, brevi autumo describendum qualiter
 actum sit. Hoc autem ea re nobis maxime in volun-
 tatem cecidit, quoniam Anselmum in hoc a rectitudine
 deviasse nonnulla pars hominum, ut ipsi audivimus,
 blasphemavit. Siquidem eadem Mathildis,⁴ inter sancti-
 moniales in monasterio ab infantia nutrita et adulta,
 credebatur a multis in servitium Dei a parentibus ob-
 lata, eo quod publice visa fuerat earum inter quas
 vivebat more velata. Quæ res, dum illa, jam olim
 dimisso velo, a rege amaretur, plurimorum ora laxaret,
 et eos a cupitis amplexibus retardaret, ipsa Anselmum,
 cujus in hoc nutum omnes expectabant, adiit, consili-
 um de negotio ex auxilium summissa prece quæsivit.
 Cui ille famam quæ ferebatur injiciens affirmabat
 nulla se unquam ratione in hoc declinandum, ut suam
 Deo sponsam tollat et eam terreno homini in matri-

¹ erat] erant, A.

² Malchomi], Malcholmi, A.

³ fuit] est, A.

⁴ Mathildis] Matildis, A.

A.D. 1100. monium jungat. Refert illa et penitus se negat obla- MS. p. 139.
 tam, negat etiam se vel semel aliquando sua voluntate
 fuisse velatam; et hæc si credere aliter nolit offert se
 iudicio totius Anglorum ecclesiæ probaturam. "At-
 " tamen," inquit, "me velum portasse non abnego.
 " Nam cum adolescentula essem, et sub amitæ meæ
 " Cristinæ quam tu bene novisti¹ virga paverem, illa,
 " servandi corporis mei causa contra furentem et cujus-
 " que pudori ea tempestate insidiantem Normannorum
 " libidinem, nigrum panniculum capiti meo superpon-
 " ere, et me illum abjicientem acris verberibus et ni-
 " mium obscenis verborum convitiis sæpe cruciare simul
 " et dehonestare solebat. Quem pannum in ipsius
 " quidem præsentia gemens ac tremebunda ferebam,
 " sed mox ut me conspectui ejus subtrahere poteram
 " arreptum in humum jacere, pedibus proterere, et ita
 " quo in eum² odio fervebam quamvis insipienter con-
 " sueveram desævire. Isto non alio modo, teste con-
 " scientia mea, velata fui. Ac si me oblatam quisque
 " dicet, et hoc quale sit ex eo subintelligi licet,³ quod,
 " sicut plurimi qui adhuc supersunt noverunt, pater
 " meus, cum me quemadmodum dixi velatam forte
 " vidisset, furore succensus injecta manu velum arri-
 " puit, et dissipans illud odium Dei imprecatus est ei
 " qui mihi illud imposuit, contestans se comiti Alano
 " me potius in uxorem, quam in contubernium sancti-
 " monialium prædestinasse. Hæc est unde calumnior
 " ratio mea, quam quæso perpendat prudentia tua, et
 " agat pro me sicut novit agendum paternitas tua."
 Quid plura? Differt Anselmus sententiam ferre, et
 causam iudicio religiosarum personarum regni deter- MS. p. 140.
 minandam pronuntiat. Statuto itaque die coeunt ad
 nutum illius episcopi, abbates, nobiles quique ac reli-
 giosi ordinis viri in villa Sancti Andreæ de Roveces-

¹ *novisti*] *nosti*, A.

² *eum*] Not in A.

³ *subintelligi licet*] *colligi potest*,

A.

tria quæ Lambetha¹ vocatur, quo et ipsum præsentis negotii tunc tenor adduxerat. Causa igitur juxta præscriptam seriem in medium deducta est. Prodeunt hinc inde idonei testes, verba puellæ puræ veritati subnixa protestantes. Accedunt istis archidiaconi duò, Willelmus videlicet Cantuariensis et Humbaldus Serberiensis, quos pater Anselmus Wiltuniam, ubi illa fuerat educata, pro hujus rei certitudine rimanda direxerat, qui publica voce attestati² sunt se et rem a sororibus diligentissime perquisisse, et nil quod relatae rationi obsisteret ab eis capere potuisse. Monet ergo Anselmus, et per Christianam obœdientiam omnibus imperat, ut nullum a veritate favor aut timor deflectat, sed sicut revera causæ Dei quo juste determinetur unusquisque pro viribus opem ferat, “ne, quod absit,” aiens, “talís iudicii sententia prodeat, cujus exemplo “ in superventuris temporibus vel sua quilibet libertate non jure privetur, vel Deus iis³ quæ sui juris “ esse debent injuria defraudetur.” Acclamant omnes ita faciendum, et se non aliter facturos spondent. Remoto itaque a conventu solo patre, ecclesia Angliæ quæ convenerat in unum de proferenda sententia tractat. Deinde, illo in medium reverenter adducto, expositum est quid de negotio communis omnium sensus invenerit. Ratum aiunt, perspecta re, sibi videri, et ad hoc comprobandum paratos se asserunt, nulla sententia posse puellam pro causa sua jure constringi, quin libertate corporis sui quocunque modo legaliter velit valeat uti. “Quod licet,” inquit, “levi argumento probare possemus, eo tamen cum opus non sit, supersedemus, nostris argumentis firmiorem tenentes parem iudicii hujus sententiam, a venerandæ memoriæ prædecessore vestro, patre et⁴ magistro nostro Lanfranco simili de causa promulgatam. Nam

MS. p. 141.

¹ *Lambtha*] *Lambeta*, A.

² *attestati*] *testati*, A.

³ *iis*] *his*, A.

⁴ *patre et*] *et patre*, A.

A.D. 1100 “ quando ille magnus Willelmus hanc terram primo
 “ devicit, multi suorum sibi pro tanta victoria applau-
 “ dentes, omniaque suis voluntatibus atque luxuriis
 “ obcedere ac subdi debere autumantes, non solum in
 “ possessiones victorum, sed et in ipsas matronas ac
 “ virgines, ubi facultas eis¹ aspirabat, nefanda libidine
 “ cœperunt insanire. Quod nonnullæ prævidentes, et
 “ suo pudori metuentes, monasteria virginum petivere,
 “ acceptoque velo sese inter ipsas a tanta infamia
 “ protexere. Quæ clades cum postmodum sedata, et
 “ pro temporis qualitate pax rebus data fuisset, quæ-
 “ situm ab eodem patre Lanfranco est, quid de iis²
 “ quæ tali refugio suam pudicitiam servaverunt ipse
 “ sentiret, essentne videlicet constringendæ in monas-
 “ terio velum tenere quod acceperant, necne. At ipse
 “ quæstionem ipsam consilio generalis concilii taliter
 “ solvit, ut eis pro castitate quam se tam manifestæ
 “ rei ostensione amare testatæ fuerant, debitam magis
 “ reverentiam judicaret exhibendam, quam ullam ser-
 “ vandæ religionis continentiam, nisi propria illam
 “ voluntate appetent, violenter ingerendam.” Et ad- MS. p. 142.
 junxerunt, “ His interfuimus, hæc approbari a sapienti-
 “ bus viris audivimus, et hæc in præsentī negotio
 “ valere volumus, ac roborari postulamus. Licet enim
 “ sciamus causæ illarum istius esse leviolem, dum illæ
 “ sponte, ista coacta, pari de causa velum portaverit;
 “ tamen, nequis nos favore cujusvis duci existimet,
 “ non ultra progredi in iudicio volumus, hoc solo con-
 “ tenti, ut quod valuit in majori valeat in minori.”
 Tunc Anselmus ad hæc, “ Scitis quid monuerim, quid
 “ præceperim, quidve³ polliciti sitis. Cum igitur, se-
 “ cundum quod vobis visum est justius, in commune
 “ judicaveritis sicut asseritis; ego iudicium vestrum
 “ non abjicio, sed eo securius illud suscipio, quo tanti

¹ *facultas eis*] eis facultas, A.

² *iis*] his, A.

³ *quidve*] quidque, A.

“ patris auctoritate suffultum audio.” Illa dehinc in medium ducitur, gesta comi vultu audit et amplectitur, auditum sibi præstari paucis precatur. Loquens ergo obtulit se vel sacramento vel alia quam magis eligerent ecclesiastica lege probaturam solidæ veritati subnixam esse jam definitam rationem suam. Quod non propterea facturam fatetur, quasi sibi non creditum esse putet, sed ut malevolis hominibus omnem deinceps blasphemandi occasionem amputet. Respondetur nihil horum opus esse, quoniam si malus homo de malo thesauro cordis sui protulerit mala, dicto citius opprimetur, ipsa veritate jam tantarum personarum astipulatione probata et roborata. Allocutione post hæc et benedictione Anselmi potita, abiit, et pauculis diebus evolutis fit, ut dixi, regina et conjux. Verum cum ipsa conjunctio juxta ritum ecclesiæ fieri firmarique deberet, pater ipse totam regni nobilitatem populumque minorem pro hoc ipso circumfluentem, necne pro foribus ecclesiæ regem et illam circumvallantem, sublimius cæteris stans in commune edocuit, quo ordine causa virginis quam fama vulgarat per episcopos et religiosas regni personas ventilata fuerit et determinata. Quo facto, monendo auctoritate Dei præcepit quatinus siquis aliter de negotio illo sentiret ac sententia tulerat, unde scilicet ipsam copulam secundum legem Christianam fieri non debere posset ostendi, nihil hæsitans, salva pace omnium, coram proferret. Ad quæ cunctis una conclamantibus² rem juste definitam, nec in ea quid residere unde quis nisi forte malitia ductus jure aliquam posset movere calumniam, legitime conjuncti sunt honore quo decuit regem et reginam. En ordinem gestæ rei, teste conscientie meæ veritate, sicut eam præsens audiivi et vidi, in nullam partem declinando descripsi, verba puellæ ita duntaxat in medio ponens, ut non asseram vera extiterint necne.

MS. p. 143.

A.D. 1100.

The marriage of Henry and Matilda.

¹ *regni*] Not in A.| ² *conclamantibus*] clamantibus, A.

A.D. 1101. Si ergo quis in istis Anselmum contra æquum aliquid egisse dicere ultra voluerit, ipse viderit. Nos vero qui cor ejus in hoc et in multis agnovimus testimonium ei perhibemus, quia, sicut ipse fateri solebat, nec scire nec posse illo tempore habuit, quomodo in hac re melius aut æquius faceret quam fecit.

Bootless embassy of Guy, Archbishop of Vienne.

Eodem anno venit in Angliam Guido archiepiscopus Viennensis, functus, ut dicebat, legatione totius Britanniae ex præcepto et auctoritate apostolicæ sedis. Quod per Angliam auditum in admirationem omnibus venit, MS. p. 144. inauditum scilicet in Britannia cuncti scientes, quemlibet hominum super se vices apostolicas gerere, nisi solum archiepiscopum Cantuariæ. Quapropter sicut venit ita reversus est, a nemine pro legato susceptus, nec in aliquo legati officio functus.

Prolongation of the truce.

Exinde cum ad tempus induciarum, Pascha, ventum esset, et qui Romam missi fuerant nuntii necdum redissent, usque ad adventum illorum induciæ dilatæ sunt.

Rumours of an invasion by Duke Robert.

In subsequenti autem solennitate Pentecostes adventus comitis Roberti, fratris regis, in Angliam prævia fama totam regalem curiam commovit, quorundam animos, ut postmodum patuit, in diversa permovit. Rex igitur principes, et principes regem suspectum habentes; ille scilicet istos ne a se instabili, ut fit, fide dissilirent, et isti illum formidando ne undique pace potitus in se legibus efferatis desæviret; actum ex consulto est, ut certitudo talis hinc inde fieret, quæ utrinque quod verebatur excluderet. Sed ubi ad sponsonem fidei regis ventum est, tota regni nobilitas cum populi numerositate Anselmum inter se et regem medium fecerunt, quatinus ei vice sui, manu in manum porrecta, promitteret justis et sanctis legibus se totum regnum quoad viveret in cunctis administraturum. Hoc facto, sibi quisque quasi de securitate applaudebat. Postquam autem certitudo de adventu fratris sui regi innotuit, mox ille, coacto exercitu totius terræ, ipsi bello occurrendum impiger

Mutual mistrust of the King and the barons.

The Primate acts as mediator.

- MS. p. 145. statuit. Exercitus vero grandis erat atque robustus, et circa regem fideliter cum suis in expeditione excubabat pater Anselmus. At ubi Robertum ipsum cum sociis transfretasse insonuit, statim majores regni, quasi suæ sponsonis immemores, ad illum relicto rege semet transferre parabant. Quod sic esse Anselmus certo relatu agnoscens, doluit, eoque magis nequid adversi regi accideret intendere cœpit. Sed talis vir quid de talibus ageret ignorabat. Nullum enim de tali crimine publice poterat calumniari dum nulli testes adessent; crimen ipsum non audebat reticendo nutrire, ne perjuri effecti regem seducerent. Rex ipse non modo de regni amissione, sed et de vita sua suspectus, nulli credere, in nullo, excepto Anselmo, fidere valebat. Unde sæpe ad illum venire, principes quos magis a se labi timebat illi adducere, quatinus, audito verbo illius, et ipse a formidine relevaretur, et illis metus si a fide quam sibi sponponderant aliquatenus caderent incuteretur. Ipse igitur Anselmo jura totius Christianitatis in Anglia exercendæ se relicturum, atque decretis et jussionibus apostolicæ sedis se perpetuo obœditurum, summo opere¹ promittebat. Quibus ita se habentibus, Anselmus, adunatis principibus cunctis, omnem circumfusi exercitus multitudinem simul et eos, silita omni calumnia, quam execrabiles Deo et omni bono homini forent qui fidem quam principi suo debebant quoquo modo violarent ita indissolubili verborum ratione edocuit, ut cuncti, perspecto ipsum via virtutis incedere, illico spreta vita non segnius eligerent morti procumbere, quam violata fide sua regem seducere. Quapropter indubia licet assertione fateri, quoniam si, post gratiam Dei, fidelitas et industria non intercessisset Anselmi, Henricus rex ea tempestate perdidisset jus Anglici regni. Robertus igitur, amissa fiducia quam in principum tradi-

A.D. 1101.

Duke Robert lands in England, and the barons prepare to desert the King.

Anselm's behaviour in this emergency.

The King's promises to Anselm in this emergency.

Anselm secures Henry his crown.

MS. p. 146.

¹ *summo opere*] *summpere*, A.

A.D. 1101. tione habebat, et non levem deputans excommunicationem Anselmi, quam sibi ut invasori nisi cepto desisteret invehi certo sciebat, paci adquevit, et in fraternum amorem reversus est, exercitusque in sua dimissus.

The Primate is summoned to court "to give answer."

Itaque post hæc, dum omnes intenti expectarent aliquid tanto beneficio dignum in Anselmum a rege processurum, ecce ad curiam regis venire mandatur, responsurus de negotio quo de induciæ dilatæ fuerunt. Nuncii quippe jam Roma reversi litteras a Paschale papa, qui Urbano successerat, regi destinatas attulerunt. Quæ quid in se continuerint, textus earum subter annexus declarabit.

Letter of Paschal II. to Henry I.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Legationis tuæ verba, fili carissime, gratanter excepinus, si¹ vellemus obcedientiam promittentis. In quibus nimirum sanctæ Romanæ ecclesiæ illa in tuo regno pollicebaris, quæ tempore tui patris habuerat, eos requirens honores quos antecessorum nostrorum tempore pater tuus habuerat. Quæ profecto omnia grata in superficie viderentur, interius requisita, et legati tui vocibus exposita, gravia et vehementissima paruerunt. Quærebas enim, ut tibi episcoporum abbatumque per investituram constituendorum jus et facultas a Romana indulgeretur ecclesia, et, quod per se solum fieri omnipotens Dominus perhibet, hoc regiæ potestatis fieret. Ait enim Dominus, "Ego sum ostium. Per me si quis introierit salvabitur." Cum autem ecclesiæ ostium reges esse arrogant, fit profecto ut qui per eos ecclesiam ingrediuntur non pastores sed fures et latrones habeantur, eodem Domino dicente, "Qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde, fur est et latro." Et quidem si a nobis magnum aliquid tua dilectio postularet quod cum Deo, cum justitia, cum nostri ordinis salute concedi posset, gratanter utique concederemus. Hoc vero tam grave, tam indignum est, ut nulla ratione catholica id admittat ecclesia. Facilius ad extrema quælibet Beatus Ambrosius cogi potuit, quam imperatori ecclesiæ permitteret² potestatem. Respondit enim, "Noli gravare te, imperator, ut putes

MS. p. 147.

¹ si] sed, A.

] ² permitteret] permittere, A.

“ in ea quæ Divina sunt imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere; sed, si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, ‘ Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.’ Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim quæ non est legitimo Christi conjugio copulata.” Audis, O rex, adulteram ecclesiam nuncupari, quæ non legitime nupsit. Ecclesiæ siquidem sponsus unusquisque æstimatur episcopus, juxta scripturam illam qua ex fratris uxore frater non sui nominis filios suscitare præcipitur, et sponsæ contemptor a futuro sponso discolari mandatur. Vides igitur, O rex, quam ignominiosum, quam periculosum sit, per filios suos matrem adulterio pollui. Si ergo ecclesiæ filius es, quod utique omnis Catholicus Christianus est, permitte matri tuæ legitimum sortiri conjugium, ut non per hominem, sed per Deum et Hominem Christum, legitimo sponso copuletur ecclesia. Per Deum enim episcopos eligi cum canonicè eliguntur, testatur apostolus Paulus, dicens, “ Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.” Et Beatus Ambrosius, “ Merito,” inquit, “ creditur quod Divino esset electus judicio, quem omnes postulavissent.” Et, post pauca, “ Ubi universorum postulatio congruit, dubitare nos nequaquam¹ oportet ibi Dominum Jesum et voluntatis auctorem et petitionis arbitrum fore, et ordinationis præsulem et largitorem gratiæ. Præterea propheta David ad ecclesiam loquens ait, ‘ Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram.’ Ecclesia filios generat, ecclesia principes statuit.” Possemus alia de scripturis sanctis testimonia et exempla proponere, quibus constaret ecclesiæ sponso ac pastores episcopos, non sæcularium potestatum nutu, sed Christi dispositione et ecclesiæ judicio præponendos. Unde etiam imperator Justinianus sanxit in legibus sic, “ Debet enim prius disceptari de vita episcopi, utrum bona sit an reprehensibilis, et utrum bonis testimoniis muniatur annon.” Et infra, “ Fiat ” inquit, “ facultas unicuique si velit contradicere. Et si quidem ante sacrationem² fuerit contradictio facta, non prius consecretur episcopus,³ nisi disceptatio de contradictione sit facta et undique appareat

MS. p. 148.

MS. p. 149.

¹ *nequaquam*] non, A.² *sacrationem*] consecrationem, A. |³ *non . . . episcopus*] On erasure and cramped in A.

A.D. 1101. "innocius is qui ad episcopatum vocatur." Ecce, quod populi totius esse pronunciat imperator hoc sui solius esse regia potestas incessit. Ipsius etiam imperatoris lege cautum est, ut nec profectio nec ingressus ad imperatorem sine metropolitani litteris pateret episcopo. Quem ergo in curia tua sine metropolitani litteris admittere non debes, eum vis, O rex, in ecclesia principem constituere? Monstruosum profecto est, ut patrem filius generare, homo deum creare debeat. Sacerdotes namque in scripturis sanctis deos vocari tanquam Dei vicarios manifestum est. Unde sanctæ memoriæ Constantinus imperator de episcoporum causis disceptare ausus non fuisse describitur. Propter hoc sancta Romana et apostolica ecclesia per prædecessores¹ nostros regiæ usurpationi et investituræ abominabili vivaciter obviare curavit, et, gravissimis persecutionibus per tyrannos² affecta, usque ad tempora nostra non destitit. Confidimus autem in Domino quoniam nec in nobis confidentiæ suæ virtutem ecclesiæ princeps Petrus et episcoporum primus amittet. Porro sæcularium potestatum et regum in ecclesia quod sit officium, exponit apostolus Paulus dicens, "Dei enim minister est tibi in bonum. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in ira ei qui male agit." Et Petrus apostolus, in eadem verba consentiens, "Sive regi," ait, "quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum." Inter ista, rex, nullius tibi persuasio profana surripiat, quasi aut potestati tuæ MS. p. 150. aliquid diminuere, aut nos in episcoporum promotione aliquid nobis velimus amplius vindicare. Immo si ab hoc propter Deum desistas quod contra Deum esse manifestum est, quod cum Deo, nec tu exercere, nec nos concedere aut cum nostra seu tua salute possumus, quicquid deinceps postulaveris, quod cum Deo possimus, libentius indulgebimus, et honori tuo et sublimationi propensius insistemus. Nec existimes quod potestatis tuæ columen infirmetur, si ab hac profana usurpatione desistas. Immo tunc validius, tunc robustius, tunc honorabilius regnabis, cum in regno tuo Divina regnabit auctoritas. Tunc amicitiam et familiaritatem nostram firmiter obtinebis, et regni tutores beatos apostolos habere gaudebis. Nec tibi tunc³ in petitionibus tuis abesse poterimus, cui petitionum nostrarum fautorem Deum adesse senserimus, Ipse omnipo-

¹ *prædecessores*] predecessores, | ² *tyrannos*, MS.
MS. | ³ *tunc*] nunc, A.

tens Deus in cujus manu corda sunt regum assit hortatui nostro, assit auditui tuo, ut, dum juxta præcepta ejus tuas disposueris actiones, ipse regnum tuum pacis et honoris sui stabilitate ac sublimatione disponat. Amen. A.D. 1101.

Cum igitur ad curiam venissemus, rex, usus consilio fratris sui et amicorum illius qui acerbo contra Anselmum pro regni amissione odio erant inflammati, exegit ab eo ut aut homo suus fieret, et eos quibus episcopatus vel abbatias se daturum dicebat pro more antecessorum suorum consecraret, aut terram suam sine retractatione et festinanter exiret. Cui ille respondit, "Dixi quemadmodum Romano concilio inter-
 " fuerim, quidque¹ ibi a sede Beati Petri acceperim.
 " Si ergo excommunicationi cujus in hoc regno relator
 " extiti memet alicujus rei causa subjicio; cui, quæso,
 " deinceps adhærere potero, meo judicio excommuni-
 " catus? Nuncii hæc ipsa mutare directi infecto ne-
 " gotio reversi sunt. Horum igitur quæ cum salute
 " et honestate mea nequeo transgredi me transgresso-
 " rem fieri, non videtur esse² sani consilii." Refert,
 " Quid ad me? Usus antecessorum meorum nolo
 " perdere, nec in regno meo qui meus non sit quen-
 " quam sustinere." Dixit, "Audio quo tendant ista
 " quæ dicuntur, exercitatus in ejusmodi sum. At-
 " tamen interim non extra terram, ut ipse jubet, sed
 " ad ecclesiam meam ibo; et, faciendo quæ me debere
 " facere intelligam, quisnam mihi vel meis aliquam
 " velit violentiam inferre considerabo." Acta sunt in
 hunc modum de his multa, sed eorum omnium hæc
 extitit summa; episcopis regnique proceribus ut sub
 alio rege solebant verba hinc inde ferentibus, et in
 singulis regiæ voluntati parere certantibus, immo, ne
 Romani pontificis obcedentiæ subderetur summopere
 insistentibus. Reversus est itaque Anselmus ad sua,

MS. p. 149
bis.

The King
bids Anselm
become his
man, and
consecrate
his *investiti*,
or leave his
land.

He refuses
to accept
either
alternative.

¹ *Romano . . . quidque*] By a | ² A. omits *esse*.
later hand, and crowded, in A.

A.D. 1101. Deo in cunctis placere studens et oppressionibus ecclesiarum Angliæ gravi contritione cordis ingemiscens.

Anselm receives a letter of invitation from the King.

Non multum temporis fluxerat, et ecce, cum pater, suarum securus injuriarum, ecclesiæ damnis nonnihil metueret, litteræ sibi amicabiles a rege transmissæ ^{MS. p. 150} _{vis.} deferuntur, in quibus, primo salutationis alloquio cum perfectæ pacis oblatione soluto, rogatur venire ad regem gesti negotii sententiam alio consilio moderari volentem. Auditurus itaque ne forte Deus sua gratia cor ejus tetigerit, quo mandatur, Wintoniam vadit. Ubi episcopis terræque principibus sub uno coactis communi assensu apud Anselmum actum est, quatinus sub aliis induciis alii nuncii prioribus excellentiores ex utraque parte Romam mitterentur, Romano pontifici viva voce exposituri, illum aut a sententia necessario discessurum, aut, Anselmo cum suis extra Angliam pulso, totius regni subjectionem, et commodum quod inde singulis annis habere solebat, perditurum. Ab archiepiscopo igitur missi sunt monachi duo, præfatus scilicet Balduinus Beccensis et Alexander Cantuariensis; non quidem ut eorum instinctu Romanus pontifex rigorem justitiæ causa Anselmi ullo modo exiret, sed partim ut curialibus minis testimonium cui papa incunctanter crederet ferrent, partim ut de negotio certam apostolicæ sedis sententiam Anselmo referrent. Ad ipsum vero negotium conficiendum directi a rege sunt tres episcopi; Girardus videlicet de Herefordensi nuper factus archiepiscopus Eboracensis, Herbertus Teodfordensis, Robertus Cestrensis. Sed horum episcoporum duos sua quoque causa Romam agebat, Girardum scilicet adeptio pallii, et Herbertum intentio recuperandi ablatam ecclesiæ suæ curam Christianitatis super abbatiam Sancti Eadmundi. Ante paucos siquidem annos Balduinus ipsius cœnobii abbas Romam adierat, et apud Alexandrum papam privilegium ipsi abbatiae adquisierat, per quod eum a subjectione omnium episcoporum, salva primatis obœdientia, ^{MS. p. 151.}

A joint embassy is sent to Rome.

liberam effecerat. Quod factum Lanfrancus archiepiscopus moleste accipiens ipsum privilegium abbati abstulit, nec illud ei nisi circa finem vitæ suæ multorum precibus motus reddere voluit. Præfatus ergo episcopus episcopatum Teodfordensem, seu Norwicensem, in cujus parochia eadem abbatia esse scitur, suo jure non jure privatum esse ægre ferens,¹ ut diximus, Romam ire, et si forte posset in antiquam dignitatem ecclesiam cui præsidebat restituere, adminiculante æquitate, cogitabat. Hic itaque Herbertus cum, relictis sociis, Burgundiam cum suis venisset, et partes Lugdunensis provinciæ impiger attigisset, compræhensus a quodam Guidone, viro præpotente ac fero est, et quod de Anglia episcopus esset, quodque pro damno domini sui Anselmi Cantuariorum archiepiscopi Romam iret, ab eodem calumniatus. Negat ille, nec ei creditur. Instat negando et dejerando, sed nequiquam. Tandem prolatis sanctorum reliquiis super eas jurare cogitur et asseverare, se nulla omnino ratione Romæ scienter quid acturum, quod aut honori aut voluntati patris Anselmi videri posset obnoxium. Post quæ, ut pace ac securitate viri comitatus viæ reddi mereretur, ferme quadraginta, sicut fertur, marcas argenti non grata ei largitate reliquit, quas suo negotio super ecclesiam Sancti Edmundi Romæ adminiculaturas Angliam egrediens mage putavit.

MS. p. 152.

Emensa dehinc longitudine viæ, nuncii Romam una veniunt, sui adventus causam pro eo quem præfererat tenore apostolicis auribus suggerunt, tanti mali dirimendi consilium proni deprecant. Audit ille quæ feruntur, et non invenit verba quibus exprimat quantum inde miretur. Cum tamen magno ab episcopis opere² precaretur suis rebus præcavere ac definitæ prædecessoris sui sententiæ rigorem ut undique pax

A.D. 1102
The embassy reaches Rome.¹ *ægre ferens*] On erasure in A.² *magno ab episcopis opere*] ab episcopis magnopere, A.

A.D. 1102.
The Pope indignantly refuses to yield; and sends letters to King and Primate.

esset temperare, asseruit se nec pro capitis sui redemptione hoc facturum, "Decreta," dicens indignando, "et institutiones sanctorum patrum minis actus unius hominis dissiparem."¹ Finierat in istis. Super hæc scriptas epistolas regi et Anselmo, cuique suam, destinavit; regi, inter alia, ecclesiarum investituras iudicio Sancti Spiritus interdicens, et Anselmum ut quæ agebat ageret, et quæ loquebatur perloqueretur affectuose deprecans, firmata et apostolicæ sedis auctoritate roborata in omnibus sui primatus dignitate. Quæ ut melius pateant, epistolas ipsas legentium oculis ecce præfigimus.

Paschal II. to Henry I.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, carissimo filio Henrico, regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem. Regi regum Domino gratias agimus, qui te in regnum beneplacito suæ voluntatis evexit, et tanquam Christianum regem in beneplacito suæ voluntatis ineffabili misericordia custodivit. Rogamus ergo ut bona regni tui exordia in melius augeat, et usque in finem sua in te dona custodiat. Deseruisti enim fratris tui regis impietatem, quam Divino conspicias iudicio terribiliter vindicatam. Ecclesias libertati restituisti, clerum honorare cœpisti, et cleri principes, episcopos, immo in his Christum Dominum venerari. Confidimus itaque quoniam usque in finem eadem sapiens, et in eadem probitate persistes; nisi sunt aliqui perversæ mentis homines qui cor regium per episcoporum et abbatum investituras Divinæ indignationi aptare conantur. Quorum in hac parte consilia tanquam virus tibi sunt evitanda, ne illum offendas per quem reges regnant, et potentes justa decernunt. Quem profecto si propitium habueris, feliciter regnabis, potestatemque integram et divitias obtinebis. Quem si, quod absit, offenderis, non procerum consilia, non militum subsidia, non arma, non divitiæ, ubi subvertere cœperit, poterunt subvenire. Porro in honore Domini, in ecclesiæ libertate, nos familiares, nos adjutores habebis. Nec opineris quia quisquam nos a tua divellet amicitia, si ab investituris abstinere, si honorem debitum et libertatem a Domino institutam ecclesiæ conservaveris. Ecclesiarum siquidem investituras nos Sancti Spiritus iudicio

¹ *dissiparem*] A. has *dissiparem*?

regibus et principibus, immo laicis omnibus, interdicimus. A.D. 1102.
 Nec enim decet ut a filio mater in servitutem addicatur, ut
 sponsum quem non optavit accipiat. Habet Sponsum suum
 Regem ac Dominum nostrum, qui te misericordia sua in po-
 tentia et probitate custodiat, et a terreno regno ad cœleste
 perducat. Amen.

MS. p. 154. Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri
 et coepiscopo Anselmo, salutem et apostolicam benedictionem. Paschal
 to Arch-
 bishop
 Anselm.
 Non ignoras Divinæ voluntatis esse consilium, quod religio
 tua in Anglici regni regione præsideat. Cum enim, perversi
 regis odia declinans, secessum elegisses, et procul ab Anglicis
 tumultibus tecum habitans Deo viveres, de perverso rege sua
 omnipotens Dominus judicia terribiliter perpetravit. Te autem
 totius populi postulatione vehementi, et novi regis devotione
 mirabili, ad cathedram quam pro Deo dimiseras revocavit.
 Deo autem gratias quia in te semper episcopalis auctoritas
 perseverat, et inter barbaros positus non tyrannorum vio-
 lentia, non potentum gratia, non incensione ignis, non effu-
 sione manus, a veritatis annunciatione desistis. Rogamus ita-
 que ut quod agis agas, quod loqueris perloquaris. Non enim
 deficient sermonum nostrorum operumque Principium, qui in
 principio erat Verbum. Neque nos in ipso deficiemus, qui
 est Dei Virtus et Dei Sapientia. Eundem enim cum patri-
 bus nostris spiritum habentes credimus, propter quod et
 loquimur. Et verbum quidem Dei non est alligatum, nos
 autem humiliamur nimis. Cæterum in hac humilitione cum
 Deo mente excedimus. In ejus veritate hominum mendacia
 intuemur. Qua de re in synodo nuper apud Lateranense
 consistorium celebrata patrum nostrorum decreta renovavimus,
 sancientes et interdicentes ne quisquam omnino clericus de
 manu laici ecclesias vel ecclesiastica dona suscipiat. Hæc
 est enim Simoniacæ pravitatis radix, dum ad percipiendos
 honores ecclesiæ sæcularibus personis insipientes homines
 placere desiderant.¹ MS. p. 155. Iccirco sanctorum conciliorum veneranda
 majestas sæcularium principum potestatem ab ecclesiasticis
 electionibus decrevit arcendam, ut, sicut per solum Christum
 prima in baptismo ecclesiæ janua, ultima in morte vitæ
 aperitur æternæ, ita per solum Christum ovilis Christi osti-
 arius statuatur, per quem Christi ovibus non pro mercedibus
 ovium sed pro Christo ingressus et egressus ad vitam per-

¹ *sæcularibus . . . desiderant*] On erasure and crowded in A.

A.D. 1102. ducatur æternam. Hæc, frater carissime, prolixiori possent et oratione et ratione tractari, sed sapientiæ tuæ pauca suggestisse satis est, quæ et orationibus Divinis abundat et ecclesiasticis est rationibus assueta. Hæc ita doceas, sicut tuo scis¹ primatui expedire. Quem profecto ita fraternitati tuæ pleniter et integrum confirmamus, sicut a tuis constat prædecessoribus fuisse possessum, hoc personaliter adjicientes, ut quamdiu regno illi religionem tuam Divina misericordia conservaverit, nullius unquam legati sed nostro tantum debeas subesse² iudicio.

Scripsit quoque per idem tempus epistolam unam episcopo et clericis ecclesiæ Excecestrensis, quam huic opusculo indere non omnino alienum putavimus,³ quandoquidem illam futuris temporibus alicujus negotio forte profuturam speremus. Est autem hæc.

Paschal II.
to Osbern,
Bishop of
Exeter.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Osberno episcopo, et clericis Excecestrensis ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Et patrum sanxit auctoritas, et ecclesiasticæ consuetudinis stabilitas exigit, ut sicut in claustris suis viventes religiosi monachi conversantur, ita et defunctorum corpora infra monasteriorum suorum ambitum requiescant, ut illud ex Divino munere cum cordis valeant exultatione cantare, "Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam." Vos autem, ut audivimus, monachos Sancti Martini de Bello in vestra civitate conversantes sepeliri infra monasterii sui ambitum prohibetis; et grave est ut in eo loco quisquam cum devotionis gratia conversetur, unde cadaver suum prævidet omnimodis propellendum. Qua de re dilectioni vestræ præsentia scripta mandamus, præcipientes et prohibentes ne ulterius supradictis monachis cimiterium ad sepeliendos suos interdicitis; sed, sicut vobis per antecessoris nostri beatæ⁴ memoriæ domini Urbani litteras præceptum est, concedatis. Tua, carissime frater Osberne episcope,⁵ interest eisdem fratribus cimiterium benedicere, et eorum religionem ad omnipotentis Dei servitium confovere. Siquis autem huic institu-

¹ *tuo scis*] scis tuo, A.

² *debas subesse*] subesse debeas, A.

³ *putavimus*] putamus, A.

⁴ *beatæ*] bonæ, A.

⁵ *carissime frater Osberne episcope*] autem frater episcope Osberne, A.

tioni contraire temptaverit, venerabili fratri et coepiscopo Anselmo injunximus, ut in eum, tanquam sedis apostolicæ contemptorem, apostolici rigoris ultionem exerceat. A.D. 1102.

Reversis episcopis et aliis qui Romam, ut diximus, directi fuerant, rex, adunatis Lundoniæ principibus regni, Anselmum per internuncios ex more convenit, quatinus sibi aut paternas consuetudines¹ ultra non negaret, aut regni sui cultor esse desineret. Respondit, "Inspiciantur, si placet, litteræ quæ allatæ sunt; et, salva honestate mea, salva sedis apostolicæ obedientia, quantum potero voluntati ejus morem gerere pertemptabo." "Si vult," ait, "suæ videantur, meæ sciat hac vice non videbuntur." Refert, "Cum igitur," inquit, "alia vice sibi eas ostendere placuerit, tunc et me ad ea quæ modo haberet promptum habebit." Respondit, "Nequaquam de litteris ago vel agam; sed an meæ voluntati, omni ambage dimissa, in cunctis concurrere velit edicat ut audiam." Quod auditum multis magnæ admirationi fuit, dicentibus inter se, quia si litteræ voto ipsius concordarent, eas, etiam nolente Anselmo, ultroneus publicaret. Non ergo nobis eo tempore innotuerunt. Attamen quo tunc sollicitius sunt celatæ, eo latius post aliquot dies sunt divulgatæ. Verum lectis atque relectis coram omnibus auditum præbere volentibus litteris Anselmo directis, subjunxerunt episcopi qui Roma venerant, se alia Romæ ab apostolico verbis accepisse quam litteræ ipsæ, vel etiam illæ quas regi detulerant, continerent in se. Requisiti quæ, contestati sunt in episcopali veritate papam ipsum regi verbis puris mandasse per se, quoniam quamdiu in aliis vitam boni principis ageret, de ecclesiarum investituris æquanimitè illum toleraret, nec eum ullo excommunicationis vinculo neceret, si religiosas personas per da-

MS. p. 157.

Anselm is summoned to London, and offered two alternatives.

The King refuses to let the Pope's letter to him be seen.

The Pope's letter to the Primate

The bishops who had been to Rome make a strange statement.

¹ *aut paternas consuetudines*] aut consuetudines paternas, A.; the first two words being cramped and on erasure, probably for admission of aut.

A.D. 1102. tionem virgæ pastoralis eis investiret. Cur autem hanc tanti doni dignitatem ei per cartæ inscriptionem noluerit delegare, eam ferebant causam esse, videlicet ne, in aliorum notitiam principum perlata, ipsi eam sibi usurparent, Romani pontificis auctoritate contempta. Ad hæc cum ii¹ qui ex parte Anselmi missi fuerant viva voce testarentur, papam nil cuilibet verbis mandasse quod litteris aliquatenus adversaretur, objecerunt episcopi se clam illis alia egisse, palam alia. Quod Balduinus audiens, et infamem apostolicæ sedis inconstantiam quæ notabatur sustinere non valens, eos, sicut erat spiritu fervens et boni amans, nonnihil etiam in istiusmodi dictis contra fidem et sacramenta quæ se coram Romæ fecerant apostolico agere calumniatus est. Orta igitur dissentio non modica inter partes est. Hi² etenim astruere nitebantur, semoto verborum incerto, scriptis sigillo papæ signatis verbisque monachicis omnino credendum; illi econtra trium potius episcoporum assertionibus quam vervecum pellibus atramento denigratis plumbique massula oneratis fore cedendum, abjecto monachellorum testimonio, qui ubi sæculo se abrenunciare professi sunt, "omne," inquit, "sæcularis negotii testimonium perdiderunt." "Ast hoc," ait Balduinus, "negotium sæculare non est." Aiunt, "Et quidem te virum prudentem et strenuum scimus; sed ipse ordo expostulat ut archiepiscopum unum pontificesque duos majoris testimonii quam te esse judicemus." "Et de litterarum," inquit, "testimonio quid?" Responderunt, "Testimonium monachorum contra episcopos non recipimus, et ovinæ pellis reciperemus?" "Væ, væ," aiunt ad ista quilibet religiosi, "Nonne et evangelia pellibus ovinis inscribuntur? O hinc simultatis detecta confusio." Quid in his Anselmus ageret, quo se verteret, aliquandiu dubitavit. Grave

MS. p. 158.

MS. p. 159.

¹ ii] hii, A.| ² Hi] Hii, A.

quippe iudicavit quomodocunque ostendere fidem se litteris apostolicis non habere; et fomitem gravis scandali vidit esse, verba tantarum personarum in episcopali veritate illa vera esse contestantium adversa fronte refellere. Textus autem litterarum hic est. A.D. 1102.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Anselmo, Cantuariensi episcopo, salutem et apostolicam¹ benedictionem. Paschal II.
to Arch-
bishop
Anselm.

Adversus illam venenosam simoniacæ pravitatis radicem, ecclesiarum videlicet investituram, quam valide, quam robuste, quam severe patres nostri præteritis temporibus obviaverint, sapientiæ tuæ satis est manifestum. Reverendæ in Christo memoriæ prædecessoris nostri domini Urbani tempore, apud Barim collecto venerabilium episcoporum et abbatum ex diversis partibus concilio, in quo tua religio et nos ipsi interfuimus, sicut fratres qui nobiscum aderant remiscuntur, in eandem pestem excommunicationis est prolata sententia. Et nos, eundem cum patribus nostris spiritum habentes, idem sapimus, et eadem testamur. De sacerdotum et levitarum filiis dudum nos tibi scripsisse reminisceris. Porro si promoti fuerint inventi, et, spe promotionis adempta, in eo quo reperti sunt ordine² manere voluerint, quia illa eis macula non ex proprii culpa reatus inhæsit, non videtur, si alias digni fuerint, in eos depositionis sententiam dari, ut se iterum negotiis implicent sæcularibus, cum in eis ordinationis tempore propriæ voluntatis arbitrium non remanserit. Gualensis episcopi causam sacris omnino canonibus obviare non nescis. Cæterum, quia inter barbaros barbarice et stolide promotus est, in tuæ fraternitatis arbitrio ponimus. Sic tamen ut de cætero in ea regione huiusmodi non præsumatur³ adversio. Quod super ejusdem episcopi negotio et aliis rebus per fideles nuncios dirigimus, tanquam ex nostro ore audias. Munera quæ Beato Petro misisti, recepimus cum gratiarum actione; unde ab illo qui omnium bonorum est retributor mercedem recipias. Datæ Beneventi, ii. Idus Decembris.⁴

MS. p. 160.

¹ *venerabili* . . . *apostolicam*] Apparently a subsequent insertion in A., which has *archiepiscopo*, not *episcopo*.

² *adempta* . . . *ordine*] Writing cramped in A.

³ *presumatur*] *presumatur*, MS.

⁴ See Preface.

A.D. 1102.
The King insists on Anselm's acquiescence.

The three bishops second his endeavours.

The Primate makes a proposal, which is accepted.

Rex itaque ex iis¹ quæ episcopi dicebant in sua sententia animosior factus, constanter insistere cœpit, faventibus simul et incitantibus eum episcopis regnique proceribus, quatinus sine retractatione sibi Anselmus hominum faceret, et eos quibus se protinus daturum² episcopatus dicebat consecraturum sponderet, servata in omnibus antecessorum suorum consuetudine. Tunc ille, "Si suorum," dixit, "verbis episcoporum litteræ concordorant, intellecta ratione, forsan quod exigit facerem. Nunc autem, ne in ullo decipiar, electius videtur Romanum super his pontificem consulere, quam in re tam ambigua sententiam præcipitare." Ad quæ qui Roma venerant episcopi respondere, "Quæ diximus dicimus, quæ testati sumus confirmamus; inque his omnibus apostolicæ sedis testimonium, si nobis non credis, appellamus. Super hæc quoque tibi ex parte domini papæ qui hoc jussit denuncia-^{MS. p. 161.} mus, quatinus consilio nostro te nil hæsitans credas, quia dum voles nos paratos habebis re ipsa probare, iis³ quæ dicimus nihil duplicitatis inesse." At ille,⁴ "Adversus ea quæ asseritis lites conserere nolo. Verum quia sentio ex illis quæ auditu secretius didici voluntatem procerum in hoc unam factam esse, scilicet ut si rex investituras ecclesiarum, sicut se facturum minatur, dederit, licet id me nec approbante nec concedente faciet, ego causa vestri nec danti nec accipienti meam quasi excommunicatis communionem subtraham, donec, nunciis quos pro negotii hujus discussionem Romam destinabo reversis, pro certo sciam quid agam, solus ab eis discrepare nolo; hoc interim observato penes me, ut nulla penitus ratione quemquam in officium sic suscepti honoris consecrem, aut cuivis alii consecrare præcipiam vel concedam."

¹ *iis*] his, A.

² *protinus daturum*] daturum protinus, A.

³ *iis*] his, A.

⁴ *At ille*] On erasure in A.

Soluta in istis controversia est, et res utrinque¹ sopita. Tunc rex, tanquam cupitæ potestati donatus, exultans et hilaris per dationem virgæ pastoralis illico duos de clericis suis duobus episcopatibus investivit, Rogerium videlicet cancellarium episcopatu Serberiensis, et alium Rogerium larderarium suum pontificatu Herefordensi.

A.D. 1102.
The King invests two of his clerks

Per idem tempus celebratum est generale concilium episcoporum et abbatum totius regni in ecclesia Beati Petri apostolorum principis quæ in occidentali parte Lundoniæ sita est. Cui concilio præsedit Anselmus archiepiscopus Dorobernensis, considentibus secum archiepiscopo Eboracensi Gerardo, Mauricio episcopo Lundoniensi, Willelmo electo episcopo Wintoniensi, Roberto episcopo Lincolniensi, Sansone Wigornensi, Roberto Cestrensi, Johanne Bathoniensi, Herberto Norvvicensi, Radulfo Cicestrensi, Gundulfo Rhofensi,² Herveo Pangorensi, et duobus noviter investitis Rogerio scilicet Serberiensis et Rogerio Herefordensi. Osbernus autem Exoniensis infirmitate detentus interesse non potuit. In hoc concilio multa ecclesiasticæ disciplinæ necessaria servari Anselmus instituit, quæ postmodum sedis apostolicæ pontifex sua auctoritate confirmavit. Cujus concilii seriem, sicut ab eodem patre Anselmo descripta est, huic operi inserere non incongruum existimavimus. Scribit itaque sic.

The Primate holds a council in Westminster Abbey.

MS. p. 162.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo secundo, quarto autem præsulatus Paschalis summi pontificis, tertio regni Henrici gloriosi regis Anglorum, ipso annuente, communi consensu episcoporum et abbatum et principum totius regni,³ celebratum est concilium in ecclesia Beati Petri in occidentali parte juxta Lundoniam sita. In quo præsedit Anselmus archiepiscopus Dorobernensis et primas totius Britanniæ, considentibus venerabilibus viris Gerardo Eboracensi archiepiscopo, Mauricio Lundoniensi episcopo, Guilielmo Wintoniæ⁴ electo episcopo, aliisque tam episcopis quam abbati-

Textus concilii Lundoniensis. (A.D. 1102.)

¹ *res utrinque*] utrinque res, A., which inserts *res* over line.

² *Rhofensi*] Rofensi, A.

³ *communi . . . regni] celebra-*
tum . . . sita] Transposed in A.

⁴ *Wentonia]* Wintoniæ, A.

A.D. 1102. bus. Huic conventui affuerunt, Anselmo archiepiscopo petente a rege, primates regni, quatinus quicquid ejusdem concilii auctoritate decerneretur, utriusque ordinis concordi cura et sollicitudine ratum, servaretur. Sic enim necesse erat, quoniam MS. p. 163. niam multis retro annis synodali cultura cessante, vitiorum vepribus succrescentibus, Christianæ religionis fervor in Anglia nimis refrixerat.

Primum itaque ex auctoritate sanctorum patrum symoniacæ hæresis surreptio in eodem concilio damnata est. In qua culpa inventi depositi sunt Guido abbas de Perscore, et Wimundus de Tavestoc,¹ et Ealdwinus de Rammesei;² et alii nondum sacriati remoti ab abbatiis, scilicet Godricus de Burgo, Haimo de Cernel, Ægelricus de Middletune.³ Absque simonia vero remoti sunt ab abbatiis, pro sua quisque causa, Ricardus de Heli, et Robertus de Sancto Edmundo, et qui erat apud Micelenei.

Statutum quoque est ne episcopi sæcularium placitorum officium suscipiant, et ut non sicut laici, sed ut religiosas personas decet ordinatas vestes habeant, et ut semper et ubique honestas personas testes habeant suæ conversationis.

Ut etiam archidiaconatus non dentur ad firmam.

Ut archidiaconi sint diaconi.

Ut nullus archidiaconus, presbyter, diaconus, canonicus, uxorem ducat, aut⁴ ductam retineat. Subdiaconus vero quilibet qui canonicus non est, si post professionem castitatis uxorem duxit,⁵ eadem regula constringatur.

Ut presbyter quamdiu illicitam conversationem mulieris habuerit, non sit legalis, nec missam celebret, nec, si celebraverit, ejus missa audiat.

Ut nullus ad subdiaconatum aut supra ordinetur sine professione castitatis.

Ut filii presbyterorum non sint hæredes ecclesiarum patrum suorum.

Ne quilibet clerici sint sæcularium præpositi vel procuratores, aut iudices sanguinis.

Ut presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant.

Ut vestes clericorum sint unius coloris, et calciamenta ordinata.

¹ *Tavestoc*] Tavestoch, A.

² *Rammesei*] Rameseie, A.

³ *Middletune*] Mideltune, A.

⁴ *aut*] vel, A.

⁵ *duxit*] duxerit, A.

Ut monachi vel clerici qui ordinem suum abjecerunt, aut A.D. 1102. redeant aut excommunicentur.

Ut clerici patentes coronas habeant.

Ut decimæ non nisi ecclesiis dentur.

Ne ecclesiæ aut præbendæ emantur.

Ne novæ capellæ fiant sine consensu episcopi.

Ne ecclesia sacretur donec provideantur necessaria et presbytero et ecclesiæ.

Ne abbates faciant milites; et ut in eadem domo cum monachis suis manducent et dormiant, nisi necessitate aliqua prohibente.

Ne monachi pœnitentiam cuiusvis injungant sine permissu abbatis sui; et quod abbates eis licentiam de hoc dare non possunt, nisi de eis quorum animarum curam gerunt.

Ne monachi compatres, vel monachæ commatres fiant.

Ne monachi teneant villas ad firmam.

Ne monachi ecclesias nisi per episcopos accipiant, neque sibi datas ita exspolient suis redditibus, ut presbyteri ibi servientes in iis quæ sibi et ecclesiis necessaria sunt penuriam patiantur.

Ut fides inter virum et mulierem occulte et sine testibus de conjugio data, si ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur.

Ut criniti sic tondeantur ut pars aurium appareat, et oculi non tegantur.

MS. p. 165. Ne cognati usque ad septimam generationem ad conjugium copulentur,¹ vel copulati simul permaneant; et si quis hujus incestus conscius fuerit et non ostenderit, ejusdem criminis se participem esse cognoscat.

Ne corpora defunctorum extra parochiam suam sepelienda portentur ut presbyter parochiæ perdat quod inde illi juste debetur.

Nequis temeraria novitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus, quod contigisse cognovimus, sine episcopali auctoritate reverentiam sanctitatis exhibeat.

Nequis illud nefarium negotium quo hactenus homines in Anglia solebant velut bruta animalia venundari deinceps ulatenus facere præsumat.

Sodomiticum flagitium facientes et eos in hoc voluntarie juvantes in eodem concilio gravi anathemate damnati sunt, donec pœnitentia et confessione absolutionem mereantur.

¹ copulentur] non copulentur, A.

A.D. 1102. Qui vero in hoc crimine publicatus fuerit, statutum est, siquidem fuerit persona religiosi ordinis, ut ad nullum amplius gradum promoveatur, et siquem habet ab illo depouatur. Si autem laicus, ut in toto regno Angliæ legali suæ conditionis dignitate privetur. Et, ne hujus criminis absolutionem iis qui se sub regula vivere non voverunt aliquis nisi episcopus deinceps¹ facere præsumat. Statutum quoque est ut per totam Angliam in omnibus ecclesiis et in omnibus Dominicis diebus excommunicatio præfata renovetur.

Et hic quidem Lundoniensis concilii textus est, qui post non multos institutionis suæ dies multos sui MS. p. 166. transgressores in omni hominum genere fecit. Sane quod ultimum, de renovanda excommunicatione Dominicis diebus, statutum fuit ipsemet Anselmus, rationabili dispensatione usus, postponi concessit. Finito concilio, Anselmus Lundonia decessit.²

Fatal illness of Roger the larderer.

Præfatus ergo Rogerius, qui, ut diximus, in episcopatum Herefordensem assumptus erat, evestigio in ipsa civitate Lundoniæ gravi infirmitate percussus, ad extrema deductus est. Qui cum se proximum morti sentiret, misso nuncio cum epistola, rogavit Anselmum quatinus præciperet duobus episcopis suis, Lundoniensi videlicet atque Rofensi, ut eum antequam moreretur sub celeritate episcopum consecrarent. Quod ipse audiens, insipientiam hominis admiratus, paulum subrisit, nihilque respondens ad postulata³ nuncium a se sicut venit vacuum emisit. Et ille quidem mox Lundoniæ mortuus est, et cancellarius reginæ, Reinelmus nomine, loco illius pari investitura subrogatus.

The King appoints and invests Reinelm in his place.

The King sends Anselm a request which is not obeyed.

Mittens ergo rex rogavit Anselmum quatinus pro suo jure hos noviter electos cum Willelmo jam dudum Wentanæ civitati⁴ electo episcopo consecraret. Respondit, "Equidem Willelmum libens consecrabo, sed " quod de nuper investitis inter me et illum convenit

¹ *deinceps*] Not in A.

² *decessit*] discessit, A.

³ *postulata*] On erasure in A.

⁴ *civitati*] civitatis, A., on erasure.

“ non mutabo.” At ille, nonnihil ab animi sui¹ tranquillitate mutatus, unum sine aliis illum se vivente non sacraturum, interposito sacramento, asseruit. Erat quippe idem Willelmus in episcopatum Wentanæ, ut MS. p. 167. The case of the Bishop-elect of Winchester. prælibavimus, civitatis, Anselmo necdum ab exilio revocato, electus; sed ipse nec electioni consentire, nec baculum sibi a rege porrectum suscipere, nec rebus vel causis episcopalibus ullo volebat pacto intendere. Revocato autem Anselmo, clerus et populus ei insistere, ac ut electum suum sibi præficeret magno cœperunt opere postulare. Differt ipse, nec subitum præbet assensum. Tandem tamen et eorum assiduitate et ecclesiasticæ necessitatis consideratione permotus, connivente rege, Willelmum in ecclesiam, exultantibus cunctis, et monachis ipsius ecclesiæ festive procedentibus, adduxit, ac Wentani pontificatus curam ei sub præsentia totius multitudinis, dato baculo pastorali, delegavit. Hunc igitur ita electum visum est pontificali benedictioni non esse jure defraudandum. Sed cum rex illum sine aliis sacrari nequaquam permitteret, nec Anselmus eos cum illo sacrare ullatenus adquiescere vellet, præcepit rex ut Gerardus Eboracensis simul omnes sacraret. Quod ubi præfatus Reinelmus advertit retulit regi baculum et anulum quos se injuria suscepisse dolebat; sciens quia maledictionem pro benedictione susciperet, si tali ordine benedicens se manibus Gerardi summitteret. Unde rex nimis iratus eum gratia sua curiaque privavit. Gerardus itaque, sociatis sibi cunctis episcopis Angliæ, residuos duos, id est, Willelmum atque Rogerium, spreta omni æquitate, statuto die Lundoniæ voluit consecrare, Anselmo in villa sua quæ non longe est, MS. p. 168. The King bids the Archbishop of York consecrate the three candidates. Reinelm gives back ring and crossier. Murtelac nomine, consistente, et eventum rei præstante. Verum episcopis ad examinationem sacrandorum pro more paratis atque dispositis, Willelmus amore

¹ *sui*] Not in A.

- A.D. 1102. compunctus justitiæ mox inhorruit, et suis omnibus spoliari quam tam infando ministerio sub tanti mysterii administratione collum inclinare delegit. Quapropter episcopi sua confusione percussi, infecto negotio, ab invicem sunt illico divisi. Ad hæc totius multitudinis quæ rei exitum spectare convenerat clamor insonuit, una voce Willelmum recti amatorem, et episcopos non episcopos sed justitiæ præcipitatores esse concrepantis. At illi, mentis suæ rancorem ex vultu immutatione pandentes, regem adeunt, illatæ sibi contumeliæ querimoniam coram illo depromunt. Willelmus in medium deducitur, patrati delicti reus accusatur, minis non levibus hinc inde concutitur. Ille stat, nec avelli potest a recto, et ideo suis omnibus exspoliatus eliminatur a regno. Quærit Anselmus super istis a rege judicium et justitiam, sed nequam. Iterum atque iterum preces et querelas pro qualitate negotii suggerit, sed ille nec prece nec querimonia motus cepto desistere voluit.
- The Bishop elect of Winchester defeats the plan.
- Auselm seeks redress, but in vain.
- A.D. 1103. Subsequenti dehinc media fere quadragesima rex Cantuariam venit, quædam, ut ferebatur, regni negotia Dofris cum comite Flandriæ tractaturus. Moratus autem triduo Cantuariæ est, et quod de comitis agebatur adventu nihil fuisse agnitum est. Agnitum vero est quare venerit, et ipsius moræ occasio patuit. In illis quippe diebus per suos convenit Anselmum, quatinus, sua jam diutina patientia delibutus, paternarum consuetudinum amplius sibi nil derogaret, ne irritatus cogeretur actu monstrare qualiter ea quæ se contra faciebat sibi sederent in mente. Nam, sicut per eos qui secretorum illius conscii erant nonnullis innotuit, disposuerat apud se illum aut aliquo gravi corporis damno læsurum, aut certe inhoneste trans mare pulsurum, ac demum omnia juri ecclesiæ competentia direpturum, si eum ad executionem suæ voluntatis de nota querela non reperiret omnino paratum. Quibus agnitis, ita pater Anselmus respondit, "Nuncii quos MS. p. 169.
- The King's message to the Primate.
- The Primate's reply.

“ pro verbis quæ detulerunt episcopi Romam direxi A.D. 1103.
 “ jam reversi sunt, et veritati attestantes, ut aiunt,
 “ litteras attulerunt. Ipsæ, quæso, litteræ inspiciantur,
 “ si forte in illis aliquid quod me voluntati suæ
 “ condescendere sinat inveniatur.” “ Nequaquam.” ait, Fresh mes-
 “ Ambages hujusmodi ultra non feram, finalem causæ replies.
 “ volo habere sententiam. Quid mihi de meis cum
 “ papa? Quæ antecessores mei hoc in regno possede-
 “ runt mea sunt. Hæc siquis auferre mihi voluerit,
 “ quod inimicus meus sit omnis qui me diligit certis-
 “ sime noverit.” Tunc præsul ad ista, “ Nihil eorum
 “ quæ ipsius esse scio ipsi tollo aut tollere volo. Ve-
 “ runtamen noverit quia nec pro redemptione capitis
 “ mei consentiam ei de iis quæ præsens audivi in
 “ Romano concilio prohiberi, nisi ab eadem sede inter-
 “ dictorum absolutionis sententia prodeat, a qua con-
 MS. p. 170. “ stitutionis ipsorum¹ vinculum prodiit.” Multiplicata
 sunt ergo verba istius discidii, tantumque gravata ut
 filii ecclesiæ magno timerent ne patrem suum protinus
 perderent. Ipsos principes quorum consiliis rex
 totus² innitebatur, consideratione futurorum malorum
 ingemiscentes, lacrimis maduisse conspeximus. Fiunt
 preces et orationes ab ecclesia ad Christum, et pio
 gemitu interpellatur quatinus suæ pietatis intuitu se-
 det instantia mala. Hæc inter voce summissa rex The King
 antistiti mandat, et multis precibus obsecrat, quatinus begs An-
 ipse per se Romam ire, et quod alii nequiverant sua to Rome
 sibi industria conetur acquirere, ne ipse perdendo suo- for him.
 rum jura antecessorum eis vilior fiat. Sensit pater
 quo hæc vergerent, et respondit, “ Differantur hæc, si Anselm
 “ placet, usque in Pascha, ut audito episcoporum reg- postpones
 “ nique primatum consilio qui modo non assunt re- his answer
 “ spondeam hinc.” Terminata in istis ea vice causa till Easter.
 est, et ab invicem sunt in pace divisi.

¹ constitutionis ipsorum] On era-
 sure in A.

² totus] Not in A.

A.D. 1103. Igitur in Pascha curiam Anselmus¹ venit, regni ingenuitatem de negotio præsens consuluit, communis consilii vocem unam accepit, æquum scilicet fore illum tantæ rei gratia viæ laborem debere non subterfugere. Refert, "Dum in commune vultis ut eam, ego, corpore licet imbecillis senioque confinis, iter aggrediar, iturus quo consulitis prout vires concesserit Deus, omnium finis. Attamen si ad apostolicum pervenire potuero, noveritis quia ipse nil quod vel ecclesiarum libertati, vel meæ possit obviare honestati, meo faciet vel rogatu vel consilio." Dixerunt, "Legatum suum rex dominus noster² suas preces regnique negotia apostolicis auribus expositurum tecum diriget, et tu solummodo iis quæ vera dixerit attestare." Ait "Quod dixi dixi,³ nec vera dicenti miserante Deo⁴ contradictor existam."

He confers with the barons, is advised to go, and undertakes to do so.

Anselm's reason for wishing to quit England.

His reason for not yet opening the Pope's letter.

Finitis itaque paschalibus festis, a curia discessit Anselmus, iter Angliam exeundi quantotius acceleraturus. Vulnerabat enim quodam modo mentem ejus, quod rex nec per se nec per suos, ut dixi, audire volebat quid litteræ Roma nuper allatæ continerent in se. Quod ideo illum facere quidam opinati sunt quoniam materiam earundem litterarum ei jam revelatam per unum illorum quos Anselmus Romam direxerat sensim intellexerunt. Formidabat ergo Anselmus ne, si verbis episcoporum in litteris ipsis papa non concordaret, pro investituris ecclesiarum quæ factæ fuerant, et etiam consecrationibus quorundam abbatum quos ea tempestate investitos Robertus Lincolnus episcopus et Johannes Bathoniensis sacraverant, sæpe dicta excommunicationis sententia tales nonnullos involverit, a quorum communione se nequaquam sine gravi scan-

¹ *Anselmus*] Not in A.

² *rex dominus noster*] dominus noster rex, A.

³ *dixi dixi*] dixi dico in A., which gives *dico* on erasure.

⁴ *miserante Deo*] Deo miserante, A.

dalo cohibere valeret. Litteras etenim ipsas necdum¹ A.D. 1103.
 inspexerat præcavens ne si forte, mutato consilio, rex
 eas inspiciendas requireret, sigilloque exclusas reperiret,
 aliquid haberet quod earum auctoritati objicere non
 injuria posset. Festinato igitur ratus est Anglia ex-
 eundum, ne illic excommunicatis communicando aliqua
 excommunicationis culpa involveretur. Venimus ergo
 MS. p. 172. Cantuariam. Ubi non ultra quatuor dies demorati, ac-
 cepta sacræ benedictionis licentia a monachis dilectis-
 simis filiis suis, necne a civium circumfluentiumque He em-
 barks.
 populorum numerositate, ingenti pietatis affectu prose-
 cuti ad portum maris properavimus. Itaque naves
 ingressi Witsandis appulimus. Acta sunt hæc anno
 Incarnati Verbi millesimo centesimo tertio, v. Kal. He lands at
 Wissant
 (April 27th,
 1103).
 Maii.² Regia igitur pace suisque omnibus investitus
 mare transiit, et libera via per Bononiam iter Norman-
 niam veniendi assumpsit, quorumque nobilium terræ
 non vili obsequio fretus.

Cum autem Becci fuisset, ubi qua devotionis, qua He reaches
 Le Bec, and
 dilectionis, qua gaudii et omnis boni jocunditate sus- reads the
 ceptus sit taceo, dum id nulli possibile dictu existi- Pope's
 mem, litteras ibi prænominatas sigillo absolvit. Quid letter.
 itaque in eis invenerit textus earum quem subscribimus
 declarabit.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, Anselmo Can- Paschal II.
 tuariensi venerabili fratri et coepiscopo, salutem et apostoli- to Arch-
 cam benedictionem. bishop
 Anselm.

Suavissimas dilectionis tuæ suscepimus litteras caritatis
 calamo scriptas. Neque enim aliud cartæ calamus indidit
 quam quod de fonte caritatis intinxit. In his reverentiam
 devotionis tuæ complectimur, et, perpendentes fidei tuæ robur
 et piæ sollicitudinis instantiam, exultamus, quia, gratia Dei
 tibi præstante auxilium, te nec minæ concutiunt nec pro-
 missa sustollunt. Dolemus autem quia cum fratres nostros
 episcopos legatos regis Anglorum benigne suscepissemus, quæ
 MS. p. 173. nec diximus eis nec cogitavimus redeuntes ad propria retu-

¹ *necdum*] nondum, A.

| ² *Maii*] MAI, MS.

A.D. 1108. Ierunt. Audivimus enim eos dixisse, quia, si rex in aliis bene ageret, nos investituras ecclesiarum nec prohibere nec factas excommunicare, et quod id eo nolebamus cartæ committere, ne sub hac occasione et cæteri principes in nos inclamarent. Unde Jesum, qui renes et corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus, si ex quo hujus sanctæ sedis curam cœpimus gerere hoc immane scelus vel descendit in mentem. Et hoc a nobis Deus avertat¹ ut est, et non subrependo nos inficiat,² ut aliud habeamus ore promptum, aliud cordi³ reconditum, cum contra mendaces propheta imprecetur dicens, “Disperdat Dominus universa labia dolosa.” Si vero nostro silentio pateremur ecclesiam felle amaritudinis et impietatis radice pollui, qua ratione possemus apud internum iudicem excusari, cum Dominus sub specie sacerdotum dicat prophetæ,⁴ “Speculatorem te dedi domus Israel?” Non bene custodit urbem, qui in specula positus, dum non obsistit, eam hostibus diripiendam exponit. Si ergo virgam pastoralitatis signum, si anulum signaculum fidei tradit laica manus, quid in ecclesia pontifices agunt? Ecclesiæ honor atteritur, solvitur disciplinæ vigor, et omnis religio Christiana conculcatur, si quod novimus sacerdotibus solis deberi laica patiamur temeritate præsumi. Non est laicorum ecclesiam tradere, nec filiorum matrem adulterio maculare. Jure igitur privandus est patrimonio qui matrem polluit adulterio, nec meretur ecclesiasticæ benedictionis consortium qui eam MS. p. 174 impia infestatione insequitur. Laicorum enim⁵ est ecclesiam tueri, non tradere. Ozias quidem cum illicitum sibi sacerdotium vindicaret lepra percussus est. Filii quoque Aaron quia alienum ignem imposuerunt, igne Divino consumpti sunt. Alienum est enim ab ecclesia, et a sacris canonibus est inhibitum ne principes et sæculares viri investituras non solum dare,⁶ sed nec electioni episcoporum se audeant violenter inserere. In septima quippe synodo, ut nostis, scriptam est, “Sancta et universalis synodus defnivit neminem “laicorum principum vel potentum⁷ semet inserere electioni⁸

¹ *a nobis Deus avertat*] Deus avertat a nobis, A.

² *nos inficiat*] inficiat nos, A.

³ *cordi*] corde, A.

⁴ *specie . . . prophetæ*] On erasure, and crowded, in A.

⁵ *enim*] Not in A.

⁶ *non solum dare*] solum non dare, A.

⁷ *vel potentum*] potentumve, A.

⁸ *electioni*] electioni episcoporum, A.

“ vel promotioni episcoporum.”¹ Si ergo filii Aaron quia ignem alienum intulerunt corporaliter puniti sunt, isti qui a laicis, a quibus alienum est, ecclesiam susceperunt spirituali gladio feriuntur. Episcopos autem qui veritatem in mendacio invocarunt, ipsa veritate quæ Deus est in medium introducta, a Beati Petri gratia et a nostra societate excludimus, donec Romanæ ecclesiæ satisfaciant, et reatus sui pondus agnoscant. Quicumque vero intra prædictas inducias investituram seu consecrationem acceperunt, a consortio fratrum et ordinationes et ordinos alienos habemus; nec eis ad excusationem deceptio sufficit, quia et propheta ab alio propheta deceptus nec ideo mortem evasit. Rogamus interea caritatem tuam nos tuis sanctis precibus commendari, ut quanto propius ad Deum passibus virtutum acceleras nobis orationum tuarum manus extendas. Omnipotens Deus qui te hujus stadii invitavit ad cursum,² felici consummatione perducat ad præmium. Data ii. Idus Decembris apud Beneventum.

Cum autem de Becco Carnotum in festivitate Pentecostes, utpote propositum iter inde acturus, Anselmus venisset, accepit ab Ivone³ civitatis episcopo et a multis non spernendi consilii viris, satius fore coeptum iter in aliud tempus differendum quam Italicis ardoribus ea se tempestate cum suis tradere cruciandum. Nimius etenim fervor ætatis ita ubique, sed maxime, ut ferebatur, in Italia, tunc temporis quæque torrebat, ut incolis vix tolerabilis, peregrinis vero gravis esset⁴ et importabilis. Quod pater intelligens, consilio credulus Beccum revertitur. Resedit ergo illic usque ad medium mensis Augusti, monachorum ædificationi indefessus invigilans. Deinde post hæc in iter Carnotum reversus est. Quid agam? Si potentum occursus, si honores, si obsequia ei delata, et ultra quam recipere vellet oblata, singulatim describere manum imponerem, nimirum aliis occupatos tædio nimie prolixitatis afficerem. Quapropter paucis dictum accipitur,⁵ eum,

A.D. 1103.

MS. p. 175.

He reaches Chartres, but returns to Le Bec.

He resumes his journey and reaches Rome.

¹ *episcoporum*] eorum, A.² *hujus stadii invitavit ad cursum*] ad hujus stadii cursum invitavit, A.³ *Ivone*] Yvone, A.⁴ *esset*] Not in A.⁵ *dictum accipitur*] accipitur dictum, A.

A.D. 1103. Divino ubique vallante¹ præsidio, summa pace ac prosperitate iter peregrisse, atque incolumem cum suis omnibus Romam pervenisse.

The zeal of William, the King's agent.

Itaque venientem illo Guilielmus quidam a rege directus Anglorum aliquantis diebus prævenerat, Romanos in causam quam agitandam sciebat sua sollicitudine pro voto regis traducturus. Qui Willelmus simili modo
 contra eundem virum ab alio rege missus Romam venerat, et, quemadmodum gestæ rei² series supra designat, iis quæ tunc ecclesiastica gerebantur pro viribus opem impenderat. Ubi ergo adventus Anselmi summæ sedis est antistiti nunciatus, illico mandans illum deprecatus est quatinus diem illum atque sequentem a fatigatione sui apud Sanctum Petrum quietos duceret, ac demum se ipsius præsentia Lateranis exhiberet. Ille paternæ pietatis mandatum gratiose suscipiens, paret, quodque sibi a papa Urbano, ceu supra meminimus, in palatio Lateranensi datum fuerat die tertia hospitium subit. Dein papæ præsentatus honorifice suscipitur, ac pro ejus adventu ipse et quæ confluxerat Romana curia vehementer se lætari fatetur. Die post hæc constituto, causa propter quam illo potissimum venerat in medium duci jubetur. Adest et Willelmus, legationi qua fungebatur toto studio curam impendens, hoc est ut regi Henrico omnes patris et fratris sui consuetudines et usus apostolicæ sedis auctoritate firmaret. Exponit etiam statum regni, regiamque in Romanos munificentiam, unde ampliori quadam et digniori præ cæteris sublimitate ex apostolica largitione reges Anglorum probat antiquitus usos, eaque re³ non solum molestum et indecens fore huic suorum antecessorum jura perdere, verum etiam, sicut se certo cognovisse ferebat, magno Romanis hoc ipsum si con-

The case comes before the Pope.

The King's agent addresses the Pope and his court.

MS. p. 176.

MS. p. 177.

¹ *Divino ubique vallante]* val-
lante ubique Divino, A.

² *gestæ rei]* rei gestæ, A.

³ *eaque re]* eaque in margin, re
on erasure, in A.

tingeret damno futurum,¹ et dum forte locum recuperandi inventuri non essent ab eis sero lugendum. Quid plura? Ducti sunt his² atque aliis, necne perducti, in causam regis Romanorum nonnulli, admittendæ rationis esse conclamantes quæ ferebantur, neque vota tanti viri ulla consideratione postponenda. Inter ista silet Anselmus, opperiens in omnibus examen summi pontificis. Nec enim sua verba³ dare volebat ut mortalis homo ecclesiæ Dei ostium fieret, ne, postposito Domino⁴ Christo qui se ostium ovium esse pronunciat et per quem siquis intrat salvatur et ingreditur atque egreditur et pascua invenit, ovile intrare volentes aliunde ascenderent, ac sic non ovium pastores, sed fures fierent atque latrones. Ipse nihilominus pontificum pastor cum ad cuncta sileret, et quid quisque diceret prudenti consideratione examinaret, æstimans Willelmus jamjam illum pro favore Romanorum in se nihil eorum quæ quærebat sibi negaturum erupit et ait, "Quicquid hinc indeve dicatur, volo norint quicumque assistunt dominum meum regem Anglorum nec pro amissione regni sui passurum se perdere investituras ecclesiarum." Tunc vir apostolicus paucis hæc verba locutus est, "Si, quemadmodum dicis, rex tuus nec pro regni amissione patietur ecclesiarum donationes amittere, scias, ecce coram Deo dico, quia nec pro redemptione sui capitis eas illi aliquando Paschalis papa impune permittet habere." Quod auditum oppido conturbavit Willelmum. Romanis autem dicto pontificis acclamantibus optatum in commune est quatinus ista existimatio procul ab omnibus filiis ecclesiæ fieret, apostolicam videlicet sedem unquam facturam ostium ovilis Dei laicum quemlibet. "Quapropter aliud," aiunt, "regi respondeatur, quod et illum ad bene agen-

A.D. 1103.

The effect of the envoy's speech.

Anselm keeps silence.

The reason of Anselm's silence.

The Pope keeps silence.

The royal agent makes a strong statement.

The Pope makes a still stronger one.

MS. p. 173.

¹ *si contigeret damno futurum*] dampno futurum si contigeret, A. ³ *sua verba*] verba sua, A.
² *his*] iis, A. ⁴ *Domino*] Not in A.

A.D. 1103.
Termination of the Primate's mission.

“ dum paulatim demulceat, et aliorum offensam principum exinde Roma non incurrat.” Itaque Romanorum consilio papa nonnullos paternos usus, interdictis omnino ecclesiarum investituris, regi concedit,¹ eumque ab excommunicatione quam antecessorem suum fecisse superius diximus immunem ad tempus constituit, eis duntaxat qui a manu illius ipsas investuras susceperant, vel deinceps susceperent, usque ad dignam tanti reatus satisfactionem pro servanda ecclesiastici disciplina rigoris sub excommunicationis catena retentis. Regia igitur causa quæ agebatur tali modo Romæ acta determinata est. Satisfactionem sane investitorum censuræ ac dispositioni Anselmi papa delegavit.

Anselm leaves Rome, taking with him a papal privilege.

Post hæc Anselmus, actis cum pontifice suis et aliorum de Christianæ religionis observantia multiplicibus causis, quæ post principale negotium sui itineris non vili pendendæ causæ fuerunt, reditum suum apostolica petiit benedictione tueri. Cui papa, “Benedictio quam desideras ita te comitetur ubique sicut ipsemet optas. Et ne a liminibus pastorum ecclesiæ videaris immunis abscedere, en, vice illorum tibi scripta suæ auctoritatis sigillo roborata manu nostra porrigimus, et ea quæ continent sub illorum testimonio tibi et ^{MS., p. 179.} successoribus tuis in perpetuum confirmamus.” Datis ergo litteris, osculatus patrem et nos qui cum eo eramus, Deo nos commendavit, ac sic in pace dimisit. Litterarum autem series hæc est.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Anselmo, Cantuariensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Paschal II. to Archbishop Anselm.

Fraternitatis tuæ postulationibus nos annuere tuæ sapientiæ et religionis persuadet auctoritas. Quondam enim in litteris ab apostolica tibi sede directis Cantuariensis ecclesiæ primatum ita tibi plenum concessimus, sicut a tuis constat prædecessoribus fuisse possessum. Nunc autem, petitionibus

¹ *concedit*] concessit, A.

tuis annuentes, tam tibi quam tuis legitimis successoribus¹ eundem primatum, et quicquid dignitatis seu potestatis eidem sanctæ Cantuariensi seu Dorobernensi ecclesiæ pertinere cognoscitur, litteris præsentibus confirmamus, sicut a temporibus Beati Augustini prædecessores tuos habuisse apostolicæ sedis auctoritate constiterit. Datæ Lateranis, xvi. Kal. Decembris, indictione xii. A.D. 1103.

Nobis itaque Roma discedentibus Willelmus remansit, asserens sese voto constringisse Beatum Nicolaum² adire, re autem vera Romæ moraturus, et, si posset, Anselmo absente, quod eo presente nequierat, antistitem a data sententia traducturus. Quod quia nequam facere potuit, persuasorias litteras regi deferendas, ne nil videretur egisse, a papa obtinuit, sicque Romanos fines remeandi via mutavit. Quem nos ductu gloriosæ Machtildis comitissæ per Alpes euntes cum apud Placentiam reperissemus, tam velocem hominis cursum a Beato Nicolao³ admirati admodum sumus. Epistolæ quam regi detulit textus hic est.

MS. p. 180.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, illustri et glorioso regi Anglorum, Henrico, salutem et apostolicam benedictionem. Paschal II. to Henry I.

In litteris quas nuper ad nos per familiarem tuam nostræ dilectionis filium Willelmum clericum transmisisti et personæ tuæ sospitatem cognovimus, et successus prosperos quos tibi, superatis⁴ regni adversariis, benignitas Divina⁵ concessit. Audivimus præterea optatam virilem sobolem ex ingenua et religiosa te conjuge suscepisse. Quod profecto cum nos lætificaverit, opportunum rati sumus nunc tibi præcepta et voluntatem Dei validius inculcare, cum amplioribus beneficiis Deo te plurimum perspicias debitorem. Nos quoque Divinis beneficiis benignitatem nostram penes te sociare optamus, sed grave nobis est quia id a nobis videris expetere quod præstare omnino non possumus. Si enim aut consentiamus aut patiamur investituras a tua excellentia fieri, et nostrum, procul dubio, et tuum erit immane periculum. Qua in re con-

¹ *tuis legitimis successoribus*] legitimis successoribus tuis, A.

² *Nicolaum*] Nicholaum, A.

³ *Nicolao*] Nicholao, A.

⁴ *superatis*] On erasure, in A.

⁵ *Divina*] Dominica, A.

A.D. 1103. templari te volumus, quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil amplius obœdientiæ, nihil liberalitatis per ecclesias nanciscimur, nec tibi debitiæ¹ potestatis aut juris subtrahere quicquam nitimur, nisi ut erga te Dei indignatio minuatur et sic tibi prospera cuncta contingant. Ait enim Dominus, "Honorifi- MS. p. 181.
 " cantes me honorificabo. Qui autem me contemnunt erunt " ignobiles." Dices itaque, " Mei hoc juris est." Non utique; non est imperatorium, non est regium, sed Divinum. Solius illius est qui dixit, " Ego sum ostium." Unde pro ipso te rogo² cujus hoc munus est, ut ipsi hoc reddas. Ipsi dimittas, cujus amori etiam quæ tua sunt debes. Nos autem cur tuæ obniteremur voluntati, cur obsisteremus gratiæ,³ nisi Dei in hujus negotii consensu sciremus voluntati obviare, gratiam amittere? Cur tibi quicquam negaremus quod cuiquam esset mortalium concedendum, cum beneficia de te ampliora sumpserimus? Perspice, fili carissime, utrum decus an dedecus tibi sit, quod sapientissimus ac religiosissimus Gallicanorum episcoporum, Anselmus Cantuariensis episcopus, propter hoc tuo lateri adhærere, tuo veretur in regno consistere. Qui tanta de te hactenus bona audierant, quid de te sentient, quid loquentur, cum hoc fuerit in regionibus divulgatum? Ipsi qui coram te tuos excessus extollunt cum præsentia tua raruerint hoc profecto validius infamabunt. Redi ergo, carissime fili,⁴ ad cor tuum propter misericordiam Dei; et propter amorem Unigeniti deprecamur revoca pastorem tuum, revoca patrem tuum. Et siquid, quod non opinamur, adversus te graviter gesserit, si quidem investituras aversatus fueris, nos juxta voluntatem tuam⁵ quantum cum Deo possumus moderabimur. Tu tantum talis⁶ repulsæ infamiam a persona tua et regno amoveas. Hæc si feceris, et si gravia quælibet a nobis petieris quæ cum Deo præberi facultas sit, MS. p. 182.
 profecto consequeris, et pro te Dominum, ipso adjuvante, exorare curabimus, et de peccatis tam tibi quam conjugii tuæ, sanctorum apostolorum meritis, absolutionem et indulgentiam faciemus. Filium etiam tuum quem ex spectabili et gloriosa conjugio suscepisti, quem, ut audivimus, egregii patris

¹ enim . . . debitiæ] On erasure, and crowded, in A.

² te rogo] rogo te, A.

³ gratiæ] On erasure in A.

⁴ carissime fili] fili carissime, A.

⁵ tuam] Not in A.

⁶ Tu tantum talis] On erasure and crowded in A.

Willelmi vocabulo nominasti, tanta tecum imminetia confovebimus, ut qui te¹ vel illum læserit, Romanam læsisse videatur ecclesiam. Quid super his ad honorem Dei et ecclesiæ gloriam exhibiturus sis, maturius nobis volumus responderi, interventu videlicet talium legatorum de quorum relationibus nec noster debeat nec vester auditus ambigere. Datæ Lateranis, ix. Kal. Decembris. A.D. 1103.

Ac nos una cum Willelmo Placentinos fines deserentes, protecti gratia Dei, sani et incolumes Lugdunum usque pervenimus, acturi illic festum quod instabat Dominicæ Nativitatis. Sed cum Willelmus festinaret, nec nobiscum Lugdunum divertere vellet, separando se a patris comitatu dixit ei, "Putabam Romæ causam nostram alio eventu processuram, et iccirco distuli ea quæ rex dominus meus tibi dicenda mandavit hucusque propalare. Nunc autem, quia citato gressu ad eum redire dispono, quæ mandat ulterius abscondere nolo. Dicit quia si sic ad eum redieris, ut talem te illi per omnia facias quales antecessoribus suis antecessores tui se fecisse noscuntur, tunc libenti animo tuum in Angliam reditum volet et amplectetur." Cui pater, "Ne amplius dices?" "Prudenti loquor." At, "Hac de re nil amplius dicto." At ille, "Scio quod dicas, et² intelligo." Divisi ergo sunt in istis ab invicem, et Anselmus summo cum honore et gaudio a venerabili Hugone Lugdunensi archiepiscopo et toto clero susceptus in majorem ecclesiam ductus est, ibique ut pater et dominus loci ab omnibus habitus. Directis interea nunciis ac litteris ad regem Angliæ gesti negotii summam innotuit, et quid a Willelmo ex parte illius acceperit inter alia non celavit. Quæ litteræ sunt hæ.

Suo reverendo domino Henrico, regi Anglorum, Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, fidele servitium cum orationibus. Anselm to Henry I.

Quamvis per Willelmum de Werelwast³ cognoscatis quid Romæ fecerimus, tamen quod ad me pertinet breviter osten-

¹ te] vel te, A.

² et] atque, A.

³ Werelwast] Warelwast, A.

A.D. 1103. dam. Romam veni, causam pro qua veneram domino papæ exposui, respondit se nequaquam velle dissentire a statutis antecessorum suorum, et insuper præcepit mihi ut nullam haberem communionem cum illis qui de manu vestra¹ investituras acceperunt ecclesiarum post hujus prohibitionis notitiam, nisi penitentiam agerent et sine spe recuperationis quod acceperant desererent, neque cum episcopis qui tales consecrarunt, nisi ad apostolicæ sedis iudicium se præsentarent. Horum omnium testis potest esse¹ prædictus Willelmus si vult. Qui Willelmus quando ab invicem discessimus, ex vestra parte, commemorans amorem et benignitatem quam semper erga me habuistis, summonuit me sicut archiepiscopum vestrum, ut talem me facerem quatinus sic intrarem in Angliam, ut sic esse possem vobiscum sicut fuit antecessor meus cum patre vestro, et vos me eodem honore et libertate tractaretis qua pater vester antecessorem meum tractavit. In quibus verbis intellexi quia nisi me talem facerem reditum meum in Angliam non velletis. De amore quidem et benignitate gratias ago. Ut autem ita sim vobiscum sicut antecessor meus fuit cum patre vestro, facere non possum, quia nec vobis homagium facere, nec accipientibus de manu vestra investituras ecclesiarum, propter prædictam prohibitionem me audiente factam, audeo communicare. Unde precor ut mihi vestram, si placet, mandetis voluntatem, utrum sic quemadmodum dixi possim in pace vestra et officii mei potestate redire in Angliam. Paratus enim sum et vobis et populo Divina mihi dispositione commisso officii mei servitium pro viribus et scientia mea, servata regulari obœdientia, fideliter exhibere. Quod si vobis non placuerit, puto quia si quod animarum detrimentum inde contigerit, mea culpa non erit. Omnipotens Deus sic regnet in corde vestro ut vos per omnia regnetis in gratia ejus.

Anselm
takes up his
abode at
Lyons.

His ita gestis, ipse, paucis de suis secum retentis, Lugduni resedit in summa pace et quiete, propriam prædicti pontificis domum inhabitando, nuncios suos expectans, et ne ad horam quidem ab iis quæ Dei sunt verbo se vel actu elongans.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

¹ *vestra*] tua, A.

² *potest esse*, esse potest, A.

INCIPIIT QUARTUS.

A.D. 1104.

MS. p. 185. IGITUR ubi Willelmus Angliam pervenit, et gesti The King appropriates the Archbishop's revenues. negotii seriem Henrico regi exposuit, rex illico omnes redditus archiepiscopatus Cantuariensis in suos usus redigi præcepit. Cura tamen ipsorum reddituum colligendorum duobus hominibus archiepiscopi ab ipso rege delegata est; ea videlicet, ut ab re credere non est, consideratione, ea pietate, ut tanto diligentius aliis hominibus et rebus ipsius domini sui studium impenderent, ne vexarentur, ne opprimerentur, ne diriperentur, quanto majori fide ac sacramento eos illi astrictos fuisse cognoscebatur. Verum sive obtemperatum tam consideratæ pietati et piæ considerationi sit ab illis, sive non sit, dum non multum mea intersit, vane scribendi operam insumerem. Veniet namque Dominus tenebrarum abscondita illuminaturus, et singulorum meritis æqua lance sua præmia retributurus. Ego ducente Deo, cœpto narrandi calle progrediar.

MS. p. 186. Evoluto igitur post hæc aliquanto temporis spatio,¹ The King avows himself the author of the message. venit ad nos unus ex monachis Cantuariensibus, nomine Everardus, deferens Anselmo litteras regis, in quibus idem rex plane testabatur se eorum quæ Willelmus, ut præfati sumus, discedens ab Anselmo dixerat² auctorem esse, hoc est, ut Anselmus Angliam non repedaret, nisi omnes patris ac fratris sui consuetudines se illi servaturum primo promitteret. Quod dum Anselmus facere noluit, suis spoliatus Lugduni remansit, degens circa sæpe nominatum venerabilem Hugonem ipsius civitatis antistitem anno integro et mensibus quatuor. Quæ autem mala ex hoc diutino exilio ejus per Angliam quaque emergerint, vel cujusmodi

¹ *temporis spatio*] tempore, A. | *Anselmo dixerat*] dixerat discedens
² *ut præfati sumus, discedens ab* | ab Anselmo, ut præfati sumus, A.

A.D. 1103. studio illius ipsum exilium multi, reditum ejus¹ desiderantes eaque re minus rei ipsius veritatem considerantes, adscripserint, melius puto liquebit, si aliqua ex iis quæ illi a religiosis viris ac Deum amantibus scripto mandata sunt huic operi paucis infigo. Scripsit² itaque ei quidam servus Dei sic.

A letter of remonstrance and reproach.

Domino venerabili et sancto patri Anselmo, Cantuariensi archiepiscopo, illius devotissimus et omnis familiæ Domini famulus, in Domino salutem.

Considerata loci nostri et sensus inopia, merito decrevisse potuerim, pater sancte, ne verbis simplicioris ingenii semel vel iterum impedirem studium sanctæ mentis tuæ, in quo religionis insigne refulget, et quidam splendet virtutis comes, nitor sapientiæ. Attamen extollit me etiam supra me tranquilla et beata gratia opinionis tuæ, quatinus tibi, qualiscunque est, dirigatur sermo noster, non ut te doceam qui vix humana indiges doctrina, sed ut tecum nostrum et tuum reminiscar dolorem. In cujus nostri sermonis exordio eo pacto convenire postulo cum reverentia tua, ut liceat mihi interim vindicare dulciores partes pie objurgantis, non amaras fraudes adulantis. Sanctitatem quippe tuam nosse velimus³ quod animos nostros, quorum in te affectus idem est, immoderatio tristitia absorbeat de absentia tua, qui, ni fallor, utilius nostro adesses periculo, ut saltem te consortem filiorum discriminis exhiberes, quam, nostræ quodam modo et MS. p. 187. ecclesiæ oblitus injuriæ, absens permittas nos turbari ab hostibus impuris et crudelibus, qui nec pudicitiam parcant nec salutem. Ego plane te, pater sancte, eo ipso infelicem arbitror. Nam qui eras sanctæ spei fiducia in tuos, si nunc urgeri Angliam tam inopinato hoste pigeret, quantum ingemisceres, quantum affectares succurrere vel subire nobiscum nova acerbiorum genera. Sponte tua, nullo penitus cogente, ereptus es periculis nostris, fortasse ne sentiret quæ nos perpeti, et, quod gravius est, spectare cogimur; sublimari ad sacros ordines quosdam de curialibus, quibus nec canonica electio, nec justitia consensit. Quoniam dubium non est, si eosdem verus ecclesiæ ostiarius, qui Christus est, in sacra jura admitteret, neque posse perpetrari quæ quotidie cernimus in

¹ ejus] illius, A.

² Scripsit] Scribit, A.

³ velimus] velim, A.

A.D. 1104.

provincia nostra, principum¹ injustam et immitem tyrannidem, rapinas pauperum, damna ecclesiarum, adeo ut locus Corporis et Sanguinis Domini libertatem amittat. Gemere viduas, flere senes incommoda sua, eo quod eripiat eis satis angusta quam vix merentur victus sui portio. Rapi virgines et illicito incestari concubitu; quodque omnium primum malum est ad dedecus honestatis nostræ, sacerdotes uxores ducere. Et, exceptis his, alia perplura flagitia, quæ nefas est vel impossibile meminisse aut retulisse. Quod si dispensationis ecclesiasticæ regulam et antiquæ consuetudinis ordinem sollicita studuisses consideratione pensare; nec tibi aliqua exulandi causa surriperet, nec alii occasione tuæ absentiæ tam grave discrimen incurrerent. Itane putas inimicorum Dei contumaciam fugiendo² inflectere, qui nec Deo crederent, nec veritati, nisi inviti locum præberent? Qua vero ratione ad hoc paternitas tua aspiret, ignoro. Qui enim regendam navem suscipit, tanto amplius necesse est vigilet quanto amplius procellas timet. Sed tunc fortassis pro sola voluntate invidentium fugisse pudebit cum videris ante tribunal Christi ducentes choros animarum illos fortissimos Divini gregis arietes, quibus nec lupo nocuit, nec alicujus terror in fugam vertit. Quam beata erit tunc memoria, inter cæteros, illius sanctissimi patris nostri Ambrosii, qui, sicut narrat ecclesiastica historia, non erubuit Theodosio imperatori in faciem restitisse, et pro reatu suo limina ecclesiæ illi denegasse. Quid non impetraret talis affectus et tanta constantia? Etiam, pater sancte, si te³ quispiam incarcerationum et afflictum evisceraret, hoc modo recessisse non debueras. Quanto magis cum nihil horum expertus fueris, nec sedes tua tibi negata sit, sed pro uno verbo cujusdam Willelmi fugere decrevistis, et, relicto hoste, dilacerandas impiis oves tuas dimisisti. Pudet ergo quod evenit recolere, quoniam omnes illi, vel pene omnes, quos ecclesiarum præsens ærumma expectabat ad suæ necessitatis solatium, occasione timoris accepta, magis elegerunt tecum succumbere quam frustra sine te resistere. Quid enim facerent quibus pater deerat, et quibus caput non suppetebat? Proinde admonenda est sanctitas tua, non erudienda, ut matures adventum, sanctæ matris ecclesiæ depellas opprobrium, et adversus

MS. p. 188.

MS. p. 189.

¹ principum] Principum, MS.² fugiendo] Not in A.³ te] Not in A.

A.D. 1104. *hostes nostros jam penetralibus insistentes festinum præten-
das auxilium. Licet adhuc morbum ejicere, dum in super-
ficie vulnus apertum videtur.*¹ Scio namque, si ad sedem
tuam redire velis, in promptu multos, ut aiunt, reperies, qui
tecum partes Dei viriliter defendant, nisi enervaverit eos tua
paternitatis defectus. Si Angliam, uti audivimus, suspendere
vel excommunicare volueris, quid ego et fratres² nostri fa-
ciamus,³ qui semper tibi obœdire præsto finimus, remandare
quæso digneris. Vale.

The king
strongly
urged to
recall
Anselm,
makes fresh
efforts at
Rome.

Cum igitur hæc et nonnulla istis deteriora, exulante
Anselmo, per Angliam fierent, et quidam malorum
magnitudine afflicti regi insisterent ut ipsum scilicet
patriæ patrem, qui ea corrigeret, revocaret; ipse, tam
religiositate viri inductus, quam et immanium malo-
rum exuberatione animo consternatus, fieri quidem de
reditu viri quod petebatur se libenter velle fatebatur,
sic tamen ut paternarum consuetudinum nihil sibi ab
eo ulterius derogari ulla ratione pateretur. Unde, no-
bis adhuc Lugduni degentibus, nuncii Romam ab ipso
rege directi sunt, qui modis omnibus elaborarent apo-^{MS. p. 190.}
stolicum ad hoc deducere, ut Anselmum Angliam re-
dire et regiæ voluntati juberet in cunctis subdi et
obœdire. Ad quod dum minime illum flectere possent,
sicut venerunt, infecto negotio, reversi sunt.

A digression
concerning
Walo, Bis-
hop of Paris.

In diebus illis Gualo episcopus Parisiacensis de Roma
veniens ad nos reliquias corporis beatæ martiris Priscæ
sibi Romæ datas attulit, et inde mihi in præsentia
patris Anselmi partem aliquantulam dedit. Quæ pars
dum admodum parva mihi visa fuisset, rogantem me
ut donum antistes augeter Anselmus compescuit, dicens
sufficere quod habebam, "Cum enim," inquit, "os
" ipsum de corpore illius sit, donec eo caruerit inte-
" gritatem sui non habebit. Quapropter si illud digne
" servaveris, et dominæ cujus est qua potes devotione
" in illo servieris, tam gratanter officii tui munus

¹ *apertum videtur*] videtur aper-
tum, A.

² *et fratres*] fratresque, A.

³ *quid . . . faciamus*] On erasure in A.

“ accipiet quam si toti corpori ejus deservires.” Ad-
 quievi dicto, et quod acceperam diligenti custodia
 servo. A.D. 1104.

In secundo autem anno adventus nostri a Roma
 Lugdunum, ipse papa, coacto Lateranis generali con-
 cilio, comitem de Mellente, cujus sæpe superius habita-
 mentio est,¹ et complices ejus qui regem ad investituræ
 flagitium sicut dicebatur impellebant, necne illos qui
 ab eo investiti fuerant, a liminibus sanctæ ecclesiæ
 judicio Spiritus Sancti reppulit, et hoc ipsum per
 epistolam quam ecce supponimus Anselmo sub celeri-
 tate innotuit. A.D. 1105.
 The Pope
 takes action
 against the
 count of
 Menlan.

MS. p. 191. Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri
 Cantuariensium² archiepiscopo, Anselmo, saluter. et aposto-
 licam benedictionem. Paschal II.
 to Arch-
 bishop
 Anselm.

De illata tibi injuria membra ecclesiæ non modicum pati-
 untur, quia, sicut dicit apostolus, si compatiatur unum mem-
 brum, compatiuntur et cætera membra. Licet enim corporali
 separemur præsentia, unum tamen in capite sumus. Tuas
 namque injurias ac repulsas æque ac nostras portamus. Il-
 lud etiam nos vehementer affligit, quod tua religio regno
 sublata est Anglico. Quæ enim sunt sine pastore oves lupus
 rapit et dispergit. Iocirco de tua ad eos reversione modis
 quibus possumus laboramus. Unde in concilio nuper habito
 ex communi fratrum et coepiscoporum sententia deliberatum
 est regis consiliarios qui ad investituræ flagitium illum³ im-
 pellunt, et eos qui ab eo investiti sunt, ab ecclesiæ limini-
 bus repellendos, quia de libera facere conantur ancillam.
 Quam nimirum sententiam nos Sancti Spiritus judicio in
 comitem de Mellento et ejus complices promulgavimus, et
 eandem ipsam in eos qui sunt investiti a rege ejusdem Spi-
 ritus Sancti⁴ judicio confirmamus. Regis vero sententia ea
 ex causa dilata est, quia suos ad nos nuncios in præteriti
 Paschæ tempore debuit destinare. Datæ Lateranis vii. Kal.
 Aprilis.

Hanc igitur epistolam postquam Anselmus suscepit
 inspexit, intellexit se amplius frustra Lugduni Roma-
Anselm
 quits Lyons.

¹ *mentio est*] est mentio, A.

² *Cantuariensium*] Cantuariensi,

A.

³ *flagitium illum*] On erasure in A.

⁴ *Spiritus Sancti*] Sancti Spiritus,

A.

A.D. 1105. nam opem præstolari, præsertim cum jam sæpenu-
 mero ipsi Romanæ sedis antistiti legatos et litteras de
 sui negotii consummatione transmiserit, et eo usque MS. p. 192.
 nil nisi quandam quasi consolatoriæ expectationis pro-
 missionem de termino in terminum ab eo meruerit,
 Tertio quoque litteras suas regi Angliæ pro suarum
 rerum resaisitione direxerat, nec aliquid ab illo¹ nisi
 quod blandientem sibi dilationem ingereret responsi
 acceperat. Consulto itaque venerabili præfato Lugdu-
 nensis civitatis episcopo, Lugduno Franciam petiturus
 decessit, mœrente super hoc pontifice ipso et omni
 populo terræ.

Anselm
 reaches
 Blois.

Cum ergo a Cluniaco² ad Caritatem, quæ cella Clu-
 niacensis cœnobii est, venissemus, didicit Anselmus
 comitissam Bleisensem, majoris Willelmi regis filiam,
 nomine Adalam, apud castrum suum Bleisum infirmari.
 Vertit itaque iter quo se Remis ire, sicut a Manasse
 ipsius urbis antistite multis erat et obnixis precibus
 per internuncios interpellatus, disposuerat, et Blei-
 sum abiit ad comitissam, omnem cujuslibet vituperii
 notam pro suo more ubique devitans. Ipsa siquidem
 comitissa in pluribus ei tam in hoc quam et in alio
 exilio ejus magna liberalitate ministraverat, eum-
 que sicut virum sanctum ac religiosum vitæ suæ post
 Deum institutorem elegerat atque tutorem. Si itaque
 illam extrema, ut dicebatur, agentem paterna præsen-
 tia non visitaret, notam justæ repræhensionis non eva-
 deret. Igitur ubi ad illam venimus, eamque, languore
 sopito, ferme convaluisse invenimus, detenti ab ea in
 ipso castro per aliquot dies decentissimi sumus. In qui-
 bus diebus cum sæpe verba consererent inter se³ antis-
 tes et illa, antistes illam pro suo officio studiose ad bene
 agendum instigando, illa antistitem pro vitæ suæ qua-
 litatibus ut patrem quæ inquirenda esse sciebat inter- MS. p. 193.

¹ illo] eo, A.

vel co

² Cluniaco] A. has Cluniacum,

³ sæpe verba consererent inter se] verba sæpe inter se consererent, A.

rogando, Anselmus comitissæ causam reditus sui in Franciam ab ea inquisitus innotuit, et quia fratrem ipsius, Henricum videlicet regem Anglorum, pro injuria quam Deo sibi que jam per biennium et ultra fecerat excommunicare veniebat, non celavit. Quod illa audiens, fraternæ damnationi vehementer indoluit, ac ut potius illum¹ pontifici concordaret operam dare disposuit. Egit ergo apud virum ut Carnotum secum pergeret. Eo tempore ipse rex in Normannia erat, ipsamque pene totam suæ ditioni subegerat. Potestas nempe Roberti Normannorum comitis, fratris scilicet ejusdem regis, ita cunctis ea tempestate viluerat, ut vix ullus pro eo quicquam facere vellet quod pro terræ principe quaque gentium fieri solet. Pium etenim cor et terrenarum rerum minima cupido, quæ in eo juxta vigeabant, hoc ei pepererant. Omnes igitur ferme Normannorum majores illico ad regis adventum, spreto comite domino suo, et fidem quam ei debebant postponentes, in aurum et argentum regis cucurrerunt, eique civitates castra et urbes tradiderunt.

Cum itaque rex per legatos comitissæ Anselmi adventum, et quam ob rem, relicta Burgundia, Franciam venerit, accepisset, qualiter animus viri a proposito intentione deflectere posset perquisivit. Inito igitur cum suis consilio, per nuncios comitissam deprecatus est,² quatinus ad loquendum sibi virum Normanniam duceret, pollicens se in multis de pristina querela³ voluntati illius,⁴ pacis gratia, condescensurum. Quid plura? Statuto termino archiepiscopus et comitissa in castrum quod Aquila vocatur pro colloquio regis, uti petiverat, una venerunt, et regem ipsum⁵ vehementi gaudio pro adventu Anselmi⁶ exultare, ac non parum

MS. p. 194.

A.D. 1105.
Anselm apprises the Countess of Blois of his purpose concerning Henry.

The Countess takes him to Chartres. The action of the King in Normandy.

The King, advised by his counsellors, craves an interview with Anselm.

They meet at Laigle.

¹ *potius illum*] illum potius, A.

² *comitissam deprecatus est*] deprecatus est comitissam, A..

³ *pristina querela*] querela pristina, A.

⁴ *illius*] ejus, A.

⁵ *ipsum*] Not in A.

⁶ *Anselmi*] On erasure in A.

A.D. 1105. The king restores the Primate's temporalities; and the two are reconciled (July 22, 1105).

Anselm defers his return to England.

Henry, delivered from a great dynastic danger, promises to send an embassy to Rome.

a pristina feritate descendisse reppererunt. Deinde habito inter eos colloquio Anselmum rex de redditibus sui pontificatus revestivit, et in pristinam amicitiam utrinque recepti sunt. Quibusdam igitur ad hoc sollicite operam dantibus ut antistes statim Angliam remearet, rex annuit, sic tamen ut nulli eorum qui a se investituras ecclesiarum susceperant, vel eos consecraverant, suam in aliquo communionem subtraheret. Cui conditioni Anselmus minime adquiescens, obœdientiam videlicet papæ¹ in nullo prætergredi volens, extra Angliam manere delegit, donec illi qui ad ipsum negotium, et quædam alia de quibus inter eos illa vice convenire non poterat determinanda, ex conducto Romam mittendi erant reversi fuissent. Hæc autem inter ipsos acta sunt anno tertio exitus nostri de Anglia, xi. Kal. Augusti.

Pro magna itaque exultatione quam ex hac reconciliatione Anselmi rex concepit apud se, videres illum MS. p. 195. quamdiu in præfato castro morabamur, non facile pati ad se venire Anselmum, sed, quotiens aliquid erat² inter illos agendum, semper ipsum ire ad Anselmum. Jam enim multis in locis, per Angliam, Franciam, atque Normanniam, fama vulgaverat regem ipsum ab Anselmo proxime³ excommunicandum, et iccirco ei utpote potesti non adeo amatæ multa mala struebantur, quæ illi a tanto viro excommunicato efficacius inferenda putabantur. Quod ille sciens versam a se viri sententiam magnifice lætebatur. Denique omne malum quod eum expectabat, averso Anselmo, ab eo versum est, reverso in amicitiam ejus Anselmo. Itaque ut homo citius in episcopatum suum ad suorum exultationem, ac totius patriæ relevationem rediret, pollicitus est rex ita se nuncios suos Romam destinaturum, ut in proxima Nativitate Christi curiæ suæ

¹ papæ] Supplied in margin in A. { ² aliquid erat] erat aliquid, A.

³ proxime] On erasure in A.

Anselmus in Anglia posset¹ adesse. Misit super hæc in Angliam litteras, præcipiens ut omnes res et homines Anselmi, ubicunque essent, in pace essent et quiete, nec ullus eos gravaret aut implacitaret, sed, ab omni debito liberi, quæ tenebant cum honore tenerent, ac in cunctis ad nutum Anselmi jussionemque penderent. Hæc ergo dum hominibus ad archiepiscopatum pertinentibus innotuissent, mox quoddam quasi insperatum jubar solis illis emicuit, quod illos a pristinæ oppressionis immanitate et tenebris non modicum ejecit.

MS. p. 196. Cum post hæc Anselmus Beccense cœnobium, et rex Angliam remeasset, ortis quibusdam occasiunculis legati qui Romam mitti debuerunt diu ultra statutum terminum morati sunt. Unde vehemens admiratio multorum corda concussit, arbitrantium tantam de re-ditu viri dilationem diaboli esse seductionem, et aperte videntium immanem totius Christianitatis in Anglia esse destructionem. Quod melius, ut puto, liquebit, si quædam scripta de his quæ ad nos in hac mora a quodam non contemnendæ auctoritatis viro transmissa sunt brevi subinfero.² Scribit itaque inter alia sic.

A.D. 1105.
Delay of the promised embassy to Rome.

It provokes a letter of complaint to Anselm.

Carissime pater et domine, quamvis optime sciatis quid facere debeatis et quid facere velitis, videtur tamen omni fere homini sano sensu sapienti omnino nihil aliud esse id quod inter vos et regem sub tam morosa expectatione agitur, nisi diabolicæ fraudis illusio et illudens dilatatio, et, ut manifestius dicam, totius Anglorum ecclesiæ ac religionis et³ legis Christianæ quotidiana diminutio, et summa destructio. Ecclesiarum namque, quia tamdiu manent pastoribus viduatæ, possessiones diripiuntur, ordo sanctæ religionis in eis neglectus annihilatur. Legis Christianæ rectores non jam rectores sed præcipitatores, ac, juxta regis voluntatis arbitrium et suum libitum, pene omnes⁴ justitiæ sunt effecti subversores. De clericis quid dicam, qui circiter omnes revoluti sunt ad iniquitatem pristinam? Quid de laicis? Ipsi quippe, sed principes maxime, vix nisi ex propria parentela conjuges sibi

¹ *posset*] On erasure in A.
² *subinfero*] subinferam, A.

³ *et*] ac, A.
⁴ *omnes*] omnis, A.

A.D. 1105. accipiunt, clam desponsant, desponsatas contra legem eccle- MS. p. 197.
siasticam scienter tenent, et sibi defendunt. De sodomitis¹
quos ipse in magno concilio usque ad pœnitentiam et con-
fessionem excommunicastis, ac de crinitis quos in paschali
postmodum solennitate, pontificali stola redimitus, coram uni-
verso populo a liminibus sanctæ ecclesiæ removistis, quid
dicendum; cum ut deberetis non subvenitis, nec vel unus in
toto regno existat, qui hæc et alia multa Deo et omni servo
Dei contraria vice vestra repræhendere audeat, aut emendare
contendat? Et, si veritatem vultis audire, fateor omnia hæc
multo deterius fieri quam possint scripto edici, in tantum ut
ipse etiam rex jam² testetur, nunquam tantæ fortitudinis
nequitiam in patria ista fuisse sicut modo est. Hæc autem
omnia procul dubio vos solum respiciunt, et vestræ sancti-
tati imputantur. Videte igitur et intendite oneri quod susce-
pistis, et cui curam ejus vestri loco disponendam commisistis,
quando vos qui talibus obviare constituti estis pro nihilo
tam diu regno³ in quo exercentur abestis. Considerate quo-
que, si vobis placet, si cor vestrum ita soli Deo vacat, et si
in tanta securitate vestri jam conversamini, ut talibus ani-
marum miseriis alia vigilantia condescendere non debeatis.
Scio equidem, et bene scio, vos optime scire quid est quod
facitis, sed ipsum scire vestrum perparum prodest nobis.
Fructum etenim communis utilitatis ex tam diuturno negotio
vestro nullum adhuc procedere videmus, mala autem vestri
solius⁴ occasione in ecclesia Dei, in populo Dei,⁵ undique
succrescere omni die conspiciamus.

The reason
of Anselm's
delayed
return.

Et hæc quidem ille vir, tot mala exosus, scripsit, MS. p. 198.
autumans Anselmum nonnisi propria voluntate ab in-
gressu Angliæ remorari. Sed revera rex Henricus
nullo eum pacto ingredi patiebatur, nisi, postposita, ut
supra meminimus, obcedentia papæ, episcopis et abba-
tibus excommunicatis communicaret. Attamen, An-
selmo Remis consistente, illuc enim obnixis precibus
antistitis et canonicorum ipsius loci devictus iverat,
et, majori quam litteris queat exponi honore festivo-

¹ *sodomitis*] sodomitis vero, A.

² *jam*] Not in A.

³ *regno*] This had probably been
a *regno* in MS.

⁴ *vestri solius*] solius vestri, A.

⁵ *in ecclesia Dei, in populo Dei*] in ecclesia et populo Dei, A.

que occursum omnium id loci degentium susceptus, circa pontificem Manassen magna et officiosa caritate detentus per plures¹ dies ibi morabatur, misit ei epistolam unam idem rex, quam ecce supponimus.

A.D. 1105.
The King
sends him
an excusa-
tory letter

Reverendissimo² et amantissimo patri Anselmo, Cantuariensi archiepiscopo, Henricus, Dei gratia rex Anglorum, salutem et totius bonæ voluntatis affectum.

Venerabilis pater, non tibi displiceat, quod eorum iter quos Romam ad negotium meum peragendum dirigere decrevi tam diu detinui. Quod mox ut Willelmus de Werelwast³ ad te pervenerit, quem ad hoc negotium peragendum sicut decrevimus Romam dirigo, tibi expediet. Te supplex igitur deprecor et devotus exoro, uti cum eodem Willelmo Balduinum⁴ de Tornaio Romam dirigas ad nostram rem tractandam, et Deo volente finiendam. Vale.

Ad hanc scripsit Anselmus epistolam hanc.

Suo carissimo domino Henrico, glorioso regi Anglorum, Anselmus archiepiscopus Cantuariæ, fidele servitium cum orationibus.

MS. p. 199.

Quod vestra magnitudo me in suis litteris tam honorifice, tanto bonæ voluntatis affectu, salutatur, gratias magnas ago sicut⁵ debeo. Quod autem tam suppliciter me rogatis ut non mihi displiceat quod legatus vester Romam mittendus tantum moratur, utique vestram precem, quantum in me est, contemnere non debeo, sed causa magis est Dei⁶ quam mea; unde corde fideli et benigno animo vobis dico quod tacere non debeo. Mihi quidem aliquid displicere, nisi cum propter Deum mihi⁷ displicet, non est magnum; sed displicere Deo aliquid, nullatenus est contemnendum. Utique non parum displicet Deo episcopum spoliari rebus suis, quod jam, gratia Dei vobis inspirante, correxistis; sed episcopum segregari a suo officio, et ecclesiam a suo episcopo, sine causa quam Deus approbet, nimis grave judicat. Expedi itaque animæ vestræ quatinus satagatis ut ego, qualiscunque sim episcopus, ecclesiæ quam Deus regis vestræ potestati custo-

He replies
in terms of
remon-
strance.

¹ *per plures*] per plures, A.

² *Reverendissimo*] Reverentissimo, A.

³ *Werelwast*] Warelwast, A.

⁴ *Balduinum*] Baldwinum, A.

⁵ *magnas ago sicut*] On erasure in A.

⁶ *est Dei*] Dei est, A.

⁷ *mihi*] Not in A.

A.D. 1105. diendam commendavit, et regno vestro, in pace vestra celerius restituar, et mihi opportunitas utendi secundum possibilitatem meam officio pro quo ibi positus sum diutius non¹ impediatur. Valde quoque mihi timendum est ne Deo displiceat, et me dominus papa juste reprehendat, quia, postquam vos et ego simul convenimus apud castrum quod vocatur Aquila, in tam longo tempore non illi misi legatum nostrum per quem quid de tanta re inter nos factum, et quid peragendum sit cognosceret, et ego ejus consilium et jussionem acciperem. Quapropter periculosum est mihi diu expectare vestrum legatum quem ante proximam Nativitatem Domini, sicut in verbis vestris intellexi, Roma rediturum speravi; MS. p. 200. præsertim cum nescio quo consilio, quave ratione, nullum terminum modo mihi constitutis. Quoniam igitur plus mihi debet esse de hoc quod ego ecclesiæ mihi commissæ præsens esse nequeo, quam de ulla terrena possessione, precor ut mihi aliquem proximum terminum nominetis per litteras vestras, quando possim legatum vestrum Romam iturum expectare, quia ego non audeo differre, ut multum dicam, ultra proximam Nativitatem Domini quin meum legatum mittam.

Scrpsit quoque sæpe memorato Roberto, comiti de Mellento, tunc temporis in hunc modum, utpote illi cujus consilio cuncta negotia sua rex ipse disponebat.

Anselmus archiepiscopus, domino et amico Roberto, comiti de Mellento, salutem.

He writes a menacing letter to the Count of Meulan.

Vos scitis quia quando rex et ego convenimus apud castrum Aquilæ dictum fuit quod rex mitteret legatum suum Romam pro iis in quibus concordare non poteramus nisi per dominum papam. Quod intellexi ut ita fieret, quatinus ante proximam Nativitatem Domini legatus rediret. Videtis autem quia dominus meus rex hoc quod tunc dixit facere moratur; sed hoc solum mandat mihi, qui legatum meum cum ejus legato mittere volebam, ne mihi displiceat quia suus tantum moratur, nullum mihi constituens terminum quando venturus est. Unde quidam opinantur et dicunt, quia rex non multum curat festinare ut ego redeam in Angliam, et ecclesia Dei, quam Deus illi custodiendam commendavit, quæ jam fere per tres annos desolata est, suo vivo

¹ *non*] On erasure in A.

MS. p. 201. A.D. 1105.
 pastore, ejus reditu et præsentiâ consoletur,¹ et, pro consilio animæ suæ quo diu privata est, in illis qui hoc amant et desiderant lætificetur. Quapropter dico vobis quia valde timeo ne ipse super se provocet iram Dei, et super eos quorum consilio differt tam necessariæ rei, tam rationabili, succurrere; cum ad illum hoc pertineat et facere possit, ut nihil perdat de iis quæ secundum Deum ad regiam pertinent potestatem. Sicut amicus et sicut archiepiscopus, qualiscunque sim, consulo illi et iis qui circa illum sunt, ut non plus studeant satisfacere voluntati suæ quam voluntati Dei, quia Deus aliquando satisfaciet voluntati suæ contra voluntatem illorum qui hoc faciunt. Consulite ergo illi et vobis priusquam Deus ostendat iram suam, quam adhuc suspendit, expectans ut humiliemini ad voluntatem suam. Deus dirigit eum et consiliarios ejus ad verum honorem et ad veram utilitatem ejus.

Hæc iccirco ita describimus ut quicumque ista legit vel audit, plane intelligat cui mala quæ in Anglia exulante Anselmo facta sunt, moramve exilii ejus potissimum ascribere debeat.

Itaque post hæc missi sunt Romam, ex parte quidem Anselmi Balduinus² monachus, vir utique sanctæ libertatis ecclesiæ et omnis boni non fictus amator; et ex parte regis Willelmus sæpe superius memoratus, pro libertate ecclesiæ sicut solebat acturus. Quas vero quantasve oppressiones inter hæc tota Anglia perpessa sit, difficile dictu scio esse.³ Rex enim ipse a Normannia digressus, quia eam totam eo quo supra diximus modo sibi subjugare nequierat, reversus in Angliam est, ut, copiosiori pecunia fretus, rediens quod residuum erat, exhæredato fratre suo, subjiceret. In cujus pecuniæ collectione nullus in collectoribus pietatis aut misericordiæ respectus fuit, sed crudelis et immanis⁴ exactio super omnes, ut nobis qui inde

Baldwin of Tournay and William of Veraval sent to Rome.

Oppressive measures of the King for raising money.

¹ *sed hoc solum . . . consoletur*] On erasure, cramped writing, many contractions, and later penmanship in A.

² *Balduinus*] Baldwinus, A.

³ *scio esse*] esse scio, A.

⁴ *et immanis*] Not in A.

A.D. 1105. veniebant testabantur, desævit. Denique videres, sicut aiebant, eos qui quidem¹ non habebant quid darent aut a suis domunculis pelli, aut, avulsis asportatisque ostiis domorum, penitus diripiendos exponi, aut, ablata vili suppellectile, in summam penuriam redigi, aut certe aliis atque aliis miserabilibus modis affigi et cruciari. In eos autem qui videbantur aliquid habere nova et excogitata quædam forisfacta objiciebantur, et sic, cum adversus regem terræ defendendi se placitum ingredi non audebant, ablatiis rebus suis, in gravem ærumnam dejiciebantur. Sed hæc ab aliquibus levia dictu fortassis æstimabuntur, eo quod ista non solum sub rege Henrico, sed et horum similia multa facta fuerunt sub fratre ejus, ut de patre taceam rege Wilhelmo. Attamen ista illis graviora et intolerabiliora visa sunt, quoniam multo minus solito quod jam spoliatis et exhaustis auferretur inveniebatur. Ad hæc. In concilio Lundoniensi societas mulierum, ut in superioribus diximus, omnibus presbyteris et canonicis Angliæ interdicta erat, ipsumque interdictum, Anselmo exulante, retentis vel certe resumptis mulieribus, a pluribus eorum violatum fuerat. Hoc ergo peccatum rex impunitum esse non sustinens, suos ministros eos^{MS. p. 203.} implacitare, et pecunias eorum pro hujus peccati expiatione præcepit accipere. Sed ubi plures² eorum ab illa transgressione sunt immunes reperti, pecunia quæ ad opus principis quærebatur minorem quam exactores sperare poterant copiam ministrabat.³ Quapropter mutata, immo super innocentes cum nocentibus sententia versa, omnes ecclesiæ quæ parochias habebant sub debito positæ sunt, et unaquæque, indicta pecuniæ quantitate, per personam quæ in ea Deo serviebat redimi jussa est. Erat ergo miseriam videre. Cum enim exactionis istius tempestas ferveret, et nonnulli,

His device
for pro-
curing
money from
the clergy.

Some of
them cry
for pity, but
in vain.

¹ *qui quidem*] quidem qui, A.

² *plures*] perplures, A.

³ *ministrabat*] administrabat, A.

vel quid¹ darent non habentes, vel rem inauditam A.D. 1105.
 exsecrati nil pro tali causa dare volentes, contumeliose
 raperentur, incarcerarentur, cruciarentur; contigit re-
 gem ipsum Lundoniam venire, Adunati ergo, ut dicitur,
 ferme ducenti presbyteri,² induti albis et sacerdotilibus
 stolis regi ad palatium suum eunti nudis pedibus occur-
 rerunt, una voce misereri sibi³ implorantes. At ille forte,⁴
 ut fit, ad multa divisus nulla ad preces eorum miseratione
 permotus, vel saltem quavis eos sicut homines omnis religionis
 expertes responsi honestate dignatus, suis obtutibus abigi
 festine⁵ præcepit. Qui, confusione super confusionem induti,
 reginam adeunt et interventricem flagitant. Illa, ut fertur,
 pietate mota in lacrimas solvitur, sed timore constricta
 ab interventione arcetur. Ferebantur eo tempore plura his
 in hujusmodi per Angliam acta, sed nos brevitati studentes
 pauca quæ dicta sunt pro intentione præsentis opusculi
 sufficere posse putamus.

MS. p. 204.

Attamen dicendum quod eousque mala super Angliam
 ipsis diebus inundaverunt, ut episcopi ipsi⁶ qui semper
 libertatem ecclesiæ, et Anselmum eandem libertatem sublevare
 tuerique nitentem, ut ex superioribus intelligi potest,
 cum principe deprimere nisi sunt, tantorum malorum
 immensitate compulsi, mandata Anselmo cum epistola
 dirigerent, et opem subventionis ejus proni deposcerent,
 seque illum amodo secuturos in Dei rebus ut patrem
 promitterent. Sed hæc, ut opinor, melius liquebunt,
 si epistola ipsa subscribatur quam ei miserunt. Est
 igitur hæc.

The bishops who had opposed Anselm turn to him for help.

Patri dilectissimo, Anselmo Cantuariensi archiepiscopo,
 Gerardus Eboracensis⁷ archiepiscopus, et Robertus Cestren-

Their letter to Anselm.

¹ *vel quid*] quid vel, A.

² *presbyterorum*] presbiterorum, MS.

³ *sibi*] Not in A.

⁴ *forte*] Supplied over line and in red letters, in A.

⁵ *abigi festine*] festine abigi, A.

⁶ *episcopi ipsi*] ipsi episcopi, A.

⁷ *Eboracensis*] Eburacensis, MS.

A.D. 1105. sis, et Herbertus Norwicensis,¹ et Radulfus Cicestrensis, et Sanson Wigornensis, episcopi, et Willelmus Wintoniensis electus, salutem.

Sustinuimus pacem, et ipsa longius recessit; quæsiuimus bona, et inualuit turbatio. Viæ Syon lugent, quia eas concalcant incircumcisi. Templum mœret, quia intra sancta sanctorum et ad ipsam aram irruerunt laici. Exsurge, ut olim senex ille Mathathias; habes in filiis tuis virtutem Judæ, strenuitatem Jonathæ, prudentiam Simonis. Hi tecum præliabuntur prælium Domini; et, si ante nos appositus fueris ad patres tuos, de manu tua suscipiemus hæreditatem laboris tui. Sed jam non est tibi pigritandum. Utquid enim peregrinaris, et oves tuæ sine pastore pereunt? Jam MS. p. 25. apud Deum nulla tibi remanet excusatio; te enim non solum subsequi, sed et præire, si jusseris,² parati sumus. Veni ergo ad nos, veni cito; vel nos aut ex nobis aliquos ad te venire jube, ne, dum sejuncti a te sumus, in sinistram te partem inclinent eorum consilia qui sua quærunt. Nos enim jam in hac causa non quæ nostræ, sed quæ Dei sunt quærimus.

Rescriptum Anselmi.³

Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, amicis suis et coepiscopis quorum litteras suscepit, salutem.

Anselm's
reply.

Condoleo et mente compatiior tribulationibus quas vos et ecclesiæ⁴ Angliæ sustinetis; sed ad præsens secundum meam et vestram voluntatem subvenire nequeo, quia nondum quid et quantum confidere possim sum certus, donec per legatos nostros quos in proximo Roma redituros expecto, quid apud dominum papam effecerint cognoscam. Bonum tamen est et gratum mihi, quia tandem cognoscitis ad quid vos perduxit, ut mitius dicam, vestra patientia, et quia promittitis mihi auxilium vestrum non in mea, sed in Dei causa, et invitatis me ne pigriter venire ad vos. Quamvis enim hoc modo facere non possim, quia rex non vult me esse in Angliæ adhuc, nisi discordem a jussione papæ et ejus concordem voluntati, et ego nondum certus sim quid possim, sicut dixi, tamen gaudeo pro vestra bona et episcopali voluntate et constantia⁵ quam promittitis, et exhortatione⁶ quam mihi faci-

¹ *Norwicensis*] Noruicensis, MS.

² *jusseris*] On erasure in A.

³ *Anselmi*] Anselmi ad eos, A.

⁴ *ecclesiæ*] ecclesia, A.

⁵ *bona et episcopali voluntate et constantia*] bona voluntate et episcopali constantia, A.

⁶ *exhortatione*] exortatione, MS.

MS. p. 206. A.D. 1106.
 tis. Ut autem aliquos ex vobis ad me venire faciam, sicut poscitis, ne, dum¹ se juncti sumus ab invicem, pervertant consilium meum qui sua quærunt, ad præsens non opinor oportere. Spero enim in Deo quia nullus cor meum a veritate, in quantum cognoscam, poterit avertere, et quia in proximo Deus mihi quid facere queam ostendet et ego quam citius poterò vobis notificabo. Quid autem vobis interim faciendum sit, prudentia vestra satis intelligit; sed tantum dico quia ego, in quantum sperando in Deo conscientiam meam sentio, pro redimenda vita mea non præberem assensum, neque ministrum aut executorem ejus mali me facerem, quod audio noviter super ecclesias Angliæ promulgari. Valete.

Inter hæc crebris de Anglia nunciis² Normanniam venientibus, id quod de presbyteris³ Angliæ rex faciebat nimis divulgabatur, et non solum hos qui infamia ejus, verum⁴ eos qui laude illius pascebantur, in odium et vituperium ejus adducebat. At Anselmus tam malam famam de rege non ferens, eumque a tanta injuria revocare desiderans, scripsit ei de⁵ negotio semel et iterum, totiensque responsi ejus scripta recepit. Quæ scripta eo quo missa sunt ordine subter annotanda putavi, ratus ea futuris temporibus exempli gratia profutura, si altiori consilio Deus non sedaverit in regno Anglorum quæ sub oculis ejus hodie fiunt maxima mala. In quo tamen ab iis qui ista legunt vel audiunt petitum iri optamus, ne nobis succenseant quod scribendis epistolis tantum occupamur. Negotii enim quod manu versamus quædam et magna pars est, nec totum alicujus rei ignotis partibus ejus sciri potest. Ipsarum igitur epistolarum textus hic est.

MS. p. 207.

Henrico suo carissimo domino, gratia Dei regi Anglorum, Anselmus archiepiscopus Cantuariæ, fideles orationes cum fidei servitio. The Primate to the King.

Ad me pertinet si audio quod faciatis aliquid quod animæ vestræ non expediat, ut hoc vobis non taceam, ne, quod Deus

¹ *ne, dum*] nedum, MS.

² *nunciis*] nuntis, MS.

³ *presbyteris*] presbiteris, MS.

⁴ *verum*] verum et, A.

⁵ *scripsit ei de*] On erasure in A.

A.D. 1106. avertat, Deus irascatur, et vobis, si facitis quod illi non placeat, et mihi pro taciturnitate mea. Audio quia vestra excellentia vindictam exercet super presbyteros Angliæ, et forisfacturam exigit ab eis quia non servaverunt præceptum concilii quod ego cum vestro favore tenui apud Lundoniam cum aliis episcopis et religiosis personis. Quod hactenus inauditum et inusitatum est in ecclesia Dei de ullo rege, et de aliquo principe. Non enim pertinet secundum legem Dei hujusmodi culpam vindicare, nisi ad singulos episcopos per suas parochias, aut, si et ipsi episcopi in hoc negligentes fuerint, ad archiepiscopum et primatem. Precor igitur vos, sicut carissimum dominum cujus animam diligo plus quam præsentem vitam corporis mei, et consulo, sicut vere fidelis corpori et animæ vestræ, ne vos contra ecclesiasticam consuetudinem in tam grave peccatum mittatis, et, si jam incepistis, ut omnino desistatis. Dico enim vobis quod valde timere debetis, quia pecunia taliter accepta, ut taceam quantum noceat animæ, non tantum cum expendetur adjuvabit terrena negotia, quantum postea perturbabit. Denique vos scitis quia me in Normannia in pacem vestram suscepistis, et de archiepiscopatu MS. p. 208. meo me resaisistis, et quia cura et vindicta talis offensæ maxime pertinet ad archiepiscopatum, quoniam plus sum episcopus pro spirituali cura, quam pro terrena possessione. Omnipotens Deus sic et in hoc et in aliis actibus vestris dirigat cor vestrum secundum voluntatem suam, ut post hæc vitam perducatur ad gloriam suam. Amen.

The King to the Primate.

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, Anselmo archiepiscopo Cantuariæ, salutem. In die sancti Georgii¹ apud Tonebrige mihi fuerunt delatæ litteræ repostæ in tuo sigillo. Et per eas mihi mandasti talia unde multum miror, quia quod feci credo me per te fecisse. Et in die Ascensionis Domini habeo omnes barones meos mecum congregatos, et per consilium eorum ita convenienter tibi respondebo, quod, cum tecum loquar, non credo te me inde blasphematurum. Et quicquid fiat alias, scito quia tui quicquid ipsi fecerunt per omnes terras tuas in pace permanserint.

The Primate to the King.

Suo carissimo domino Henrico, gratia Dei regi Anglorum, Anselmus archiepiscopus Cantuariæ,² fidele servitium et fideles orationes.

¹ *Georgii*] Corrected from *Gregorii* in A.

² *Cantuariæ*] *Cantuariensis*, A.

Gratias ago Deo et dignationi vestræ, quæ in litteris suis A.D. 1106. promisit se convenienter responsuram mihi de hoc unde precatus eam fueram in litteris meis de sacerdotibus Angliæ, et oro Dominum, cujus consilium manet in æternum, ut ipse vobis consulat respondere et facere quod illi placeat, et unde fideles dilectores animæ vestræ gaudeant. De hoc autem quod legi in litteris vestris quia creditis vos facere per me quod facitis, pro certo scitote, mi domine, quia non est per me, quoniam contra Deum facerem si per me esset. Quapropter adhuc precor magno et fideli affectu, quatinus in tali incepto nullius consilio persistatis. Valet.

MS. p. 209.

Henricus rex Anglorum, Anselmo Cantuariensi archiepiscopo,¹ salutem et amicitiam. The King to the Primate.

De hoc quod mihi mandastis de sacerdotibus, scias quod ita decenter feci, ut opinor secundum quod facere debui. Nec tibi sit incognitum brevi intervallo temporis me transfretaturum. Et ex quo tecum locutus fuero, siqua commisi in his, omnipotentis Dei et tuo consilio corrigam; teste Waldrico cancellario apud Merlebergam.

Dum hæc ita fiunt, ecce qui Romam missi fuerant redeunt. Return of the envoys.

Suspensus autem fuerat ab officio episcopali jam olim Willelmus archiepiscopus Rotomagensis, et per hos nuncios intercesserat pro eo apud dominum papam Anselmus archiepiscopus Cantuariensis. Mandavit itaque ei dominus papa ut de causa ipsa quod faciendum intelligeret sua vice faceret, sciens eum a justitiæ semitis nullius rei interventu scienter flecti posse. Ivit ergo Rotomagum, et in synodo clericorum, quæ tunc erat adunata, adventus sui causam exposuit. Profert litteras Willelmus legatus regis, quas ex parte apostolici de re Roma detulerat, et coram omnibus recitantur, sic. Anselm goes to Rouen.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Willelmo Rotomagensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Paschal II. to William, Archbishop of Rouen.

Licet causæ tuæ qualitas patientiam nostram plurimum gravet, pro reverentia tamen fratris nostri Cantuariensis epi-

¹ *Cantuariensi archiepiscopo*] archiepiscopo Cantuarie, A. R 8387.

A.D. 1106. scopi et dilectione latoris præsentium filii nostri Willelmi, MS. p. 210. qui pro te apud nos vehementius intercesserunt, paterna penes te benignitate movemur. Causam itaque tuam eidem fratri Cantuariensi episcopo commisimus, ut quod ipse indulserit indulgeamus; eo nimirum intuitu, ea conditione, ut malos consiliarios quorum instinctu multas pravitates incurristi a tua familiaritate repellas.¹ Datæ Beneventi v. Kal. Aprilis.

Misit quoque dominus papa epistolam hanc Anselmo.

Paschal II: Anselmo Cantuariensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Paschal II: to Arch-
bishop An-
selm.

Quod Anglici regis cor ad apostolicæ sedis obcedentiam omnipotentis Dei dignatio inclinavit, eidem miserationum Domino gratias agimus, in cujus manu regum corda versantur.² Hoc nimirum tuæ caritatis gratia tuarumque orationum instantia factum credimus, ut in hac parte populum illum cui tua sollicitudo præsidet miseratio superna respiceret. Quod autem et regi et iis qui obnoxii videntur adeo condescendimus, eo affectu et compassione factum noveris, ut eos qui jacebant erigere valeamus. Qui enim stans jacenti ad sublevandum manum porrigit nunquam jacentem eriget, nisi et ipse curvetur. Cæterum, quamvis casui propinquare inclinatio videatur, statum tamen rectitudinis non amittit. Te autem, frater in Christo venerabilis et carissime, ab illa prohibitione, sive, ut tu credis, excommunicatione, absolvimus, quam ab antecessore nostro sanctæ memoriæ Urbano papa adversus investituras aut hominia factam intelligis. Tu vero eos qui MS. p. 211. investituras acceperunt, aut investitos benedixerunt, aut hominia fecerunt, cum ea satisfactione quam tibi per communes³ legatos, Willelmum et Balduinum,⁴ viros fideles et veridicos, significamus, Domino cooperante, suscipito, et eos vice nostræ auctoritatis absolvito, quos vel ipse benedicas, vel a quibus volueris benedici præcipias, nisi aliud in eis forte reppereris propter quod a sacris sint honoribus repellendi. Cæterum Eliensi abbati tuæ communionis consortium subtrahas quamdiu abbatiam retinere præsumperit, quam contempto nostri oris quod præsens audierat interdicto per repetitam investituram præ-

¹ *repellas*] On erasure in A.

² *corda versantur*] On erasure in A.

³ *quam tibi per communes*] On erasure in A.

⁴ *Balduinum*] Baldwinum, A.

sumpsit invadere. Siqui vero deinceps præter investituras ecclesiarum prælationes assumpserint, etiam si regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc benedictionis¹ munere arceantur, donec per omnipotentis Dei gratiam ad hoc omittendum cor regium tuæ prædicationis imbribus molliatur. Præterea super episcopis qui falsum, ut nosti, a nobis rumorem retulerunt, cor nostrum vehementius aggravatur, quia non solum nos læserunt, sed multorum simplicium animas deceperunt, et regem adversus caritatem sedis apostolicæ impulerunt. Unde et inultum eorum flagitium, Domino cooperante, non patimur. Veruntamen quia filii nostri regis instantia pro eis nos pulsant attentius, etiam ipsis communionis tuæ participium non negabis, donec veniendi ad nos præceptum accipiant. Sane regem et ejus conjugem ac proceres illos qui pro hoc negotio circa regem ex præcepto nostro laboraverunt et laborare nitentur, quorum nomina ex supradicti Willelmi suggestione cognoscas, juxta sponsonem nostram a penitentibus suis et peccatis absolves. Igitur, quandoquidem omnipotens Dominus tantum nos in Angliæ regno ad suum et ecclesiæ suæ honorem in hac præstitit correctione proficere, ea deinceps mansuetudine, dispensatione, sapientia, provisione circa regem ac principes tua fraternitas satagat, ut quæ minus adhuc correctæ sunt, auxiliante Domino Deo nostro, per tuæ sollicitudinis studium corrigantur. Qua in re ita dilectioni tuæ nostrum sentias adesse præsidium, ut quæ solveris absolvamus, quæ ligaveris alligemus. Rotomagensis episcopi causam et interdictum in eum, justitia dictante, prolatum tuæ deliberationi commisimus. Quod ei indulseris, indulgemus. Fraternitatem tuam superna dignatio per tempora longa conservet incolumem. Data x. Kal. Aprilis.

His diebus venit Rotomagum Boemundus, unus de nominatissimis Ierosolimitanæ viæ principibus, habens in comitatu suo quendam Romanæ ecclesiæ cardinalem, nomine Brunonem. Huic erat magister militum Ilgyrus nomine, vir strenuus et non ignobilis famæ inter suos. Hic ab adolescentia sua notus Anselmo multa fuerat ejus beneficia consecutus. Familiariter itaque cum eo agens, inter plurima quæ ipsi de superatis

A digression concerning Ilgyrus.

¹ *benedictionis*] a benedictionis, A.

A.D. 1106. bellis, de urbibus captis, de situ locorum, aliisque non-nullis quæ in expeditione Ierosolimitana acceperat, MS. p. 213. delectabili allocutione disseruit; quod multas sanctorum reliquias haberet, quoque modo eas adeptus fuerit, aperuit. In quibus, immo super omnibus quas habebat, præcipue gloriatus est de capillis Beatæ Matris Dei Mariæ, quorum aliquos sibi datos ferebat a patriarcha Antiocheno, ubi ipse magistratum militum sub Boemundo agebat. Et ad hæc intulit, "Hos capillos, " fateor, suscipere ausus non fuisset, si me amor " patriæ istius in qua natus fui et educatus ad hoc " non animasset. Sperabam enim me huc quandoque " perventurum, et ipsis hanc meam patriam sublimaturum. Quoniam igitur illa spe, protegente Deo, " fraudatus non sum, duos ex ipsis huic ecclesiæ, quæ " totius Normanniæ principatum obtinet Christianitatis " dare disposui, duos abbatiæ Beati Petri et Sancti " Audoeni, duos monasterio ejusdem Virginis virginum, " in quo sub tuo patrocinio ad ætatem hominis pro- " vectus sum, et duos tibi. Duodecim enim numero " de illis mihi præfatus episcopus dedit, contestans " illos ab ipsa Domina sibimet avulsos, cum, juxta " crucem Filii sui stans, gladius animam ejus per- " transivit, secundum quod in antiquarum monumentis " litterarum, quæ magnæ auctoritatis apud illos habe- " bantur, et in archivis ecclesiæ cui præsidebat serva- " bantur, sicut astruebat, scriptum repperit." Et hæc ille. Super quibus Anselmus admodum exhilaratus, actis cum pontifice Rotomagensi et Boemundo ac Ierosolimitanis quæ videbantur agenda, Beccum revertitur. MS. p. 214. At crines de quibus prædictus miles locutus fuerat, quoniam Carnoti, ubi familia et pene tota supellex Boemundi reditum ejus præstolabatur, remanserant, missi ab archiepiscopo Rotomagensi et abbate Beccensi religiosi ordinis viri sunt qui illos deferrent. Et factum est. Appropinquantibus eis qui quos Rotomagus habere debebat apportabant ipsi civitati, adjunctis sibi

canonicis et omni clero civitatis cum monachis Sancti Audoeni ac totius populi innumera multitudine, pontifex longa processione devotus occurrit, et, quanto potuit honore susceptos in ecclesiam detulit et sacratori loco reposuit. Quatuor autem ex illis Beccum delati sunt. Quorum duos ipsi loco, residuos Anselmus reverenter sibi excepit, mihique, utpote qui capellæ illius custos eram atque dispositor, custodiendos commendavit. Quod usque hodie facio. Quid itaque de istis aliorum sensus habeat, nescio. Ego tamen certissime scio, dominum et reverendum patrem Anselmum eos in magna veneratione semper¹ habuisse, et meipsum sacro et grandi experimento sensisse magnum quid et mundo amplectendum insigne sanctitatis illis inesse. De his ita.

MS. p. 215.

Itaque Willelmus, ubi ad regem in Angliam venit, et ei quæ de negotio ejus apud Romanum pontificem acta fuerant enarravit, lætus ille ad audita illico Anselmum ad ecclesiam suam redire per eundem Willelmum postulavit. Qui Willelmus ad nos post paucos dies reversus Anselmum infirmum invenit, et valde conturbatus est. Erat enim jam tunc ad libertatem ecclesiæ Dei cor habens, et in quantum poterat sollicitate operam dans ut Anselmus suæ sedi in pace et honore restitueretur. Timens ergo ne virum loci ac fratrum amor non minus quam ea qua gravabatur corporis invalidudo ab itinere Angliæ præpediret, modis quibus poterat, tam per se quam et per nos qui secum eramus, agere cœpit, qualiter eum² loco evelleret et in iter quod desiderabat promoveret. Præmissis igitur precibus, quibus eum ex parte domini sui regis Anglorum interpellavit quatinus Angliam ejus absentia desolatam citato reditu visitaret,³ affirmabat et affirmando promittebat regem ipsum penitus ad voluntatem ipsius

William of Veraval gives a report of his mission to Henry, who recalls Anselm.

¹ *veneratione semper*] semper | ² *eum*] virum, A.
 veneratione in A. | ³ *visitaret*] On erasure in A.

A.D. 1106. In omne quod deinceps præciperet promptissimam mentem habere, nec ulterius a Romana ecclesia velle dissentire. Et subjungens ait, "Propterea obsecro ut
 " omnem moram rumpatis in veniendo, ne forte ex
 " adverso aliqua sæcularis aura prorumpat, quæ eum
 " ab istis subvertat." Hæc ille audiens Deo super
 admirabili dono ejus gratias egit, acceptaque licentia a
 fratribus, inter quos jam diu magno cum amore et
 honore habiti fueramus, in Angliam iturus Gemmeti-
 cum venit. Ubi renovata infirmitate qua, ut memora-
 vimus, Becci gravatus fuerat, a loco digredi nequa-
 quam potuit. Quapropter missis in Angliam nunciis
 intimavit regi quid sibi ne rediret obstabat. Turbatur
 ille ad audita, et vehementer indoluit, jurans per ver- MS. p. 216.
 bum Dei se omnia damna æquanimius toleraturum
 quam Anselmi decessum. Remissis ergo celerrime nun-
 ciis, orat virum sibi ipse parcere, ac omnimodis indul-
 gere quieti. Præcepit quoque ut de iis quæ sui juris
 in Normannia erant pro voto acciperet, et sibi ac suis
 exinde ministrari sufficienter juberet, seque in proximo
 transfretaturum expectaret. Quo ipse gratiose accepto,
 circiter mense uno ibi remansit. Mitigato deinde lan-
 guore, Beccum rediit, ratus sibi opportunius et hones-
 tius fore illic quam alias regium præstolari adventum.
 Ubi, omnibus mira alacritate de reditu ejus exultan-
 tibus, ecce lacrimabile malum concussit atque subver-
 tit gaudium ipsum. Nam tam gravis infirmitas iterum
 invasit Anselmum ut de eo præter mortem nihil ex-
 spectaremus. Confluunt episcopi et abbates terræ illius,
 ac de funere ejus quique pertractant. Sed omnipotens
 Deus sua pietate ipsum contra omnium opinionem
 sanitati restituit, et multos magno exinde gaudio læti-
 ficavit.

Igitur in Assumptione Beatæ Mariæ rex Beccum
 venit, celebratoque ab Anselmo solenni missæ officio,
 una rex scilicet et ipse convenerunt, et tandem omnia
 quæ illos in diversa traxerant pacem et concordiam

Anselm,
 recovering
 from illness,
 sets forth,
 but falls ill
 again at
 Jumièges.

The King
 begs him to
 await his
 arrival in
 Normandy.

His illness
 abating, he
 returns to
 Le Bee.

Falling ill
 again, he
 recovers
 unex-
 pectedly.

The final
 reconcilia-
 tion
 [August 15,
 1106].

invenerunt. Siquidem ecclesias Angliæ, quas Willelmus rex frater regis Henrici sub censum, ut longe superius retuli, primus redegerat, liberas ab eadem exactione rex in manus Anselmi reddidit, et se de ipsis dum viveret nil accepturum quamdiu essent sine pastore promisit. Pro pecunia autem quam a presbyteris, ut præfati sumus, acceperat, eam emendationem spondit ut ii qui nondum inde quid dederant nihil darent, et qui dederant tribus annis sua omnia in pace et quiete libera possiderent. Cuncta vero quæ de archiepiscopatu, exulante Anselmo, suo jussu accepta fuerant, se redditurum cum in Angliam esset reversus dato vadimonio pollicitus est.

MS. p. 217.

A.D. 1106.

His et aliis quæ res expetebat inter viros compositis, Anselmus iter Angliam remeandi ingressus est, et, Divino tutamine fretus, sanus et alacer cum suis omnibus Dofris appulsus est. Qua vero exultatione, qua jocunditate, qua spe boni in Angliam veniens susceptus sit, reor ex consideratione malorum quæ paucis tetigimus illic ante reditum ejus provenisse aliquantum¹ subintelligi posse. Unde, ut diversæ ætatis et ordinis hominum gaudia sileam, de ipsa regina hoc breviter dixerim, quia nec terrena negotia nec pompa sæcularis gloriæ ulla poterant eam detinere, quin virum loca diversa adeuntem præcederet, et monachis seu canonicis ei pro more obviam procedentibus, ipsa procederet, hospitiaque ejus sua providentia dignis apparatus adornaret.

The return of Anselm to England.

MS. p. 218.

Itaque post hæc ii qui ecclesiis ac monasteriis pro exigenda regia pecunia fuerant intromissi ejecti sunt, et personis cujusque ecclesiæ res intus et extra ad communem utilitatem commendatæ. Presbyterorum² etiam causæ sicut regem Anselmo promississe diximus

¹ *aliquantum*] *aliquantulum*, A.² *Presbyterorum*] *Præsbiterorum*, MS.

A.D. 1106. dispositæ sunt, atque id ipsum per totum regnum divulgatum.

Henry makes himself master of Normandy.

Rex ipse inter hæc Normanniam sibi bello subegit, et id confestim¹ Anselmo per epistolam quam ecce subscribimus significavit.

Henricus rex Anglorum, Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, salutem et amicitiam.

Paternitati et sanctitati vestræ significamus² Robertum comitem Normanniæ cum omnibus copiis militum et peditum quos prece et pretio adunare potuit die nominata et determinata mecum ante Tenerchebraium acriter pugnasse; et tandem sub misericordia Dei vicimus, et sine multa cæde nostrorum. Quid plura? Divina misericordia duces Normanniæ et comitem Moritonii, et Willelmum Crispinum, et Willelmum de Ferreris et Robertum de Stutevilla³ senem, et alios usque⁴ quadringentos milites, et decem millia peditum in manus nostras et Normanniam dedit. De illis autem quos gladius peremit non est numerus. Hoc autem non elationi vel arrogantiae nec viribus meis,⁵ sed dono Divinæ dispositionis attribuo. Quocirca, pater venerande, supplex et devotus genibus tuæ sanctitatis advolutus te deprecor, ut supernum Judicem, cujus arbitrio et voluntate triumphus iste tam gloriosus et utilis mihi contigit, depreceris, ut non sit mihi ad damnum et detrimentum, sed ad initium bonorum operum et servitii Dei, et ad sanctæ Dei ecclesiæ statum tranquilla pace tenendum et corroborandum, ut amodo libera vivat et nulla concutiatu tempestate bellorum. MS. p. 219.

Igitur ob pacem quam rex fecerat cum Anselmo hac victoria eum potitum multi testati sunt.

A.D. 1107. The Easter court of 1107.

Normannia ergo sub regia pace disposita, et duce Roberto cum comite Moritonii in Angliam sub captione præmissis, rex ipse in regnum suum reversus est. Adunatis autem ad curiam ejus in Pascha terræ principibus, dilata est ecclesiarum ordinatio quam rex se facturum disposuerat, eo quod summus sedis apostolicæ pontifex Paschalis Franciam venerat, et sibi ad

¹ *confestim*] Not in A.

² *significamus*] On erasure in A.

³ *Stutevilla*] Stuteville, A.

⁴ *usque*] usque ad, A.

⁵ *meis*] meis tribuo, A.

concilium quod Trevis erat celebraturus a rege Henrico et ab Anselmo archiepiscopo sæpe supra memoratos viros Willelmum et Balduinum¹ mitti mandaverat. Ratus itaque rex aliquid novi se in reditu illorum accepturum, in subsequens festum Pentecostes omnia distulit, quatinus eis reversis securius quæque agnita pontificis voluntate disponderet.

A.D. 1107.

Postponement of the final settlement till Whitsuntide.

Soluta igitur curia, Anselmus ad abbatiam Sancti Eadmundi vadit, crucem magnam ibi consecraturus et alia quædam episcopalia officia administraturus. Quibus expletis, cum jam rediturum se putaret, gravi corporis infirmitate corripitur, et ingravescente languore ad extrema fere perducitur. Detentus est autem² ibi propter ipsam infirmitatem usque ad octavas Pentecostes, et concilium quod, sicut diximus, dilatum erat, causa infirmitatis ejus inducias in Kal. Augusti accepit.

S. p. 220.

Further postponement of the final settlement.

Inter hæc ex parte apostolici allata est Anselmo epistola hæc.³

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Anselmo Cantuariensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

De presbyterorum filiis quid in Romana ecclesia constitutum sit fraternitatem tuam nescire non credimus. Cæterum quia in Anglorum regno tanta hujusmodi plenitudo est, ut major pene et melior clericorum pars in hac specie censeatur, nos dispensationem hanc sollicitudini tuæ committimus. Eos enim quos scientia et vita commendat apud vos, ad sacra officia promoveri pro necessitate temporis et utilitate ecclesiæ concedimus, ut tamen in posterum constitutionis ecclesiasticæ præjudicium caveatur. De persona quoque Ricardi Heliensis abbatis, petentibus filiis nostris Henrico rege et Willelmo de Warelwast, permittimus ut eum in communionem tuam, præmissa satisfactione, suscipias; et si ad monasterii regimen utilis ejus persona conspicitur, tuæ dispensationi committimus. Cætera etiam quæ in regno illo

¹ *Balduinum*] Baldwinum, A.² *est autem*] autem est, A.³ *hæc*] ista, A.

A.D. 1107. pro necessitate temporis dispensanda sunt, juxta gentis barbariem, juxta ecclesiæ opportunitates, sapientiæ ac religionis tuæ sollicitudo dispenset. Data iii. Kal. Junii.

The assembly of August 1107.

In Kalendis ergo Augusti conventus episcoporum, abbatum et¹ procerum regni Lundoniæ in palatio² regis factus est, et per tres continuos dies, absente Anselmo, inter regem et episcopos satis actum de ecclesiarum investituris, quibusdam ad hoc nitentibus ut rex eas faceret more patris et³ fratris sui, non juxta præceptum et obœdientiam apostolici. Nam papa in sententia quæ exinde promulgata fuerat firmus stans, concesserat hominia quæ Urbanus papa æque ut investituras interdixerat, ac per hoc regem sibi de investituris consentaneum fecerat, ut ex epistola quam supra descripsimus colligi potest. Dehinc, præsentē Anselmo, astante multitudine, annuit rex et statuit ut ab eo tempore in reliquum nunquam per dationem baculi pastoralis vel anuli quisquam episcopatu aut⁴ abbatia per regem vel quamlibet laicam manum in Anglia investiretur,⁵ concedente quoque Anselmo ut nullus in prælationem electus pro hominio quod regi faceret consecratione suscepti honoris privaretur. Quibus ita dispositis, pene omnibus ecclesiis Angliæ quæ suis erant pastoribus diu⁶ viduatæ per consilium Anselmi ac procerum regni sine omni virgæ pastoralis aut anuli investitura patres a rege sunt instituti. Instituti quoque sunt ibidem et eodem tempore ab ipso rege quidam ad regimen quarundam ecclesiarum Normanniæ, quæ similiter suis erant patribus destitutæ.

The terms of the final settlement.

Ecclesiastical appointments in England and Normandy.

Anselm demands profession of obedience from the Archbishop of York.

Inter ista cœpit Anselmus coram rege regni que episcopis atque principibus exigere a Gerardo archiepiscopo Eboracensi professionem de sua subjectione,⁷

¹ *et*] Not in A.

² *palatio*] palatium, A.

³ *et*] ac, A.

⁴ *aut*] vel, A.

⁵ *in Anglia investiretur*] investiretur in Anglia, A.

⁶ *pastoribus diu*] On erasure in A.

⁷ *sua subjectione*] sua obediencia et subjectione, A.

MS. p. 222. quam non fecerat ex quo de episcopatu Herefordensi in archiepiscopatum Eboracensem, ut supra meminimus, translatus fuerat. Ad quæ cum rex ipse diceret sibi quidem non videri necesse esse ut professioni quam ordinationis suæ tempore Gerardus fecerat aliam superadderet, præsertim cum, licet ecclesiam mutaverit, idem tamen qui fuerat in persona permanserit nec a prima professione absolutus extiterit, Anselmus in præsentem quidem regis verbis adquevit, ea conditione ut Gerardus in manum sibi daret se eandem subjectionem in archiepiscopatu ei servaturum quam in episcopatu professus fuerat. Annuit Gerardus, et, sua manu imposita manui Anselmi, interposita fide sua pollicitus est, se eandem subjectionem et obœdientiam ipsi et successoribus ejus¹ in archiepiscopatu exhibiturum, quam Herefordensi ecclesiæ ab eo sacrandus antistes illi² promiserat. A.D. 1107.

Exin statutum est ut qui ad episcopatum electi erant Cantuariam irent, et ibi dignitatis ipsius benedictionem ex more susciperent. Willelmus itaque Wintoniensis, et Rogerius Serberiensis, ac Reinelmus tunc nuper ecclesiæ Herefordensi restitutus episcopus, quorum supra meminimus, necnon Willelmus, qui legatione regis fungi solebat, tunc autem Excestrensi ecclesiæ electus episcopus, Urbanus quoque Glamorgatensi ecclesiæ quæ in Gualis est similiter electus episcopus, simul Cantuariam venerunt, et in die Dominica³ quæ fuit iii. Idus Augusti pariter ab Anselmo consecrati sunt, ministrantibus et cooperantibus sibi in hoc officio suffraganeis ipsius sedis, Gerardo videlicet archiepiscopo Eboracensi, Roberto Lincolniensi episcopo, Johanne Bathoniensi, Herberto Norwicensi, Roberto Cestrensi, Radulfo Cicestrensi, Rannulfo Dunelmensi. Ipso die priusquam eorundem episcoporum

Consecration of five bishops by Anselm [August 11, 1107].

MS. p. 223.

¹ *ejus*] suis, A.
² *illi*] Not in A.

³ *die dominica*] dominica die, A.

A.D. 1107. consecrationem Anselmus faceret, præsentibus eis et
 Reinstatement of
 Baldwin, Abbot of
 Ramsey. episcopis qui convenerant, juxta mandatum domini
 papæ, nam hoc ei per litteras olim mandaverat, red-
 didit Ealdwino virgam pastorem abbatia de Ram-
 mesei, quam, ut supra meminimus, perdiderat in con-
 cilio Lundoniensi.

Consecration of Robert,
 Abbot of St. Edmund's
 [August 15, 1107]. In subsequenti etiam quinta feria sacravit in ipsa
 sede Robertum monachum cœnobii Sancti Petri West-
 monasterii, ad regimen abbatia Sancti Eadmundi.

Hugh, Abbot elect
 of St. Augustine's. Ordinatio autem abbatis Sancti Augustini per id
 temporis ea causa, ut ita dixerim, dilata est, quod
 ipse qui in abbatem, scilicet Hugo monachus Bec-
 censis, electus erat nondum sacros ordines habebat.
 Ordinatus vero est ad diaconatum ab archiepiscopo
 in capella sua Cantuarie cum multis aliis in jejunio
 septimi mensis, et item ad presbyteratum a Willelmo
 Exoniensi episcopo in eadem capella jejunio decimi
 mensis. Anselmus enim infirmabatur, et partim ea re,
 partim propter imminens festum Nativitatis Christi,
 Cantuariam ad Anselmum idem episcopus jussus ve-
 nerat. Post hæc cum Anselmus ordinationem ipsius
 abbatis accelerare vellet, eo quod res ecclesie pessum

Postpone
 ment of
 Abbot
 Hugh's con-
 secration.

ibant, et quotidie in sui diminutionem intus et extra MS. p. 224.
 decidebant, voluit ut prædictus episcopus eum in ab-
 batem ad altare Christi Cantuarie solenniter, se
 astante, consecraret. Sed ubi monachis Sancti Au-
 gustini res innotuit, ad contradicendum animati sunt.
 Nam ecclesiam suam privilegia habere commentati
 sunt, per quæ abbatem suum non nisi in sede sua
 ordinari debere manifesta allegatione se probaturos
 asseruerunt. Duravit autem hæc fabula illorum die-
 bus nonnullis, Anselmo nullatenus assertioni eorum
 cedere volente. Tandem in initio quadragesimæ, cum
 Anselmus juxta Lundoniam pro colloquio regis venis-
 set, quidam ex ipsis monachis quos ad rem exercen-
 dam ii qui domi remanserant pari voto selectos eo
 direxerant, omissis privilegiis suis, quæ nulla vel non

A.D. 1108.

rata a rege et principibus comprobata sunt et damnata, per suos advocatos regi persuaserunt ut Anselmo mandaret abbatem in ecclesia Sancti Augustini ex antiqua consuetudine consecrare. Hujus mandati Willelmus episcopus Wintoniensis et Rogerius Serberiensis et Willelmus Exoniensis, cum Gisleberto abbate Westmonasterii, a rege ad Anselmum nuncii fuerunt.¹ Respondit ergo Anselmus, "Si rex me rogaret, quatinus pro suo amore ipsum abbatem in ecclesia sua ordinarem, fortassis facerem, ea consideratione, eo intuitu, quod antecessorum meorum juris fuit et mei est, indifferenter ubicunque per Angliam² voluntas tulit episcopale officium administrare. Nunc autem quia mandat ut id faciam ex consuetudine, dico consuetudinis illud non esse." At illi, "Si contra fidem non esse dinoscitur, omnino vult ut in sua sede consecretur." Refert, "Non omnia facienda sunt quæ fidei contraria non sunt. Alioquin plura inconvenientia fierent. Hoc quoque unde agitur, quamvis si fieret fidei contrarium non esset, fieri tamen ex consuetudine minime³ debet, eo quod nimis inconueniens esset. Ei quippe, qui ecclesiæ nostræ et mihi canonice⁴ per omnia subjici debet, subditus in hoc contra ordinem fierem. Ad hæc Archiepiscopus Cantuariensis primas est totius Angliæ, Scottiæ,⁵ Hiberniæ, et adjacentium insularum, nec pro alicujus personæ consecratione, nisi solummodo regis ac reginæ, sedem suam ex consuetudine egreditur. Si ergo rex vult ut ego eundem honorem exhibeam abbati Sancti Augustini quem sibi, parem eum vult in regno suo facere sibi. Quod ne

MS. p. 225.

¹ *Willelmus . . . ad Anselmum nuncii fuerunt*] nuncii fuerunt Willelmus . . . ad Anselmum, A.
² *ubicunque per Angliam*] per Angliam ubi cunque, A.

³ *minime*] non, A.
⁴ *ecclesiæ nostræ et mihi canonice*] canonice mihi et ecclesiæ nostræ, A.
⁵ *Scottiæ*] Scotiæ, A.

A.D. 1108. " fiat consulo, sicut ei cui fidem debeo, quatinus se ab
 " hac voluntate cohibeat. Re etenim vera dico, quia
 " si unquam tanta inordinatio in Anglia facta fuerit,
 " non modo regi, sed archiepiscopis, episcopis, princi-
 " pibus, et toti regno grande opprobrium erit." Dix-
 " erunt, "Eia, si eum in sede sua ordinare istis rationi-
 " bus actus non vis, mandat ut in sua capella, se
 " præsente, illum ordinari permittas ab aliquo episco-
 " porum cui ipse præceperit." Respondit, "Cur illum
 " ab alio episcopo ordinari permetterem, quem ego, MS. p. 226.
 " gratia Dei, pro meo jure ubi debeo ordinare potis
 " sum?" "Et hoc quidem," aiunt, "mallet, ut illic
 " eum tu ipse consecrares." Dixit, "Si hoc fecero,
 " nonnullam injuriam faciam ipsi domino meo. Meum
 " quippe non est in capella ejus missam celebrare,
 " nisi quando ipse debet a me coronari. Itaque si
 " hoc facio pro abbatis consecratione, regius honor
 " vilescet, et deinceps mei ex exemplo¹ exigitur pro
 " consuetudine quod hactenus fiebat statuto tempore
 " pro solo regis honore. Verum quia ipse vult ut
 " proxime consecretur, eo quod, nondum confirmato
 " abbate, fluctuant res abbatiae, si voluerit, hic in
 " capella hospitii mei eum ordinabo, quoniam quidem
 " mihi facile non est pro tam levi re hac vice Can-
 " tuariam ire." Relata sunt ista regi, et, approbata
 " ratione Anselmi, laudavit ut, omissis cunctis objectio-
 " num ambagibus, abbas sacraretur ubi dixit Anselmus.
 " Ordinavit igitur illum iiii. Kal. Martii, quinta feria
 " primæ septimanæ quadragesimæ apud Lambetham in
 " capella Rofensis ecclesie ubi tunc Anselmus erat hos-
 " pitatus, accepta ab eo professione ex more, qua se
 " ecclesie Dorobernensi et archiepiscopis ejus canonicè
 " per omnia obcediturum promisit. Ii ergo qui affuerunt
 " multo honestius ipsum Cantuarie potuisse sacrari dix-
 " erunt, et quod major honor esset abbati requirere

Consecra-
 tion of Hugh
 Abbot of St.
 Augustine's
 [Feb. 27,
 1108].

¹ *ex exemplo*] exemplo, A.

patrem patriæ pro benedictione sua in metropoli sede, A.D. 1108.
quam in capella Rofensis ecclesiæ.

MS. p. 227. Inter hæc Anselmus misit domino papæ epistolam hanc.

Paschali domino et patri¹ reverendo, summo pontifici, Anselmus servus ecclesiæ Cantuariensis, debitam subjectio- nem² cum orationum assiduitate.

Non debeo tacere excellentiæ vestræ quod per eam Dei gratia operatur in Anglia et in Normannia. Rex qui domi- natur Anglis et Normannis, obœdienter³ suscipiens vestram jussionem, investituram ecclesiarum, renitentibus multis, om- nino deseruit. Quod ut faceret Robertus comes de Mellento et Ricardus de Redueris, ut fideles vestri et filii ecclesiæ, vestris attracti monitis, vehementer institerunt. Rex ipse in personis eligendis nullatenus propria utitur voluntate, sed religiosorum se penitus committit consilio. De me autem quantas debeo gratias paternæ benignitati vestræ scribendo non sufficio reddere, sed eas in carta cordis mei scriptas lego assidue. Cum enim sicut servi vestri dilecti fratres nostri Willelmus et Balduinus⁴ retulerunt, vitæ meæ cor- ruptibilis curam ne cito deficiat tam benigna sollicitudine mihi gerere præcipitis, non modicum pietatis affectum mag- nitudinem vestram erga parvitatem meam habere monstratis. Omnipotens Deus vitam vestram nobis in omni prosperitate diu custodiat.

Hanc epistolam iccirco placuit huic operi admiscere, ut ea teste monstrarem, quæ de investituris eccle- siarum diximus rata esse. Ad quam etiam correc- tionem Mellentinus comes pro litteris quas ei, ut supra scripsimus, papa direxerat perductus fuerit, hujus tes- timonio designare pari voto cordi fuit. Re etenim vera ab iis in quibus olim versatus fuerat quadam ex parte mutatus erat. Siquidem justus amator, istis con- silium, illis auxilium, aliquibus utrunque, juxta quod ratio exigebat, sæpe exhibebat. Rex ipse Henricus illius consilio in regni negotiis præstantius et effica- cius cæteris credens, defuncti fratris sui regis vestigia

Conduct and
counsels of
Robert
Count of
Meulan.

MS. p. 228.

¹ *et patri*] patrique, A.

² *subjectioem*] obedientiam, A.

³ *obœdienter*] obœdienter, MS.

⁴ *Balduinus*] Baldwinus, A.

A.D. 1108. sequi, sicut fatebatur, perhorrebat. Attamen præfatus comes nec Anglos diligere, nec aliquem illorum ad ecclesiasticam dignitatem provehi patiebatur.

The burial of Gundulf, Bishop of Rochester.

Gundulf's crosier is carried to Canterbury

The King corrects evil practices.

Supra memorato Gundulfo Rofensi episcopo de hac vita sublato, Anselmus ad eum sepeliendum Rofam venit. Qui, obsequio sub magna lugentium monachorum, clericorum ac laicorum multitudine decenter expleto, res ipsius episcopii sicut expedire melius intelligebat ad opus ecclesiæ intus et extra, suas videlicet, ordinavit. Baculus autem episcopalis Cantuariam ab Ernulfo monacho Rofensi, qui ejusdem episcopi capellanus extiterat, pro more delatus est, et in præsentia fratrum super altare Domini Salvatoris præsentatus.

Inter ista rex Henricus considerans totum pene regnum in gravem ærumnam multis ex causis decidisse, per consilium Anselmi et procerum regni operam dare instituit, qualiter aliquo modo mala quæ pauperes maxime deprimebant mitigarentur. Cujus boni exordium gnarus a sua curia cœpit. Tempore siquidem MS. p. 229. fratris sui regis hunc morem multitudo eorum qui curiam ejus sequebantur habebat, ut quæque pessumdarent, diriperent, et, nulla eos cohibente disciplina, totam terram per quam rex ibat devastarent. Accebat his aliud malum. Plurimi namque eorum sua malitia debriati, dum reperta in hospitiiis quæ invadebant penitus absumere non valebant; ea aut ad forum per eosdem ipsos quorum erant pro suo lucro ferre ac vendere, aut, supposito igne cremare, aut, si potus esset, lotis exinde equorum suorum pedibus, residuum illius per terram effundere, aut certe aliquo alio modo disperdere solebant. Quæ vero in patresfamilias crudelia, quæ in uxores ac filias eorum indecentia fecerint, reminisci pudet. Has ob causas quiqui, præcognito regis adventu, sua habitacula fugiebant, sibi

¹ venit] ivit, C.

suisque quantum valebant in silvis vel aliis locis in quibus se tutari posse sperabant consulentes. Huic malo rex Henricus mederi desiderans, indicto edicto omnibus qui aliquid eorum quæ dixi fecisse probari poterant aut oculos erui, aut manus, vel pedes, vel alia membra constanti justitia strenuus faciebat amputari. Quæ justitia in pluribus visa cæteros, integritatem sui amantes, ab aliorum læsione deterrebat. A.D. 1108.

Item moneta corrupta et falsa multis modis multos affligebat. Quam rex sub tanta animadversione corrigi statuit, ut nullus qui posset depræhendi falsos denarios facere aliqua redemptione quin oculos et inferiores corporis partes perderet juvari valeret. Et quoniam sæpissime dum denarii eligebantur, flectebantur, rumpebantur, respuebantur, statuit ut nullus denarius vel obolus integer esset. Ex quo facto magnum bonum ad tempus toti regno creatum est. Hæc in sæcularibus ad relevandas terræ ærumnas interim rex agebat.¹ The King punishes the utterers of false coin.

MS. p. 230.

Divina nihilominus officia quoniam indigne per quorundam sacerdotum manus eoque tractabantur, sollicitus institit ut et ipsa suo ritu caste celebrarentur. Multi nempe presbyterorum statuta concilii Londoniensis, necne vindictam quam in eos rex exercuerat, quorum superius mentionem fecimus, postponentes, suas feminas retinebant, aut certe duxerant quas prius non habebant. Quod incontinentiæ crimen rex subvertere cupiens, adunatis ad curiam suam in solennitate Pentecostes apud Londoniam cunctis majoribus regni, de negotio cum Anselmo archiepiscopo et cæteris episcopis Angliæ tractavit, eosque ad malum illud extirpandum regali auctoritate atque potentia fultos roboravit. Unde Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, et Thomas electus archiepiscopus Eboracensis, nam Gerardus tunc nuper ad eandem curiam ten-

Enforcement of clerical continence.

¹ agebat] faciebat, A.

A.D. 1108. dens obierat, et omnes alii Angliæ episcopi statuerunt in præsentia ejusdem gloriosi regis Henrici, assensu omnium baronum suorum, ut presbyteri, diaconi, subdiaconi caste viverent, et feminas in domibus suis non haberent, præter proxima consanguinitate sibi junctas, secundum quod sancta Nicena synodus definivit. Illi vero presbyteri, diaconi sive subdiaconi qui post interdictum Lundoniensis concilii feminas suas tenuerunt vel alias duxerunt, si amplius missam celebrare vellent, eas a se omnino¹ facerent sic alienas, ut nec illæ in domos eorum, nec ipsi in domos earum intrarent, sed neque in aliqua domo scienter convenirent, neque hujusmodi feminæ in territorio ecclesiæ habitarent. Si autem propter aliquam honestam causam eos colloqui oporteret, cum duobus ad minus legitimis testibus extra domum colloquerentur. Si vero in duobus aut in tribus legitimis testibus, vel publica parochianorum fama, aliquis eorum accusatus esset quod hoc statutum violasset, purgaret se adjunctis secum ordinis sui idoneis testibus, sex si presbyter, quinque si diaconus, quatuor si subdiaconus esset. Cui autem hæc purgatio deficeret, ut transgressor sacri statuti judicaretur. Illi autem presbyteri qui Divini altaris et sacrorum ordinum contemptores præeligerent cum mulieribus habitare, a Divino officio remoti, et omni ecclesiastico beneficio privati, extra chorum ponerentur infames pronunciati. Qui vero rebellis et contemptor feminam suam non relinqueret, et missam celebrare præsumeret, vocatus ad satisfactionem si negligeret octavo die excommunicaretur. Eadem sententia archidiacones et canonicos omnes complectebatur, tam de mulieribus relinquendis, quam de vitanda earum conversatione, et de districtione censuræ si statuta transgressi fuissent. Jurarent insuper archidiaconi omnes quod pecuniam non acciperent pro toleranda transgressione

MS. p. 231.

MS. p. 232.

¹ *a se omnino*] omnino a se, A.

hujus statuti, nec tolerarent presbyteros quos scirent A.D. 1108.
 feminas habere cantare vel vicarios habere, et si eos
 audirent calumniari veritatem inde inquirerent. Si-
 militer et decani hæc eadẽm per omnia jurarent. Qui
 vero archidiaconus vel decanus hæc jurare nollet, archi-
 diaconatum vel decaniam irrecuperabiliter perderet.
 Presbyteri vero qui, relictis mulieribus, Deo et sacris
 altaribus servire eligerent, quadraginta dies pro trans-
 gressione præfati concilii ab officio cessantes pro se in-
 terim vicarios haberent, injuncta eis poenitentia secun-
 dum quod episcopis eorum visum esset. Omnia vero
 mobilia lapsorum post hæc presbyterorum, diaconorum,
 subdiaconorum et canonicorum traderentur episcopis,
 et concubinæ cum rebus suis velut adulteræ.

His diebus sermo habitus est de parochia episcopi Erection of
the episco-
pal see of
Ely.
 Lincolniensis, quæ in nimium tendebatur, eoque proces-
 sit ut, quoniam ratio Christianitatis id utile fore sua-
 debat, regi et archiepiscopo cæterisque principibus
 regni visum fuerit, de ipsa parochia sumendum quo
 fieret alter episcopatus, cujus cathedræ principatus
 poneretur in abbatia de Heli. Sed Anselmus, quem
 ipsius negotii summa respiciebat, sciens præter con-
 sensum et Romani pontificis auctoritatem novum epi-
 scopatum¹ nusquam rite institui posse, scripsit ei sic.

MS. p. 233.

Domino et patri reverendo, Paschali summo pontifici, An-
 selmus servus² ecclesiæ Cantuariensis, debitam obœdientiam
 cum fidei obsequio et orationibus.

Quoniam robur dispositionum quæ utiliter fiunt in ecclesia
 Dei de vestræ pendet auctoritate prudentiæ, quando fiunt ad
 vestram referendæ sunt notitiam et iudicium, ut, cum aposto-
 lico assensu fuerint confirmatæ, nulla præsumptione a posteris
 quæ salubriter statutæ sunt queant violari, sed rata perma-
 neant in perpetuum. In Angliæ est quidam episcopatus, scilicet
 Lincolniensis, cujus diocesis tam ampla est, ut ad ea quæ non-
 nisi ab episcopali persona fieri queunt unus episcopus plene
 sufficere non possit. Quod cum consideraret rex, et episcopi

¹ *novum episcopatum*] In smaller | ² *servus*] Not in A.
 character in A.

A.D. 1108.

et principes et alii rationabiles et religiosi viri regni Anglorum, ad utilitatem ecclesiæ visum consilium est¹ episcopatum præfatum in duos dividere, ita ut sedes episcopalis in quadam abbazia, quæ sita est in insula vocata Heli et est intra præfatum diocesim, constituatur, monachis ibidem permanentibus, sicut sunt multi episcopatus qui monachos in matre ecclesia habent, non canonicos. Quod libenter concedit ipse episcopus Lincolniensis, Robertus nomine, quia pro iis quæ assumuntur de sua ecclesia ad instaurandum novum episcopatum in Heli tantum ecclesiæ Lincolniensi restauratur, ut ipse sufficiens et gratum sibi esse fateatur. Cui rei mihi, cum² propter prædictam necessitatem, tum propter multitudinem prædictorum qui in hoc consentiunt, visum est ut, salva vestra auctoritate, assensum præberem. Precatur igitur suppliciter mea parvitas, quatinus hoc quod pro utilitate ecclesiæ sic dispositum est vestra auctoritate in perpetuum roboretur, ne a posteris ulla præsumptione quod bene statutum fuerit violetur. Oramus Deum omnipotentem, ut ecclesiæ suæ vos in diuturna prosperitate custodiat.

MS. p. 234.

Richard,
Bishop elect
of London.

Soluta curia, Anselmus ad villam suam, Murtelac nomine, ivit, ibique in subsequenti jejuniis quarti mensis multos ad sacros ordines promovit. Inter quos Ricardum quoque in præcedenti proxima solennitate Pentecostes electum ad pontificatum ecclesiæ Lundoniensis ad presbyteratum ordinavit.

Ralph, Abbot of Seez,
appointed Bishop of Rochester [June 29th, 1108].

Deinde ad festivitatem gloriosissimorum apostolorum Petri et Pauli Cantuariam veniens, die ipsius festivitatis in capitulo, præsentibus ecclesiæ fratribus et multis aliis tam monachis quam clericis necnon et laicis, dedit Radulfo abbati Sagii, viro equidem bono et religioso et ipsi ecclesiæ valde familiari, episcopatum Rofensem, accepto prius ab ipso coram omnibus hominio ac fidelitate. Quam fidelitatem se illi et cunctis legitimis successoribus ejus, ecclesiæque³ Cantuariensi perpetuo servaturum promisit, et hoc super quatuor evangelia jurando confirmavit. In crastino autem misit eum Rovecestram, et cum eo Willelmum

¹ *ad utilitatem . . . est*] On era- | ² *cum*] tum, A.
sure in A. | ³ *ecclesiæque*] MS.

MS. p. 235. archidiaconum suum, ut illum ex sua parte ipso episcopatu investiret. Eiusdem quoque negotii causa misit et Antonium monachum illuc, qui subprioris officio in monasterio Cantuariensi fungebatur. Nam ex quo Arnulfus¹ ipsius ecclesiæ prior apud Burgum abbas factus fuerat² usque id temporis nullus in prioratum successerat. A. D. 1108.

Eodem tempore rex Normanniam ire parabat. Anselmus autem ad benedicendum illi portum maris ubi transire debebat ab eo invitatus advenit. Sed nocte, cum sequenti mane³ brachiolum maris quo regis hospitium ab hospicio Anselmi dirimebatur regi locuturus transire deberet, adeo infirmatus est ut ad regem accedere nullo pacto valeret. Quod ubi nunciatum est regi, ei per Willelmum episcopum Wintoniensem et eiusdem nominis episcopum Excestresem præcipiendo mandavit ne ad se ullatenus iret, sed plene indulgeret quieti. Per eosdem quoque semetipsum quo pergebat, et filium suum quem in regno relinquebat cum toto regno commendavit tuitioni ejus, ut quicquid statueret ratum esset, irritum quod prohiberet. Rogavit etiam illum propter amorem sui consecrare supra memoratum Ricardum Lundoniensi ecclesiæ electum pontificem apud Cicestram, quoniam prope erat, et episcopi quos adjuutores ac ministros in officio ipso haberet præsto. Causa autem propter quam hoc ita festinato fieri volebat illa dicebatur esse, quia eundem Ricardum, in sæcularibus multum valentem, longe versus occidentales Angliæ fines ad sua negotia exercenda transmittere sub celeritate disponebat. At Anselmus, consideratis quibusdam rationabilibus causis, renuit, nec episcopum sacrare in Cicestra sicut petebatur adquevit. Veruntamen ne nihil pro rege, qui euncta quæ tunc petebatur pro Anselmo faciebat, facere videretur, eundem

Illness of Archbishop Anselm.

Consecration of Richard Bishop of London [July 26th, 1108].

¹ *Arnulfus*] Ærnulfus, A.

² *factus fuerat*] fuerat factus, A.

³ *mane*] Correction supplied from

A. The MS. has *mare*.

A.D. 1108. episcopum pro amore illius in capella sua apud Paggaham consecravit vii. Kal. Augusti, ministrantibus ei in hoc officio Willelmo episcopo Wintoniensi, Rogerio Serberiensis, Radulfo Cicestrensi et Willelmo Execestrensi, accepta prius ab eo pro more de obcedentia et subjectione sua professione.

Consecration of
Ralph
Bishop of
Rochester,
[August 9th,
1108.]

Post hæc venit Anselmus Cantuariam, et ibi cum magno honore sacravit præfatum Radulfum Rofensi ecclesiæ electum episcopum quinto Idus Augusti, ministrantibus sibi in hoc Willelmo episcopo Wintoniensi, Radulfo Cicestrensi et Ricardo Lundoniensi. Qui Ricardus, antecessorum suorum morem secutus, honesto munere honoravit ipso die matrem suam ecclesiam Cantuariensem, juxta quod statutum fuerat a rege quando impetravit ab Anselmo ut eum sacraret apud Paggaham,¹ sicut diximus.

Thurgod
elected
Bishop of
St. Andrew's.

Inter hæc electus est ab Alexandro rege Scottiæ,² et clero et populo, monachus quidam Dunelmensis, nomine Thurgodus, ad episcopatum Sancti Andreae de Scottia.³ Cujus consecratio dum ultra quam expediret demoreretur, cum⁴ propterea quia Thomas Eboracensi ecclesiæ antistes electus necdum fuerat consecratus, tum propter quædam alia quæ longum est enarrare, Rannulfus Dunelmensis episcopus proposuit eundem electum in præsentia ipsius Thomæ apud Eboracum consecrare, associatis sibi episcopis Scottiæ⁵ et Orcadarum insularum. Verum quia id præter consensum et auctoritatem Cantuariensis episcopi rite fieri non posse sciebat, mandavit ei de negotio per militem quendam, et ut ejus consilio et concessione sacraretur deprecatus est. Ad quæ scripsit ei epistolam hanc.

MS. p. 237

Anselm for-
bids the
Bishop of
Durham to
consecrate
him.

Anselmus archiepiscopus Cantuariæ, Rannulfo episcopo Dunelmensi, salutem.

Mandastis mihi per quendam militem, Scollandum nomine,

¹ *Paggaham*] Pagaham, A.

² *Scottiæ*] Scotiæ, A.

³ *Scottia*] Scotia, A.

⁴ *cum*] tum, A.

⁵ *Scottiæ*] Scotiæ, A.

quia volebatis ut electus episcopus ecclesiæ Sancti Andree de Scottia¹ sacraretur antequam electus archiepiscopus Eboracæ sacraretur, et hoc volebatis fieri meo consilio et mea concessione. Sed hoc nec debet nec potest canonice fieri ab eodem electo archiepiscopo, nec ab alio per illum, priusquam ipse fiat archiepiscopus canonica consecratione. Quapropter nec consulo nec concedo, immo interdico ne fiat ante consecrationem ejusdem electi archiepiscopi, nisi a me, si forte hoc necessitas exegerit. Valete.²

A. D. 1108.

Post hæc Anselmus, considerans Thomam episcopalem suam benedictionem non ita expetere sicut debebat, scriptam hanc epistolam ei direxit.

Conduct of
Thomas,
Archbishop
elect of
York.

Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, amico suo Thomæ, electo archiepiscopo ecclesiæ Eboracensi, salutem.

MS. p. 288.

Canonica auctoritas præcipit ut ecclesia episcopatus ultra tres menses non maneat sine pastore. Quoniam autem regi placuit, consilio baronum suorum et nostra concessione, ut vestra persona eligeretur ad archiepiscopatum Eboracæ, non debet per vos terminus salubriter constitutus diutius differri. Unde miror quia post electionem vestram non requisistis ut consecrarem ad quod electus estis. Mando itaque vobis ut octavo Idus Septembris sitis apud matrem vestram ecclesiam Cantuariensem, ad faciendum quod facere debetis et ad suscipiendam consecrationem vestram. Quod si non feceritis, ad me pertinet ut ego curam habeam et faciam quæ pertinent ad episcopale officium in Eboracensi archiepiscopatu.³ Præterea audivi quia vos priusquam consecrari facere vultis ut electus episcopus Sancti Andree de Scottia⁴ apud Eboracam consecratur. Quod nec vos facere debetis, nec ego concedo, sed omnino interdico ne fiat, aut de illo aut de aliqua persona quæ in regimen animarum debet provehi ab archiepiscopo Eboracensi, quia non pertinet ad vos dare vel concedere alicui curam⁵ animarum quam nondum accepistis. Valete.

Ad illam scripta est epistola hæc.

Dilectissimo patri et venerabili domino Anselmo, sanctæ Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopo, Thomas Eboracæ metropoli electus, licet indignus, salutem et amicæ fidelitatis obsequium.

¹ *Scottia*] Scotia, A.

² *Valete*] Vale, A.

³ *archiepiscopatu*] On erasure in A.

⁴ *Scottia*] Scotia, A

⁵ *curam*] regimen aut curam, A.

A.D. 1108. *Gratias ago vobis, reverende pater, quod me semper dilexistis et adjuvistis, et de proventu meo exultavit et lætatum est cor vestrum in Domino. Dominus Deus retribuatur vobis pro me. Quod ad consecrationem meam venire distuli, causa fuit non una nec parva quæ me detinuit. Pecuniam quam pro facultate mea magnam causa veniendi ad vos contraxeram ultra spem meam et nimium diu moratus totam dispendi Wintoniæ, a qua citius discedens ad vos venire disposueram. Placuit autem domino nostro regi, ut, quoniam ille legatos Romam pro causa sua mittebat, ego cum eis meum mitterem ad requirendum ecclesiæ nostræ pallium. Festinanter igitur consilio regis ad propria reversus, ad hoc opus quæsi et adhuc quæro pecuniam, sed parum nisi graviter mutuatam invenio, quoniam dominus Girardus archiepiscopus ecclesias nostras et homines et ipsum dominium nostrum multum pauperavit. Et certe rex promisit mihi quod vobis colloqueretur et dilationem meam apud vos excusaret. Termino a vobis constituto, Deo auxiliante, ero apud sanctam Cantuariensem ecclesiam, si opportune potero, suscepturus et facturus quæ debeo. Quod si non potero, cum mihi paternitas vestra mandavit ut quindecim diebus ante vobis renunciarem, precor benignitatis vestræ sanctitatem ut decem diebus ante vobis renunciare possim mihi concedatis. Litteras vero paternitatis vestræ requiro in testimonium personæ et electionis nostræ, quales debetis et scitis oportere. Hoc modo vestra sanctitas meæ parvitati debet, hoc vestra ecclesia nostræ denegare non debet. De electo episcopo Sancti Andreae de Scottia¹ quod audistis, rumores sunt quibus credere non oportet. Facile est ergo² interdicti quod ut fieret non a me excoogitatum est. Vivere vos sanum lætumque diuque Deoque, nostra Deo nostro supplicat ecclesia. Sanctæ Cantuariensis ecclesiæ congregationem sanctam³ saluto, et oro ut pro me oret. Valet.*

Rescriptum Anselmi ad eundem Thomam.

Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, amico suo Thomæ, electo archiepiscopo Eboracensi, salutem.

Mandistis mihi in litteris vestris quod termino a me vobis constituto, Deo auxiliante, Cantuariæ eritis si opportune poteritis, suscepturus et facturus quod debetis. Rogastis quoque ut, si id efficere non valetis, concederem quatinus id mihi

¹ *Scottia*] Scotia, A.

² *est ergo*] ergo est, A.

³ *sanctam*] Not in A.

decem diebus ante renunciare possetis. Sed Willelmus clericus nuncius vester precatus est me ex vestra parte, quatinus ego ipsum terminum adventus vestri aliquantum extenderem, ut ad nos opportunius possetis venire. Quod et ego causa vestri amoris et opportunitatis libenter facio. Ne itaque opus sit vos mihi quicquam ante de vestro adventu renunciare, summoneo vos ut die Dominico qui erit quinto Kal. Octobris Cantuariæ sitis, ad faciendum quod facere debetis et ad suscipiendam consecrationem vestram. Præterea, quod dicitis in litteris vestris vos pecuniam quærere ut Romam mittatis pro pallio ecclesiæ vestræ, non concedo. Et puto quia id frustra faceretis, quoniam nullus debet habere pallium antequam sit consecratus. Litteras quas requiritis in testimonium personæ et electionis vestræ, cum mihi locutus fueritis et ostenderitis cui eas dirigere debeo, libenter faciam pro vobis sicut pro amico quod facere debebo. Valet.

MS. p. 241.

A.D. 1108.

Ratus ergo Anselmus non esse ab re præmunire dominum papam de negotio pallii quod sibi Thomas se mandaverat requisiturum, scripsit ei epistolam hanc.

Domino et patri vere diligendo et reverendo, Paschali summo pontifici, Anselmus servus ecclesiæ Cantuariensis, debitam obediendam cum fidelibus orationibus.

Anselm
apprises the
Pope of
Thomas's
conduct.

Quoniam fortitudo et directio ecclesiarum Dei maxime post Deum pendet ex auctoritate paternitatis vestræ, quando ratio exigit ad ejus libenter recurrimus auxilium et consilium. Archiepiscopus Eboracensis, Girardus nomine, migravit de hac vita, et alius, Thomas nomine, loco ejus electus est. De quo rumor est quia² quæritur ei pallium antequam sit consecratus et mihi faciat professionem secundum antiquam consuetudinem antecessorum meorum et suorum. Hæc est igitur summa precum mearum in hac re, ut antequam consecretur et mihi debitam obediendam, sicut dixi, profiteatur, et hoc factum esse litteris nostris cognoscatis, a vestra excellentia pallium non suscipiat. Quod non dico iccirco quod illi pallium invidiam, sed quoniam quidam autumant, et etiam procurant, ut si hoc a vobis concessum fuerit, confidat se professionem debitam mihi posse denegare. Si enim hoc contingeret, scitote quia ecclesia Angliæ scinderetur et, secundum sententiam Domini

¹ *post Deum pendet . . . vestræ*] | ² *quia*] quod, A.
pendet . . . vestræ post Deum, A.

dicentis, "Omne regnum in seipsum divisum desolabitur," desolaretur, et vigor apostolicæ disciplinæ in ea non parum debilitaretur. Ego quoque nullatenus remanerem in Anglia. MS. p. 242. Non enim deberem aut possem pati ut, me in ea vivente, primatus ecclesiæ nostræ destrueretur. Hoc ipsum et eodem affectu suggero reverentiæ vestræ de Lundonia, si ejus episcopo pallium petitur quod nunquam habuit, ut scilicet ad hoc nullatenus assensum præbeat. Quidam namque concinnant sub hac specie boni primatus Cantuariæ dignitatem quemadmodum non oportet humiliare. Misi sanctitati vestræ in hoc anno post Pentecosten litteras per Bernardum servientem domni Petri camerarii vestri, quod rex Angliæ conqueritur, quia sustinetis regem Teutonicum dare investituras ecclesiarum sine excommunicatione, et ideo minatur sine dubio se resumpturum suas investituras, quoniam ille suas tenet in pace. Videat igitur prudentia vestra sine dilatione quid inde agere debeatis, ne quod tam bene ædificastis irrecoverabiliter destruat. Rex enim noster diligenter inquit quod de rege illo¹ facitis. Oramus Deum² ut nos lætificet de diuturna vestra prosperitate.³

The Pope's
reply.

Rescriptum domini papæ.⁴

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras dilectionis tuæ⁵ recepimus, per quas affabilitatis tuæ dulcedinem recognovimus. Bene autem et sapienter egistis, quod nos de causa et honore Cantuariensis ecclesiæ præmonitos et cautos reddidisti. Nos siquidem in te ipsius Beati Augustini Anglorum apostoli personam venerabilem intuemur, MS. p. 243. et ideo honori tuo vel ecclesiæ tuæ aliquid detrudere omnino refugimus. Unde quæ rogasti libenter suscepimus, et ad servandum tuum et ecclesiæ tuæ honorem custodiam et sollicitudinem adhibemus. Porro quod in eisdem litteris significasti scandalizari quosdam, quod regem Teutonicum dare investituras ecclesiarum toleramus, nec tolerasse nos aliquando nec toleraturos scias. Expectavimus quidem ut ferocia gentis illius edomaretur; rex vero si in paternæ nequitiae tramite perseveraverit,

¹ *rege illo*] illo rege, A.

² *Deum*] Dominum Deum, A.

³ *vestra prosperitate*] prosperitate vestra, A.

⁴ *papæ*] papæ ad Anselmum, A.

⁵ *dilectionis tuæ*] tuæ dilectionis, A.

Beati Petri gladium quem jam educere cœpimus procul dubio experietur. Datæ Beneventi quarto Idus Octobris.

A.D. 1108.
[October
12th, 1108.]

Supra memoratus Thomas inter ista, mutato priori consilio, Cantuariam statuto sibi termino prohibitus a canonicis suis, sicut per litteras Anselmo mandavit, venire non potuit, et ob hoc quid sibi inde foret agendum consilium ab eo petivit. Ipsi quippe canonici, scientes Anselmum ætate simul et debilitate corporis¹ fatigari, rati sunt eum citius huic vitæ subtrahendum, et ideo, mota calumnia ecclesiam Eboracensem parem esse Cantuariensi, Anselmo scripserunt. In quo tamen electum antistitem ecclesiæ suæ Cantuariam pro benedictione sua ire debere² cognoverunt, sed professionem de subjectione sua pontifici Cantuariensi eum facere debere³ negaverunt, ac ne faceret quantum in eis fuit ex parte Dei et Romanæ ecclesiæ prohibuerunt. Quod quali fama ipsos canonicos apud multorum mentes notaverit, et me tacente, conijcere possunt qui quid juris ex antiquo ecclesia Cantuariensis super Eboracensem semper habere consueverit sciunt. Anselmus autem, postponens clericorum litteris respondere, ad litteras Thomæ scripsit hæc.

The canons of York play an active part in the business.

MS. p. 244.

Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, amico suo Thomæ, electo archiepiscopo Eboracensi, salutem.

Mandavi vobis caritative plus quam semel, quatinus ad matrem vestram ecclesiam Cantuariensem veniretis, ad suscipiendum⁴ benedictionem vestram et ad faciendum quod debetis, et non venistis. Quapropter eadem dilectione vobis adhuc mando, quatinus apud ipsam matrem vestram sexto Idus Novembris sitis ut faciatis quod debetis et suscipiatis benedictionem vestram. Præterea, quia consilium petitis, consulo vobis ut non incipiatis aliquid⁵ quod non debetis contra ecclesiam Cantuariensem. Nam pro certo sciatis quia omnibus modis

¹ *corporis*] Not in A.

² *pro benedictione sua ire debere*] ire debere pro benedictione sua, A.

³ *sua . . . debere*] Cramped and in margin in A.

⁴ *suscipiendum*] suscipiendam, A.

⁵ *aliquid*] aliquid, A.

A.D. 1108. quibus possum ad hoc me impendam, ut de sua dignitate ecclesia ipsa meo tempore nihil perdat. Valet.

Non venit; sed, directa epistola, hæc inter alia scripsit.

Causam qua differtur sacratio mea, quam nemo studiosius quam ego vellet accelerare, qui protulerunt non desistunt corroborare. Quam ob rem quam periculosum, quam turpe sit, contra consensum ecclesiæ cui præfici debeo regimen ipsius invadere, vestra discretio noverit. Sed et quam formidabile, quam sit evitandum, sub specie benedictionis maledictionem MS. p. 245. induere.

Anselm consults his bishops and sends two of them to Thomas.

Ex his Anselmus advertens Thomam clericorum suorum magis quam suo, quod petiverat, consilio inherere, fecit episcopos venire ad se, et cum eis de negotio tractans, quid præcipue foret agendum disquisivit. Probant illi duos adhuc episcopos ad eum dirigi, qui illum ex parte Anselmi et omnium episcoporum Angliæ moneant cœptæ rebellionis renunciare; et, si quidem id facere nolit, suadeant ei Cantuariam pro benedictione sua, secundum quod se facere debere cognoverat, venire, ibique, si possit, probet se a subjectione quam Anselmus exigebat debere liberum esse; et hoc si queat efficere sacratus redeat in sua cum pace. Placuerunt ista patri, et hæc agere missi sunt episcopi duo, Lundoniensis videlicet qui decanus ecclesiæ Cantuariensis, et Rofensis qui ejusdem ecclesiæ proprius atque domesticus vicarius esse dinoscitur. Hi ergo iter aggressi mandaverunt Thomæ, et occurrit eis apud Suthewellam villam suam. Exponunt ei pro quibus venerint. At ipse nuncium suum quem Normanniam ad regem miserat, et plures de suis quos ad se longe inde pro re venire mandaverat, se expectare respondit. "Qui cum venerint," inquit, "audito eorum consilio, "faciam quod potissimum mihi faciendum laudaverint." Reversi in istis episcopi sunt.

Thomas sends him a letter from the King.

Post hæc brevi temporis spatio interposito, nuncius ex parte Thomæ ad Anselmum directus litteras quas ecce subscribimus, sigillo regis inclusas, ei porrexit. MS. p. 246.

Henricus Dei gratia rex Anglorum, Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, caro patri suo, salutem et amicitiam. A.D. 1108.

Mando vobis ut respectetis æquo animo et bona voluntate benedictionem Thomæ Eboracensi archiepiscopo usque ad Pascha, et quicquid inter vos inde actum est. Ego enim si infra terminum prædictum¹ in Angliam rediero, consilio episcoporum et baronum meorum vos juste et honorifice inde concordabo. Quod si tam cito non rediero, taliter inde agam quod fraterna pax et bona concordia inter vos erit.

Ad hæc nuncio petenti quid Anselmus vellet dare responsi, dixit se regi qui sibi litteras misit non Thomæ responsurum. Delegata igitur legatione hujus rei Odoni decano ecclesiæ Cicestrensis, et Alboldo monacho cœnobii Sanctæ Mariæ Beccensis, destinavit eos in Normanniam ad regem, narrare illi totum quod præsentis discidii tenore inter se et Eboracenses actum extiterat. Rogarent etiam illum quatinus suæ auctoritatis ingenuitate et provisione satageret ne integritas Christianitatis in duo divisa scinderetur in Angliā, certus existens quod scissionem, juxta Domini dictum, desolatio sequeretur. De induciis autem quas Thomæ Eboracensi archiepiscopo dari mandaverat, pro certo sciret quia prius pateretur totus membratim dissecari quam de negotio in quo illum contra antiquas sanctorum patrum sanctiones se injuste et adversus Deum erexisse sciebat illas vel ad horam² aliquando daret.

MS. p. 247.

Reversi nuncii referunt regem æquo animo ac benigno verba Anselmi suscepisse, pollicitumque se per auxilium et misericordiam Dei re ipsa ostensurum, quod integritatem Christianitatis diligeret in Angliā, non scissuram.

Inter hæc languor qui corpus patris Anselmi graviter affligebat gravior sibi ipsi de die in diem fiebat. Notæ tamen rebellionis non immemor, scripsit Thomæ epistolam istam.³ A.D. 1109.

¹ terminum prædictum] prædictum terminum, A.

² illas vel ad horam] vel ad horam illas, A.

³ istam] hanc, A.

A.D. 1109.
Anselm
writes a
prohibitory
letter to
Thomas.

Anselmus minister ecclesiæ Cantuariensis, Thomæ electo archiepiscopo Eboracensi.

Tibi, Thoma, in conspectu omnipotentis Dei ego Anselmus archiepiscopus Cantuariensis et totius Britanniae primas loquor, loquens ex parte ipsius Dei sacerdotale officium quod meo jussu in parochia mea per suffraganeum meum¹ suscepisti tibi interdico, atque præcipio ne te de aliqua cura pastoralis ullo modo præsumas intromittere, donec a rebellionem quam contra ecclesiam Cantuariensem incepisti discedas, et ei subjectionem quam antecessores tui, Thomas videlicet et Girardus archiepiscopus, ex antiqua antecessorum consuetudine professi sunt profitearis. Quod si in iis quæ cœpisti magis perseverare quam ab eis desistere delegeris, omnibus episcopis totius Britanniae sub perpetuo anathemate interdico ne tibi nullus eorum manus ad promotionem pontificatus imponat, vel, si ab externis promotus fueris, pro episcopo vel in aliqua Christiana communione te suscipiat. Tibi quoque, Thoma, sub eodem anathemate ex parte Dei interdico, ut nunquam benedictionem episcopatus Eboracensis suscipias, nisi prius professionem quam antecessores tui Thomas et Gerardus ecclesiæ Cantuariensi fecerunt facias. Si autem episcopatum Eboracensem ex toto dimiseris, concedo ut officio sacerdotali quod jam suscepisti utaris. MS. p. 248.

He sends a
copy of it to
each of the
bishops.

Hanc epistolam omnibus episcopis Angliæ singulam singulis cum suo sigillo direxit, unicuique mandans atque præcipiens, per sanctam obcedentiam quam ecclesiæ Cantuariensi debebant, ut secundum quod in illa scriptum erat se erga ipsum Thomam deinceps tenerent.

The death
Archbishop
Anselm,
[April 21st,
1109.]

Past hæc xi. Kal. Maii defunctus est Cantuariæ in metropoli sede gloriosus pater Anselmus, et die sequenti, quæ fuit Cœna Domini, in majori ecclesia ad caput venerandæ memoriæ Lanfranci prædecessoris sui, honorifice sepultus, anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nono, regni vero Henrici gloriosi regis Anglorum nono, pontificatus autem ipsius Anselmi sexto decimo, ætatis vero septuagesimo sexto.

¹ *suffraganeum meum*] On erasure, and cramped, in A., probably for admission of *meum*.

Itaque, post hæc paucis diebus evolutis, venit Angliam missus a venerando Paschale summo pontifice¹ clericus quidam, Ulricus nomine, cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ. Hic pallium ecclesiæ Eboracensi² secum ferens ubi didicit Anselmum vitam finisse, nam obitum ejus, quia tunc nuper acciderat, non longe extra Angliam famæ certitudo pertulerat, consternatus animo quid potissimum sibi foret agendum dubitabat. Pallium etenim ipsum Anselmo primitus deferendum a Romano pontifice sumpserat, et ut demum juxta consilium ac dispositionem ipsius inde ageret ab eodem præceptum acceperat.

MS. p. 249.

In subsequenti festivitate Pentecostes, rex Henricus curiam suam Lundoniæ in magna mundi gloria et diviti apparatu celebravit. Qui, transactis festivioribus coronæ suæ³ diebus, cœpit agere cum episcopis et regni principibus quid esset agendum de consecratione electi ecclesiæ Eboracensi. Ad quod recitata est coram eo epistola, quam proxime supra scripsimus, ipsi electo ab Anselmo destinata, interdicendo videlicet illi benedictionem, si primo non faceret ecclesiæ Cantuariensi professionem. Quam Robertus comes de Mellento sibi expositam ubi intellexit, sciscitatus est quisnam episcoporum eandem epistolam suscipere ausus fuerit præter assensum et imperium domini regis. In qua interrogatione episcopi advertentes comitem velle calumniam movere qua eos regiæ majestati obnoxios faceret, remoti a multitudine habito consilio statuerunt inter⁴ se suis omnibus, si regia sententia hoc forte comitis instinctu dictaret, se malle despoliari, quam iis quæ Anselmus de præsentis querela præceperat non obtemperare. Erant autem hi. Ricar-

A.D. 1109.
Arrival in
England of
Cardinal
Ulric.

The Arch-
bishop of
York's busi-
ness is dis-
cussed at
Court.

¹ *Paschale summo pontifice*] summo pontifice Paschale, A.

² *ecclesiæ Eboracensi*] Eboracensi ecclesiæ, A.

³ *festivioribus coronæ suæ*] coronæ suæ festivioribus, A.

⁴ *inter*] apud, A.

A.D. 1109.
The bishops
are unanim-
ous and
resolute.

dus Londoniensis, Willelmus Wintoniensis, Robertus Lincoliensis, Herbertus Norwicensis, Rogerius Serberiensis, Radulfus Rofensis, Reinelmus Herefordensis, Robertus Cestrensis, Johannes Bathoniensis, Radulfus Cicestrensis, Willelmus Exoniensis. Istis ergo firmato consilio, ut diximus, inter se visum est Sansonem Wigornensem episcopum accersendum, et quam de negotio sententiam etiam ipse ferret¹ perquirendum. Factum est, et respondit, "Licet hunc qui in pontificatum Eboracensem electus est olim ex conjuge filium suscepim, eique juxta sæculum et carnis naturam honoris ac dignitatis provectu jus æquissime debeam, multo maxime tamen id matri meæ ecclesiæ Cantuariensi debeo quæ me in eum in quo sum honorem provexit, et gratiæ quam a Domino Christo² meruit me per pontificale ministerium participem fecit. Quapropter notum omnibus esse volo, me et litteris patris nostri Anselmi de causa quæ nunc inter nos agitur factis modis omnibus obcediturum, nec unquam assensum præbiturum ut is qui electus est in episcopatum Eboracensem aliquatenus consecretur, donec de subjectione sua ecclesiæ Cantuariensi debitam et canonicam obœdientiam profiteatur. Ipse enim præsens fui quando frater meus, Thomas archiepiscopus Eboracensis, cum³ antiquis consuetudinibus tum invincibilibus allegationibus actus, eandem professionem Lanfranco archiepiscopo Cantuariensi et cunctis ejus successoribus fecit." His dictis, illico simul omnes episcopi ad regem reversi sunt, constanter et litteras super quibus comes sciscitatus fuerat se suscepisse et contra eas nulla ratione quicquam acturos asserentes. Ad quæ cum idem comes caput agitaret, autumans jam in illos quasi de contemptu regis crimen injiciendum;

¹ *etiam ipse ferret*] ferret etiam ipse, A.

² *Domino Christo*] Christo Domino, A.

³ *cum*] tum, A.

MS. p. 251. dixit rex. "Quicquid in his¹ aliorum sententia ferat, A.D. 1109. The King concurs with the bishops. "de me constat quia cum episcopis sentio, nec vel "ad horam excommunicationi patris² Anselmi subja- "cere aliquatenus volo." Quibus auditis gavisus sunt omnes. Et agentes Domino grates pariter conclamaverunt Anselmum adesse, et quam non poterat in corpore degens, jam mundo absentem, causam ecclesie sue determinasse. Deinde in laudibus eximii principis demoratum est, ac ut ipse dignitatem primatus ecclesie Cantuariensis humiliari a nullo permetteret postulatus. "Siquidem in hoc," dicunt, "consuetudines antiquae et earum confirmationes astipulatione "totius regni sub magno rege Willelmo factae, necne "privilegia quae his priora existunt ab apostolica "sede ipsi ecclesie collata, corrumpentur, scindentur, annihilarentur." Adquievit istis rex, et jussit ipsarum quoque scripta auctoritatum quae ecclesia Cantuariensis habebat sub celeritate afferri, allata recitari. Quod ubi factum est, intulit, "Quid amplius "quaeritur? Auctoritates et privilegia apostolicae "sedis, et quae in praesentia patris et matris meae "testimonio³ et confirmatione episcoporum, abbatum "et procerum regni definita sunt, ut quasi de epistola Anselmi penitus taceatur, ego in quaestionem "mitterem, ego novis ambagibus agitarimitterem? "Immo sciat Thomas se aut subjectionem et obedi- "entiam ecclesie Cantuariensi ejusque primatibus, ut "antecessores sui professi sunt, professorum; aut "archiepiscopatu Eboracensi ex toto cessurum. Eli- MS. p. 252. "gat ergo quod vult." Consideratis itaque Thomas auctoritatibus quibus ecclesiam Dorobernensem niti et circumvallari videbat, spretis clericis quorum se consilio credidisse sero dolebat, se contra ipsas auctori-

The Archbishop elect yields at last.

¹ his] iis, A.

² patris] Not in A.

³ testimonio] sub testimonio, in

A., and crowded for admission of sub.

A.D. 1109. tates nolle stare, sed morem antecessorum suorum sequendo et ipsis adquiescere, et ecclesiam ipsam deinceps semper diligere velle dixit et honorare. Præcepit igitur rex ut professio quam Thomas erat factur^{us} in sua præsentia dictaretur, scriberetur, sigilloque suo, nequid in ea quovis molimine antequam eam profitendo Thomas legeret mutaretur, servaretur inclusa. Quod et factum est.

His profession of obedience is drawn up, and secured by the King's seal.

Consecration of the Archbishop of York [June 27th, 1109].

Dominica ergo die quæ fuit v. Kal. Julii conveniunt, jubente rege, Ricardus Lundoniensis, Willelmus Wintoniensis, Radulfus Rofensis, Herbertus Norwicensis, Radulfus Cicestrensis, Rannulfus Dunelmensis, et Herveus Pangornensis, episcopi, in ecclesiam Beati Pauli Lundoniæ pro consecratione Thomæ. Inter solitam ergo examinationem, suo loco professionem de subjectione et obœdientia sanctæ ecclesiæ Dorobernensi exhibenda Ricardus episcopus Lundoniensis, qui Thomam erat sacraturus, ab illo exegit. Professio igitur sicut erat sigillata sibi coram omnibus oblata est, fractoque sigillo evoluta et lecta ab eo est, ita, “ Ego Thomas, Eboracensis ecclesiæ consecrandus metropolit^{us}, profiteor subjectionem et canonicam obœdientiam sanctæ Dorobernensi ecclesiæ et ejusdem ecclesiæ primati canonice electo et consecrato, et MS. p. 253. successoribus suis canonice inthronizatis, salva fidelitate domini mei Henrici regis Anglorum,¹ et salva obœdientia ex parte mea tenenda quam Thomas antecessor meus sanctæ Romanæ ecclesiæ ex parte sua professus est.” Intererat huic officio prior ecclesiæ Dorobernensis, Conradus nomine, et ex monachis ejusdem loci quamplures, qui pro hoc ipso, quoniam res eos quam maxime² respiciebat, illo convenerant. Lectam itaque professionem cum a Thoma sibi oblatam Ricardus³ antistes Lundoniensis accepisset, eam

¹ *Henrici regis Anglorum*] An- | ² *quam maxime*] maxime, A.
glorum regis Henrici, A. | ³ *Ricardus*] RICARDUS, A.

nominato priori et fratribus tradidit, dicens, "Hanc, A.D. 1109.
 " fratres et domini mei, in testimonium auctoritatis
 " ecclesie vestrae¹ suscipite, et ipsam vobis factam in
 " memoriam posteritatis servate." Deinde a Radulfo
 Cicestrensi episcopo dictum in populo est ipsam con-
 secrationem ex recto et antiqua consuetudine debere
 fieri Cantuariæ. Et adjecit, "Verum quia civitas ipsa,²
 " defuncto patre nostro Anselmo, nunc quidem pon-
 " tifice caret, visum regi sacratisque ordinibus regni
 " est atque principibus, eam hic et³ ab hujus sedis
 " episcopo præ aliis potissimum celebrandam, eo in-
 " tuitu, ea ratione, quod episcopus Lundoniensis inter
 " alios episcopos est decanus ecclesie Cantuariensis, et
 " ideo speciali quadam dignitate cæteris anteponen-
 " dus." Ita ergo in episcopatum Eboracensem Thomas
 consecratus est, suscipiens a ministro quod suscipere
 detrectavit a magistro. Dum itaque vitæ præsentis
 superfuit pœnitudo hujus facti ab animo ejus non re-
 cessit, se infelicem nec tanti patris benedictione dig-
 num fuisse pronuncians.

MS. p. 254.

Quibus peractis, præfatus ecclesie Romanæ cardina-
 lis, audito rege curiæque regis consilio pallium quod
 detulerat Eboracam detulit, ipsoque pontificem ejus
 investivit, sicque Romam redeundi iter repetiit.

Cardinal
Ulric gives
the pallium
to Thomas.

Inter hæc Herveus episcopus Pangornensis, cujus
 supra meminimus, ab ecclesia sua quam olim dimise-
 rat penitus translatus est, et novo episcopatu quem
 rex et principes dudum in Heli statuendum juxta
 mentionem inde superius factam decreverant, inthro-
 nizat. Quod quidem ut adipisci mereretur, multa
 prece, multis multarum rerum promissionibus, multo-
 rum quoque officiorum exhibitionibus, vix post obitum
 strenuissimi patris Anselmi obtinere potis fuit.

Translation
of Hervé
from Ban-
gor to Ely.

¹ *ecclesie vestrae*] *vestrae eccle-* | ² *civitas ipsa*] *ipsa civitas, A.*
sie, A. | ³ *et*] *atque, A.*

A.D. 1109. Ipso anno apparuit stella quam cometam plurimi
 The comet of December 1109. nominabant.¹ Visa est autem in mense Decembri
 circa lacteum circulum, crinem in australem cœli diri-
 gens plagam.

The Christ-
 mas court
 of 1109. In subsequenti Nativitate Domini Christi regnum
 Angliæ ad curiam regis Lundoniæ pro more convenit,
 et magna solennitas habita est atque sublimis. Ipsa
 die archiepiscopus Eboracensis se loco primatis Can-
 tuariensis regem coronaturum, et missam sperans cele-
 braturum, ad id omnino paratum semet exhibuit. Cui
 The King is
 crowned by
 the Bishop
 of London. episcopus Lundoniensis non adquiescens coronam capiti
 regis imposuit, eumque per dextram induxit ecclesiæ,
 et officium diei percelebravit. At cum ad mensam
 regis ventum esset et de loco sessionis inter eosdem

episcopos dissentio mota fuisset, noluit eos rex audire,
 sed utrumque a prandio suo remotum pransuros hos-
 pitia sua præcepit adire. Et quidem quod episcopus
 Lundoniensis ita fecit, ut alia taceam, ea ratione usus
 est quod et decanus est ecclesiæ Cantuariensis, et item,
 juxta institutionem beati Gregorii Anglorum apostoli,
 tunc prior alterius extitit quia prius eo fuerat ordi-
 natus. Cujus nimirum prioratus gratia se sub tanta
 festinatione, ut supra diximus, licet aliud in populo
 prædicaretur, in pontificatum ordinari gnarus expetiit,
 quemadmodum nobis testati sunt qui animi ejus abs-
 que dubio secreta noverunt et ipsemet a me percunc-
 tatus familiari affatu asseveravit. Sed de sessione
 prandii regalis tunc inter episcopos res ita remansit,
 determinanda judicio futuri pontificis Cantuariorum.

MS. p. 255.

Enforce-
 ment of the
 law of clerical
 continence. Per id temporis acta est causa presbyterorum An-
 gliæ,² et districtius quam tempore patris Anselmi a
 consortio mulierum coerciti sunt. Quamplurimi nam-
 que illorum ex obitu ipsius³ patris non modicum ex-

¹ *nominabant*] On erasure in A. ;
 perhaps for *nominant*.

² *Angliæ*] Changed from *in An-*
glia, A.

³ *ipsius*] Not in A:

MS. p. 256. hilarati promiserant sibi, eo de medio sublato, licitum fore quod ipso superstite sibi illicitum fuisse condoluere. Sed in contrarium res lapsa est. Rex enim, qui plus Deo a multis timebatur, sua lege eos constrinxit quatinus, vellent nollent, concilii Lundoniensis, quod supra notavimus, saltem in oculis hominum fierent executores. At si ipsi presbyteri deterius agere quasi in damnationem et contumeliam Anselmi pro hoc elaboraverint, ipsi viderint, onus suum quisque portabit. Scio quippe quoniam, si fornicatores et adulteros judicabit Deus,¹ consanguinearum, ne dicam sororum vel filiarum, stupratores non effugient iudicium ejus. Nec quod eos Anselmus ab illicitis amplexibus prohibuit, ulla suarum iniquitatum excusatio erit, sed nimirum unusquisque recipiet prout gessit. Quod si aliquis dixerit Anselmum melius fecisse si tacendo toleraret quod prohibitum in pejus pullulaturum fortasse procederet, dicere poterit divitem illum evangelicum qui ad cœnam quam præparavit multos vocavit servum suum non debuisse ad convocandum invitatos destinare, eo quod contigit omnes simul² ne venirent³ se⁴ excusare. Et hanc ipsam evangelii lectionem tam in consecratione ipsius Anselmi super eum repertam, quam et in pallii ejus susceptione in populo lectam, ea forsitan præsignasse non alienum a veritate est credere, quoniam pene omnibus quæ prædicando docuit, vel docendo prohibuit, excusatio objecta est, et in nullo verbis ejus efficaciter obtemperatum. Legat qui vult textum concilii Lundoniensis, et, inspectis statutis ejus atque præceptis, perpendat quis eis obœdiat, quis eorum executor existat, quis non ea quasi inania ducat. Ecce, ut plurima taceantur, abbates quidam qui in ipso concilio pro simonia depositi fue-

¹ *Deus*] Dominus, A.

² *omnes simul*] simul, A.

³ *ne venirent*] In margin in A.

⁴ *se*] omnes, A.

A.D. 1109. runt, aut illas quas perdiderunt, aut alias abbatias dato pretio per laicos adepti sunt. Item qui presbyteri dicuntur sive canonici, jam tepescente regis edicto, apud episcopos suos et archidiaconos infami commercio id effecerunt, ut aut suas quas reliquerant, aut alias quæ magis placeant spretis prioribus libere meretriculas ducant. Ad hæc, criniti quos a patre Anselmo a sanctæ ecclesiæ liminibus certissime novimus excommunicatos in tantum abundant, tantumque se de criminum suorum feminea et ignominiosa longitudine jactitando magnificent, ut qui crinitus non est rustici vel presbyteri probroso vocabulo denotetur. Cætera horum indignitate non minus indigna, ne eorum amatores, cum mea nihil intersit, gratis offendam, silentio premam. Tantum dico quia quid futura dies paritura sit¹ nescio, in præsentis scio quoniam pauci, de sæcularibus dico, inveniuntur, qui via quam illustris pater Anselmus docendo monstravit ad cœnam Domini puro ac simplici corde properare contendunt. Exivit Angliam semel, exivit secundo, ad modum videlicet præcepti quod evangelico servo suo dominus fecit. In quibus exitibus quod ingentem multitudinem prædicando, admonendo, castigando cœnæ Dominicæ de alienigenis introduxerit, nos qui itineris ejus et laboris comites fuimus, omni remoto ambiguo, scimus. Avertat igitur omnipotens Deus ab illis vocatis ad quos² adducendos primo missus est sententiam quam idem Dominus intulit, "Dico," scilicet, "vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam."

Reflections
on the
career and
efforts of
St. Anselm.

His ita digestis, præsens opus cui quidem ut operam darem sincera dilectio quam erga beatæ memoriæ patrem Anselmum superna pietas mihi indigno con-

MS. p. 258.

¹ *paritura sit*] sit paritura, A.

² *ab illis vocatis ad quos*] On erasure and crowded, in A.

cessit habere maxima inter alias causa fuit fini addicam. Prius tamen et ab iis qui modo sunt, et ab eis qui post nos filii ecclesiæ Cantuariensis, id est Dorobernensis, Deo donante, futuri sunt, paucis petatum iri precamur, ne nobis qui ista scripsimus, quasi in nihili laboraverimus, ipsi succenseant, judicantes fortassis apud se, ea quæ gloriosum et magnificum patrem Lanfrancum suo tempore constat fecisse ad tuendam conservandamque nominatæ ecclesiæ dignitatem satis sufficere et superabundare. Et nobis utique de illis quæ ipse fecit, quantum quidem ad negotia spectat quorum gratia illa fecit, nullum aliud quam illorum iudicium est, vel aliquando fuit. Unde ut tantum onus scribendi assumeremus, quasi nostro opere opera ejus aliquatenus fulcire cogitaverimus, amentia esse videtur in mentem alicui cadere, præsertim cum nostra quæ illis continuantur, non nisi per illa robur unde subsistant, salva rerum quas descripsimus veritate, sortiantur. Attamen, quod pace omnium dictum quæso accipiatur, non parum ad exterminandum scandalum quod Eboracenses super ipsam ecclesiam moverunt et confirmare nisi sunt, ut de aliis sileam,¹ ipsa epistola profuit, quam piæ recordationis Paschalis papa Girardo pontifici Eboracensi de professione quam episcopo Cantuariensi facere debebat pro Anselmo direxit. Siquidem eadem epistola Cantuariæ cum sigillo papæ remansit,² quoniam Girardus, ut vir in ecclesiasticis disciplinis educatus, illius auctoritatis præcepto non egens, factam in episcopatu professionem Anselmo, sicut mentio inde superius habita declaravit, interposita fide sua firmaverat. Textum autem ipsius epistolæ hic, ut omnibus qui legere vel audire ista dignantur innotescat, subscribemus, et eam in laudem nominis Dei terminum hujus operis constituemus.

A.D. 1109.

An apologetic appeal to Canterbury readers.

MS. p. 259.

Letter of Paschal II. to Gerard, Archbishop of York.

¹ *sileam*] taceam, A.² *papæ remansit*] On erasure andcrowded in A.; probably for admission of *papæ*.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Girardo Eboracensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanquam prave adversus nos, immo contra matrem tuam, sanctam Romanam ecclesiam, te non ignoremus egisse, presentibus tamen litteris tibi mandamus, ut professionem tuam venerabili fratri nostro Anselmo Cantuariensi episcopo facere non negligas. Audivimus enim Thomam quondam prædecessorem tuum ex hac eadem re contentionem movisse, et, cum in præsentia domni Alexandri secundi papæ ventilata esset, ex præcepto ejus diffinitione habita, post varias quæstiones Lanfranco prædecessori suo et successoribus suis eandem professionem fecisse. Unde et nos quod tunc temporis diffinitum est volumus, auctore Deo, firmum illibatamque servari.

[Dec. 12th,
1102.]

Datæ Beneventi, pridie Idus Decembris.

Hinc igitur et in omni opere suo laudetur ipse et benedicatur, qui idem in se manens innovat omnia, transfert regna et quem vult super illa constituit, vivens et regnans ante et ultra omnia sæcula Deus. AMEN.

EXPLICIT LIBER QUARTUS HISTORIÆ NOVORUM IN
ANGLIA.

INCIPIT QUINTUS DE SEQUENTIBUS;¹ ET HOC EX
ABUNDANTI.

MS. p. 260.

Terminus quarti libri Historiæ, cui "Novorum in Badmer, having finished his work, now adds to it. Anglia" notam indidimus, plane indicat nos ibi deliberasse totius operis metam ponere, immo modis omnibus posuisse. Translato etenim eo de hac vita cujus amor ipsius historiæ describendæ causa præcipua fuit, videlicet domino et gloriosissimo patre Anselmo Anglorum summo pontifice, ratus sum, visa mora pontificis substituendi, me si ultra procederem in scribendo aut inania forte scripturum, aut in privato conversantem non multa quæ scribenda ratio expecteret pleniter agniturum; tacita incertitudine vitæ meæ, quæ nunc quidem mihi non certior est quam tunc fuit. Verum inter hæc ex iis² quæ scripseram certo comperiens me multorum voluntati ac dilectioni morem gessisse, placuit seriem rerum describendo illis annectere, juxta quod Deus, omnium finis, dignabitur inspirare. Eo siquidem respectu quo illa pluribus accepta esse depræhendi sperabam et ista oneri non affutura. Prius tamen quam illa aggrediar, quibusdam qui adhuc præfato pontifici vere sancto de- An apology for St. Anselm. trahere non³ verentur, eo scilicet quod nec sæcularium nec ecclesiasticarum rerum extructionibus ipse, ut dicunt, in sua manu omnia tenens ita studium impenderit, sicut antecessor illius venerandæ memoriæ pater Lanfrancus suo tempore fecit, paucis rationem ostendere in mentem venit, quatinus, inspecta negotii qualitate, ex ipsa veritate perpendant amodo sit eis super hoc silendum⁴ annon.

¹ *de sequentibus*] Not in A.

² *iis*] his, A.

³ *non*] Over line, in red letters, in A.

⁴ *super hoc silendum*] silendum super hoc, A.

His pecuniary straits.

Utique cum idem Anselmus primo pontificatum MS. p. 261. Cantuariensem regere suscepisset, ita omnes terras ad ipsum honorem pertinentes vastatas invenit et omnes redditus a Willelmo, filio majoris Willelmi regis, direptos, ut unde subsisteret, nota loquor, non haberet. Quam ob rem fraudatus redditibus quibus a festo Sancti Michaelis, nam paulo ante hoc festum Cantuariam venerat, usque in Nativitatem Domini vivere debebat,¹ summa necessitate coactus, de iis quibus ab ipsa solennitate usque in Pascha victurus erat victum sibi ministrari faciebat. Sicque subsequens terminorum redditus in præcedentibus terminis paulatim et discreto moderamine sumens, vix tertio sui introitus anno ad statum a prædecessoribus suis statutum in his pertingere potuit. Quid autem angustiarum præter has a rege Willelmo et suis passus sit per illos tres et quarto qui subsecutus est anno, in primo et secundo nominatæ Historiæ libro, utpote qui eis affuimus, nonnullis digessimus. Ita igitur in tribulatione et atroci persecutione quatuor annis in Anglia degens, quinto pulsus ab eodem rege est, et totus archiepiscopatus invasus, ac per tres continuos annos, hoc est, donec rex idem sagitta interiit, usque in immensum vastatus. Anselmus vero inter hæc patria eliminatus, dum unde se suosque procuraret de suis ab Anglia nil habere mereretur, ab externis necessaria mutuatus est, nolens quidem gravis esse his quos inter² morabatur, nec gratis accipere omnia quæ sibi MS. p. 262. offerebantur. Deinde revocatus a rege Henrico, qui in regnum fratri successerat, et res suas in supremam paupertatem redactas repperit, et exactores pecuniarum quas mutuo acceperat de trans mare quotidie venientes vacuos a se dimittere, considerata æquitate, honestum esse non judicabat. Si in istis angustiaba-

¹ *debebat*] debuit, A.

| ² *quos inter*] inter quos, A.

tur, nulli mirandum. Super hæc, pax inter eum¹ et regem diutina firmitate minime² duravit. Vexatus itaque gravi modo per biennium est, ac demum extra terram exire seductus. Exivit,³ nec nisi quarto sui exitus anno pæne⁴ peracto redire, sicut descripsimus, potis fuit. Tandem reversus, duobus annis supervixit, tertio transiit, debitis quibus se in⁵ peregrina patria sustentaverat vix solutis. His ita se habentibus, qua, quæso, ratione poterat terrenis operibus operam dare, quem tam assiduæ oppressiones et suarum rerum destructiones non cessabant fatigare? Ea tamen quæ per seipsum non valebat, per fideles ecclesiæ suæ filios, livore carens et nihil usquam sæcularis gloriæ quærens, exercebat. Nam res monachorum posuit in dispositione eorum, constituens eis in priorem post Henricum Ernulfum, post Ernulfum Conradum, ipsius loci monachos, ad quorum nutum negotia ecclesiæ cuncta referrentur, et communi fratrum⁶ consilio tractarentur, disponderentur, terminarentur. Ex libertati igitur qua in res suas monachi per bonum Anselmum potiti sunt, multum per omnem modum ecclesia aucta est, in recuperatione videlicet plurimarum terrarum quas quidam laici tenentes in hæreditatem sibi vindicabant, in diversis ornamentis, inque omni decore domus Dei, ita ut pauca et quasi⁷ indecora visa fuerint ecclesiæ ornamenta comparatione multitudinis et decoris⁸ illius quæ in⁹ his diebus perducta sunt. Super hæc ipsum oratorium quantum a majore turri in orientem porrectum est, ipso patre Anselmo providente, dispo-

His benefactions to Christ Church, Canterbury.

MS. p. 263.

¹ *eum*] illum, A.

² *minime*] non, A.

³ *Exivit*] After this a word, probably *secundo*, has been erased in A.

⁴ *pæne*] pæne, MS.

⁵ *tertio . . . se in*] On erasure, and cramped, in A.

⁶ *fratrum*] In margin in A.

⁷ *quasi*] Not in A.

⁸ *multitudinis et decoris*] decoris et multitudinis, A.

⁹ *quæ in*] Adopted from A., in lieu of *in quæ*, as in MS.

nente, inchoante, auctum est. Et hæc quidem omnia de rebus ecclesiæ facta¹ sunt, sicut et multa quæ per Lanfrancum facta fuerunt, Anselmo de suis præter illa² plurimam pecuniæ quantitatem in augmentum domus Dei conferente. Ex iis³ vero quæ in dominio suo possidebat, et offerendæ majoris altaris medietatem, aliam enim medietatem pater Lanfrancus contulerat, et quasdam terras ad subsidium monachorum antiquitus pertinentes, tunc autem in alios usus distractas, et pallia valde bona quam plurima, ac nonnulla alia decori domus Dei competentia juri ecclesiæ perpetuo possidenda concessit. Ad hæc. Postquam de secundo exilio revocatus est, et quadam pace potitus, dedit in opera ecclesiæ denarios qui singulis annis de parochianis ecclesiis in Pascha matri ecclesiæ pendi solent. Æquius enim esse judicavit eos ab ecclesia cui pro signo debitæ subjectionis conferuntur possideri, quam a sæculari potestate quasi suos, obeunte episcopo, auferri, eo quod illos quique pontifices pro suo officio antehac juri proprio vindicabant. Nec, eo defuncto, aliter ac ipse disposuerat in his a rege actum est, sed in eo statu quo ecclesiam pater ipse moriens reliquit, toto temporis spatio quo pastore carebat, ejus instituta mutare consilii esse non autumans, eam conservabat. Pax igitur qua potita est cui post Deum ascribenda sit, satis elucet. Detractores itaque tanti viri et tam magnifici benefactoris ecclesiæ Christi parcant, obsecro, linguæ suæ; parcant, obsecro, animæ suæ. Nam si hos qui secrete detrahunt proximo suo persequitur Deus, timendum fateor ne illos qui publice et contra æquum pravis verbis corrodunt patrem suum destruat Deus. His hoc modo pro negotii necessitate succincte propositis, accedamus ad res gestas,

MS. p. 264.

¹ *facta*] acta, A.
illa] In margin, in A.

³ *iis*] his, A.

ab illis quæ descripsimus narrandi exordium assumentes.¹

Igitur ubi beatus et felix præsul Anselmus ab ærumnis vitæ labentis in beatitudinem vitæ permanentis translatus est, omnia ad episcopatum quidem Cantuariensem pertinentia, morem fratris sui Willelmi regis secutus, in suum dominium rex Henricus redigi jussit,² rebus monachorum in ea quæ illas pater Anselmus posuerat libertate et providentia persistentibus. Unde et tunc multa in decorem domus Domini Christi facta sunt. Quapropter cum maligni quidam regi suggestissent monachos insanire, et quæ regalibus expensis magnifice possent adminiculari in superfluo usus ab eis quotidie proffigari, ipse, ut vir prudenti bonitate conspicuus, "Quid?" inquit.³ "In externas expensas, in sæcularia aliqua, in vana vel ordini suo contraria opera, res suas monachi ponunt? At si in augmentum et gloriam domus Dei eas expendunt, benedicatur Deus, qui et illis hujusmodi animum inspiravit, et hanc mihi suo munere gratiam tribuit, ut meis diebus mea mater ecclesia crementum potius capiat quam detrimentum." Sic itaque et ecclesia proficiebat, et ne a quovis infestaretur regia censura prospiciebat. Agebat quoque in ea curam officii pontificalis⁴ Radulfus Rofensis antistes, et ei intus et extra siqua emergebant assiduus propugnator erat atque fidelis. Ipse ecclesias in omnibus terris totius pontificatus Cantuariensis intus et extra Cantiam, ubi petebatur, inconsultis episcopis,⁵ dedicabat, ipse quæ ad Christianitatem pertinent in eisdem terris prout

A.D. 1109-1114.

Henry appropriates the archiepiscopal revenues;

but respects those of Christ Church.

The Bishop of Rochester administrator during the vacancy.

MS p. 265.

¹ *assumentes*] *sumentes*, A.

² *jussit*] *præcepit*, A.

³ " *Quid?*" *inquit*] *quid inquit?* MS.

⁴ *officii pontificalis*] *pontificalis officii*, A.

⁵ *ubi petebatur, inconsultis epi-*

scopis] *inconsultis episcopis ubi petebatur*, A. *ubi petebatur* in MS. is inserted in the margin with a catch-mark to its proper place in the text. In A. it is on an erasure.

A.D. 1109-
1114.Election of
a new
Primate.Faricius,
Abbot of
Abingdon,
proposed.Some wish
for a secular
clergyman.

res exigebat sedulus administrabat. Et hæc ita integro quinquennio, quo a transitu patris Anselmi ecclesia ipsa viduata permansit, in filiis ac rebus ejus agebantur. Quo tempore pæne peracto, rex Henricus, et monitis domini papæ, et precibus fratrum Cantuariensium aliorumque multorum, immo, quod maximum est, instinctu Dei permotus, episcopos et principes Anglæ in unum apud Windlesoram¹ fecit venire, eorum consilium in constituendo pontifice Cantuariensi volens habere. Invitati etiam sunt præfatus Radulfus Rofensis episcopus, et prior ac nonnulli fratres Cantuarienses curiam venire, ignorantes certitudinem causæ propter quam invitabantur. Ivimus ergo illuc. Quamplures vero nobis euntibus obviantes, et se a curia venire et nos absque omni contradictione abbatem Abendoniæ, Faricium nomine, archiepiscopum habituros asseverabant. Quod nos, industriam hominis probatam habentes, gaudenti animo amplectebamur, placeret solummodo Dei voluntati, in quo totam spem nostram fiduciamque² locaveramus. Quid multa? Ad curiam venimus, et ecce omnia plena erant de abbate quæ audieramus. Et revera regia voluntas hoc proposuerat, ac propter idipsum jussus a rege idem abbas curiæ se præsentaverat. Animus tamen episcoporum et quorundam magnatorum in aliud vergebat, præoptantium videlicet aut quemlibet episcopum de ordine clericali, aut clericum aliquem de capella regis in opus illud ascisci. Verum ubi eis objectum est nullum a Beato Augustino nisi de monachico ordine unquam pontificatui Cantuariensi præsedisse, uno duntaxat excepto qui et ob hanc præsumptionem et alia quædam perverse ab eo commissa depositus per Romanum pontificem fuit, et ea re tam antiquam et authenticam consuetudinem, cum nulla ratio vel necessitas exigeret, subverti non oportere, desistere cepto quod plurimo

MS. p. 266.

¹ *Windlesoram*] Windeshoram, A. | ² *fiduciamque*] Not in A.

conatu perficere laborabant compulsi sunt. Disponente igitur providentia summi Dei, in prænominatum Rofensem episcopum subito versa episcoporum sententia est, illum scilicet in primatem totius Britanniae constitui cupientium, et assensum regis in hoc sibi cooperari postulantium. Ad quod rex statim mutata mente quam in promotione abbatis habebat, libens in ea quae de episcopo suggerebantur animum transtulit, vellent tantummodo monachi natuque majores et populi Cantuarienses. Nec mora. Requiritur quale sit in istis velle eorum, et vota omnium inveniuntur esse unum, Refertur in turbam negotii summa, et in laudem Dei pro hoc laxantur¹ omnium ora. Sic electus in pontificatum Cantuariensem Radulfus Rofensis episcopus est, et inexplicabilis lætitia omni multitudini quae confluxerat exinde procreata. Mira namque affabilitas quae ad cunctos in eo vigeat et eum magnopere diligere et honori ejus aggaudere bonum quemque² faciebat. Audires interea, si adesses, multos una conclamare, " Vere cor regis in manu Dei, quocunque vult " inclinatur illud." Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quarto decimo vi. Kal. Maii, quinto die peracto quinquennio a transitu gloriosissimi patris Anselmi. Venit dehinc Cantuariam xvii. Kal. Junii, et gloriose a clero et populo susceptus est, atque ab episcopis qui ob hoc convenerant loco pontificis sublimatus. Egit autem primos introitus sui dies in magna gloria et diviti rerum apparatu, gaudentibus cunctis ac³ Deum collaudantibus, quod jam tandem post diutinam expectationem ecclesiae suae pastorem non de externis sed de domesticis instituire dignatus sit.

A.D. 1114.
Ralph,
Bishop of
Rochester,
is elected
[April 26th,
1114].

Enthronement of the
new Primate.

Post hæc, semotis a dominatu iis qui pontificatu dominari solebant, locavit suos, ut sibi quidem melius

¹ *pro hoc laxantur*] laxantur pro hoc, A. | ² *bonum quemque*] quemque bonum, A. | ³ *ac*] et, A.

A.D. 1114. videbatur, et sensus plurimorum¹ necne voluntas ab eo quo fuerant super ipsum demutata sunt, ac famæ illius quæ antehac ab omnibus prædicabatur a multis vulgi more sinistrorum detrahebatur. Inter hæc rex Henricus Normanniam ire parabat, Francos suosque vicinos sibi inimicitias extruentes paci subigere qua præditus erat industria volens. Sed, nequid in Anglia se abeunte resideret indispositum, monasteria cuncta quæ jam diu cura pastoralis fuerant destituta, consilio episcoporum et principum suorum, locatis personis in hoc officium, ordinavit. Quod si aliqui eorum lupi magis quam pastores effecti sunt, ipsi viderint; rex eos ut pastores non lupi essent, sicut credi fas est, collocavit. Quod tamen forte credibilius videretur, si non omnes ex alienigenis, sed aliquos saltem ex indigenis terræ, non usquequaque Anglos perosus, tali ministerio substituisset. Vitæ etenim meritum, ac regularis observatio disciplinæ, necne prudentia rerum administrandarum quæ oportebat eis qui respuebantur non minus quam iis inerat qui assumebantur. Unum eos, natio scilicet, dirimebat. Si Anglus erat, nulla virtus ut honore aliquo dignus judicaretur eum poterat adjuvare. Si alienigena, solummodo quæ alicujus boni speciem amicorum testimonio prætenderent illi ascriberentur, honori præcipuo dignus illico³ judicabatur. Verum in istis nemo cujusvis injustitiæ Deum accuset, cum ejus dispositioni cuncta subjaceant, cum nil injuste usquam disponat, cum in terra nihil fiat sine causa. Quæ dum ita sint, nullus sibi de iis quæ Deus non approbat plaudat, quoniam unde isti coronam, inde illi novit æquo judicio pœnam prærogare. Sed de his hac interim vice satis.⁴ Dies enim mali sunt.

The King appoints to vacant monasteries, carefully excluding Englishmen.

MS. p. 269.

¹ *plurimorum*] On erasure in A.

² *Anglia . . . resideret*] Anglia . . . remaneret, cramped and on erasure, A.

³ *dignus illico*] illico dignus, A.

⁴ *satis*] sufficiat, A.

Dum itaque rex ecclesiarum dispositioni, ut diximus, operam daret, postulatus a pontifice Cantuariorum est, quatinus sibi monachum ecclesiæ Cantuariensis, tunc quidem abbatem Burchorum, Ernulfum nomine, redderet, ut eum Rofensi ecclesiæ loco pontificis sibi met ipsi subrogaret. Et hoc quidem faciebat, cum¹ quia sapientiam ac religionem hominis compertam habebat, tum quia ignotam personam super ipsam ecclesiam vel inter fratres Cantuarienses immittere nolebat, tum etiam quia se ex vicinitate ipsius multum sperabat adjuvandum in dispositione rerum suarum. Quod rex perpendens libenter annuit. Abductus igitur abbas Burcho est, et Cantuariæ in capitulo fratrum ab archiepiscopo iiii. Kal. Octobris episcopatu Rofensi ex antiquo more investitus, convenientibus ad hoc eumque eligentibus monachis, clericis et laicis ad ipsum episcopatum pertinentibus, et alia hominum multitudine copiosa. Qui electus licet ecclesiæ Dorobernensis professus monachus esset,² tamen, antequam episcopatu per virgam pastorem investiretur, tactis evangeliiis promisit se et fidelitatem ecclesiæ Cantuariensi et antistiti ejus per omnia servaturum, et nullo unquam molimine aut occasione se introuissurum vel assensum præbiturum, ut ecclesia Cantuariensis dignitatem aut potestatem quam super Rofensem ecclesiam eatenus habuit ullo modo perderet. Ut enim ista sponsio fieret archiepiscopus, qui Rofensis episcopus fuerat, omni modo expedire sciebat. Moratus est autem ipse electus Cantuariæ pene quindecim diebus post hæc, ac demum, vi. Idus Octobris ab archiepiscopo Rhofam³ perductus, atque in sedem pontificalem digno cum honore a clero et populo susceptus. Eadem die fluvius Medewage⁴ vocatus ita ab australi pontis parte prope castrum civitatis per nonnulla milliaria

A.D. 1114.
Ernulf
Abbot of
Peter-
borough.

Investiture
of Ernulf as
Bishop of
Rochester
[Sept. 28th,
1114].

MS. p. 270.

Installation
of Ernulf
[Oct. 10th,
1114].

Singularly
low tide on
Oct. 10th,
1114.

¹ cum] tum, A.

² professus monachus esset] monachus esset professus, A.

R 8387.

³ Rhofam] Rhopham, A.

⁴ Medewage] Medewege, A.

A.D. 1114. in se defecit, ut in medio alveo sui etiam parvissimæ naves ob penuriam aquæ elabi aliquatenus¹ minime possent. Nec hunc defectum solus ille fluvius ipsa die passus est; Tamisia nihilominus eidem illa die defectui patuit. Nam inter pontem et regiam turrim, sub ponte etiam in tantum fluminis ipsius aqua diminuta est, ut non solum equi sed et innumera hominum et puerorum multitudo illud pedibus transvadarent, aqua vix genua eorum attingente. Duravit autem hic aquæ defectus a medio noctis præcedentis usque in profundas tenebras noctis subsequæ, sicut ii testati sunt et hucusque testantur qui præsentibus ista viderunt, et transvadantes transvadantium socii extiterunt. Similem quoque aquarum defectum ipso die apud Gernemutham et in aliis locis per Angliam MS. p. 271. certo relatu contigisse didicimus.

Consecration of Albold, Abbot of St. Edmund's [Nov. 1st, 1114].

Dehinc Kal. Novembris Radulfus archiepiscopus sacra-
cravit Cantuariæ in metropoli sede Alboldum Beccensis
cenobii monachum, cujus in quarto libro præfatæ His-
torie meminimus, ad regimen abbatiæ Sancti Ead-
mundi.²

Despatch of messengers to Rome for the Archbishop's pallium.

His diebus missi sunt Romam nuncii, qui pallium archiepiscopo Cantuariensi ab apostolica sede deferrent. Fuerunt autem hi, Johannes monachus Sagii, qui paulo ante hos dies in abbatem Burchorum post præfatum Ernulfum electus fuerat et consecratus, Warnerius monachus Cantuariensis, et Johannes clericus, filius sororis archiepiscopi. Qui Romam venientes litteras regis Anglorum et archiepiscopi, conventus quoque fratrum ecclesiæ Cantuariensis, et singulatim omnium pene episcoporum Angliæ domino papæ detulerunt. Quarum litterarum unas de omnibus hic ponere non ab re aestimavimus, volentes et aliarum sensus per illas agnosci. Sint igitur hæc.

¹ *aliquatenus*] Not in A.

} ² *Eadmundi*] Ædmundi, A.

Domino sanctæ universalis ecclesiæ summo pastori, Paschali, A.D. 1114.
 conventus ecclesiæ Christi Cantuariensis, fideles orationes et
 totius sanctæ devotionis obsequium.

Notum esse non dubitamus gloriosæ paternitati vestræ, pie
 domine, quod ecclesia Cantuariensis, mater nostra, sanctæ sci-
 licet Romanæ ecclesiæ specialis filia, jam ab obitu beatæ
 memoriæ patris nostri Anselmi archiepiscopi per quinquennium
 cura pastoralis officii, peccatis nostris exigentibus, sit destituta.
 Nuper autem, respectu misericordiæ Dei, adunato conventu
 totius Anglici regni in præsentia gloriosi regis nostri Henrici,
 electus a nobis et clero et populo est ad regimen ipsius ecclesiæ
 MS. p. 272. Radulfus Rofensis episcopus, nobis sufficientissime cognitus, et
 propter vitæ suæ meritum et sanctæ conversationis effectum
 toti regno valde acceptus. Huic electioni affuerunt episcopi,
 abbates et principes regni, et ingens populi multitudo, consen-
 tiente domino nostro rege, et eandem electionem laudante, sua-
 que auctoritate corroborante. Quoniam igitur ita se ¹ habet,
 mittimus ad vos, modis quibus possumus supplicantes ut quem
 ad sublevationem et consolationem ecclesiæ suæ Deus, quantum
 nobis intelligi datur, ² elegit, vestra sancta auctoritate in quo
 electus est confirmetis, et ei pallium quod omnes antecessores
 sui a sacratissima sede Beati Petri consecuti sunt transmittere
 dignemini, ne sanctitate vestra aures pietatis suæ ³ precibus
 nostris, quod Deus avertat, non inclinante, in pristinas miseras
 aliquo eventu ecclesia nostra, filia vestra, relabatur. Ipsemet
 enim tanta corporis imbecillitate gravatur, ut non sine magno
 periculo sui et detrimento omnium nostrum valeat hoc tempore
 vestigiis vestris se præsentare. Sanctum apostolatam vestrum
 omnipotens Deus ad honorem suæ sanctæ ecclesiæ per multa
 tempora incolumem conservare dignetur, dignissime pater.
 Amen.

Ad hæc qui missi fuerant legationis suæ officium qua
 præditi erant prudentia apostolicis auribus suggesterunt, The messen-
 gers are at
 first unsuc-
 cessful.
 sed responsum quod eis alicujus suæ causæ ⁴ effectus
 spem promitteret primo recipere non meruerunt. Lo-
 cuti sunt his et illis sibi non notis, et respondebatur

¹ *se res*] *res se*, A.

² *intelligi datur*] *datur intelligi*,
 A.

³ *pietatis suæ*] On erasure and
 cramped in A.

⁴ *suæ causæ*] *causæ suæ*, A.

A.D. 1114. eis sicut ignotis. Fluctuabant ergo, nec quo se tuto verterent advertabant.

A.D. 1115.
Anselm,
Abbot of St.
Saba, helps
them.

Erat illis diebus Romæ Anselmus, nepos domini archiepiscopi Anselmi,¹ domino papæ familiaris, et ab eo abbas Sancti Sabæ Confessoris effectus. Qui in diebus beati avunculi sui plurimo tempore in Anglia degens, pro mansuetudine sua ab indigenis terræ quasi unus eorum diligebatur. Hic, audito præfatos nuncios advenisse, alacer ad eos Lateranis venit, et in cunctis quæ negotii sui tenor exigebat erga eos morem veri amici sequens exercuit. Quid plura? Romanum pontificem et quorum consilio nitebatur, communicata instantia, ita causæ illorum fautores effecit, ut gratis omnino voti sui compotes fierent, et ipsum Anselmum, qui pallium pro quo iverant ex parte Beati Petri et domini papæ Cantuariam deferret, tradente illum eodem summo pontifice per manum acciperent. Quibus peractis, nuncii Roma regrediuntur, Anselmo pro iis quæ sua intererant cum papa relicto. Venientes igitur in Normannia ad regem, quid egerint edisserunt, et suæ industriæ meritas laudes excipiunt. Inde directo nuncio in Angliam, qui archiepiscopo gesta referret, ipsi adventum præfati Anselmi trans mare præstolantur. Qui adveniens a rege cum honore suscipitur, ac pro sua sollicitudine dignitati regni Anglorum impensa dignæ grates persolvuntur. Traditis deinde litteris ipsi a papa directis, post aliquot dies cum eo exactos Angliam nunciis qui Roma venerant comitatus impiger tendit. Litterarum autem quas regi detulerat textus² hic est.

Anselm
brings the
pallium to
England.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico, illustri Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem. MS. p. 274.

Cum de manu Domini largius honorem, divitias, pacemque susceperis, miramur vehementius et gravamur quod in regno

¹ domini archiepiscopi A.] A. domini archiepiscopi, A.

² Litterarum autem q. r. d. textus] Litterarum textus q. r. d., A.

A.D. 1115.

potestateque tua Beatus Petrus, et in Beato Petro Dominus honorem suum justitiamque perdiderit. Sedis enim apostolicæ nuncii vel litteræ præter jussum regiæ majestatis nullam in potestate tua susceptionem aut aditum promerentur. Nullus inde clamor, nullum inde judicium, ad sedem apostolicam destinatur. Quam ob rem multæ apud vos ordinationes illicitæ præsumuntur, et licenter delinquant qui delictorum deberent licentiam cohibere. Nos tamen usque adhuc in his omnibus ampliori patientia usi sumus, sperantes per tuæ probitatis industriam omnia corrigenda. Quid enim honoris, quid opulentia, quid tibi dignitatis imminuitur, cum Beato Petro debita in regno tuo reverentia conservatur? Hæc nimirum tanto nobis indigniora sunt, quanto familiarius regnum vestrum veterum regum temporibus sedi apostolicæ adhæsisse cognoscimus. Legimus quippe reges ipsos apostolorum limina visitasse, et illic usque ad obitum commoratos. Legimus nonnullos ecclesiarum præpositos et magistros ultro illuc a Romanis pontificibus destinatos. Pro his igitur apud vos pertractandis et corrigendis carissimum filium Anselmum, familiarem tuum, nunc Sancti Sabæ abbatem, ad tuam excellentiam destinamus. Per quem etiam tuæ et episcoporum petitioni in causa Cantuariensis episcopi, quamvis contra auctoritatem sedis apostolicæ, satisfacimus, sperantes et vos deinceps sedi apostolicæ in suæ dignitatis justitia satisfacturos. Alioquin si suam vos Beato Petro justitiam subtraxeritis, ipse quoque in posterum suæ vobis subtrahet beneficia dignitatis. Quæ minus litteris continentur vivis legati vocibus explebuntur. Omnipotens Dominus sua te dextera protegat, et in suâ dilectione perficiat. Elemosina Beati Petri, prout audivimus, ita perperam doloseque collecta est, ut neque mediam ejus partem hactenus ecclesia Romana susceperit. Quod totum tibi, sicut et alia, imputatur, quia præter voluntatem tuam nihil in regno præsumitur. Volumus ergo ut eam deinceps plenius colligi facias, et per præsentem nuncium mittas. Data Lateranis, iiii, Kal. Aprilis.

MS. p. 275.

Igitur Anselmus Angliam ingressus archiepiscopum adiit. A quo decenter susceptus, decenter est per plurimum temporis¹ ab eo detentus. Die ergo Dominica, quæ fuit v. Kal. Julii, convenerunt in metropoli sede Cantia episcopi, abbates, quique nobiles, et in-

¹ *temporis*] tempus, A.

A.D. 1115. numerabilis quaquaversum coacta hominum multitudo. Itaque, juxta quod fuerat præordinatum, præfatus Anselmus pallium in vase argenteo honorifice ferens Cantuariam venit, itumque est illi obviam usque ad portam civitatis ab utroque conventu duarum ecclesiarum, archiepiscopatus scilicet et vicinæ abbatiae Sancti Augustini, cum omnibus qui pro hoc ipso illo confluerant. Pater ipse, stipatus episcopis, et indutus, ut alii, vestibus sacris, nudis pedibus devotus occurrit. Sicque delatum super altare Salvatoris pallium est, et a pontifice inde susceptum, facta prius Romano pontifici de fidelitate et canonica obœdientia professione. Deinde pro reverentia Beati Petri ab omnibus deosculabatur,¹ et indutus eo pontifex summus ad cathedram patriarchatus Anglorum gloriose perducitur et inthronizatur. Ante quam cathedram dictis orationibus, et aliis quæ ipsius ecclesiæ sacer usus dici instituit, mox ecclesiæ Wigornensi antistes electus, Theodoaldus² nomine, ei consecrandus præsentatur. Qui ab eo examinatus, et more solito canonicam ei ac³ successoribus suis obœdientiam professus, sacratus est honorifice in pontificatum ad quem fuerat prætitulatus. Huic consecrationi interfuerunt et adjutores extiterunt episcopi qui convenerant, videlicet Ricardus Lundoniensis, Rogerius Serberiensis, Herbertus Norwicensis, Radulfus Cicestrensis, Johannes Bathoniensis, Herveus Eliensis.⁴ Quod episcopus Rofensis ea die, licet affuerit, sacratus non fuit, in eo remansit, ratione detento quæ in aliud tempus id differendum magis expedire persuasit animo ejus.

Litteras quoque per id temporis dominus papa fratribus ecclesiæ Christi Cantuariensis destinavit, quas hic ponere non alienum putavi a ratione. Sunt autem hæc.

Ralph assumes the pallium, and mounts the patriarchal throne [June 27th, 1115].

Consecration of Theodoald Bishop of Worcester [June 27th, 1115].

Letter of complaint from the Pope to the Christ Church monks.

MS. p. 276.

¹ *deosculabatur*] deosculatur, A.

² *Theodoaldus*] Teodoaldus, A.

³ *ac*] et, A.

⁴ *Eliensis*] Elyensis, A.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, Cantuariensis ecclesiae filiis, salutem et apostolicam benedictionem. A.D. 1115.

MS. p. 277. Ecclesiae vestrae legatos benigne suscepimus, tanquam viros religiosos atque prudentes, sed legatio quam ad nos cum vestris litteris attulerunt nobis non ingrata tantum, sed etiam gravis fuit. Significabatur enim Rofensis episcopi ad metropolim vestram facta translatio, quod praeter scientiam et conniventiam nostram praesumi omnino non debuit, quia sanctorum patrum decretis inhibitum prorsus agnoscitur. Pro religione tamen et honestate personae quae translata dicitur, nos hanc praesumptionem vestram toleramus, sed nostrum ad vos legatum in proximo dirigemus, largiente Domino, qui super hoc negotio quae fuerint disponenda disponat. Datae Laterani, xii. Kal. Martii.

Post hos dies Radulfus archiepiscopus, consilio et petitione episcoporum proxime supra nominatorum, dedit, concedentibus et approbantibus monachis Cantuariensibus, archidiaconatum ipsius ecclesiae Johanni nepoti suo, clerico videlicet honestorum morum et mansuetae conversationis ad omnes. Quae donatio facta est in capitulo, praesente fratrum conventu, copiosa clericorum ac laicorum multitudine pro hoc ipso in medium adducta, facto prius coram omnibus ab eodem Johanne tactis evangelii sacramento, quo se fidelitatem ecclesiae ipsi per omnia et in omnibus exhibiturum dum viveret repromisit.

MS. p. 278. Eodem anno Henricus rex jussit omnes episcopos et principes totius regni ad curiam suam sub uno venire. Unde rumor per totam terram dispersus est pontificem Cantuariorum generale concilium, praesente legato domini papae, cujus supra meminimus, celebraturum, et nova quaedam tantoque conventui digna pro correctione Christianae religionis in omni ordine promulgaturum. Itaque ut rex jusserat xvi. Kal. Octobris conventus omnium apud Westmonasterium in palatio regis factus est; et quod de concilii celebratione et Christianitatis emendatione rumor disperserat nihil fuisse quae confluxerat multitudo tandem advertit.

Appoint-
ment of
John Arch-
deacon of
Canterbury.

Bishops and
barons, sum-
moned to
Westmin-
ster, [Sept.
16th, 1115]
discuss a
letter from
the Pope.

A.D. 1115. Venit tamen illuc sæpe nominatus Anselmus, qui palium Cantuariam detulerat, deferens epistolam ex parte apostolici regi et episcopis Angliæ, hunc textum habentem.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico illustri regi, et episcopis Anglici regni, salutem et apostolicam benedictionem.

Qualiter ecclesia Christi¹ fundata sit, non est a nobis nunc temporis disserendum. Hoc enim plenius evangelii textus et apostolorum litteræ profitentur. Qualiter vero ecclesiæ status, præstante Domino, perseveret, et referendum nobis est et agendum. A Sancto siquidem Spiritu ecclesiæ dictum est, "Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, consti-
 "tues eos principes super omnem terram." Super qua constitutione Paulus apostolus præcipit, dicens, "Manum
 "cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis
 "alienis." Quam ejusdem apostoli sententiam, Beatus Leo doctor exponens, ait, "Quid est cito manum imponere, nisi
 "ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante
 "meritum laboris, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis?" Qua igitur ratione Anglici regni episcopis sacerdotalis honoris confirmationem tribuere possumus, quorum vitam, quorum scientiam nulla probatione cognoscimus? Ipse caput ecclesiæ Dominus Jesus Christus cum pastori primo apostolo Petro ecclesiam commendaret, dixit, "Pasce oves meas, pasce agnos meos." Oves quippe in ecclesia ecclesiarum præpositi sunt, qui Deo filios generare, ipso donante, consuerunt. Quomodo ergo vel agnos vel oves pascere possimus,² quos neque novimus nec MS. p. 279.
 videmus? Quos neque audimus, neque ab ipsis audimur? Quomodo super eos illud Domini præceptum implebimus, quo Petrum instruit dicens, "Confirma fratres tuos"? Universum siquidem terrarum orbem Dominus et Magister noster suis discipulis dispertivit, sed Europæ fines Petro singulariter commisit et Paulo. Nec per eorum tantum, sed per successorum discipulos ac legatos, Europæ universitas conversa est et confirmata. Unde usque ad nos, licet indignos, eorum vicarios hæc consuetudo pervenit; ut per nostræ sedis vicarios graviora ecclesiarum per provincias negotia

¹ *Christi*] Dei, A.

| ² *possimus*] possumus, A.

pertractentur seu retractentur. Vos autem, inconsultis nobis, etiam episcoporum negotia definitis, cum martyr Victor ecclesiae Romanae pontifex dicat, "Quamquam comprovincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definire inconsulto Romano pontifice permissum est." Zepherinus quoque martyr et pontifex, "Judicia," inquit, "episcoporum majoresque causae a sede apostolica et non ab alia sunt terminandae." Vos oppressis apostolicae sedis appellationem subtrahitis, cum sanctorum patrum conciliis decretisque sancitum sit ab omnibus oppressis ad Romanam ecclesiam appellandum. Vos praeter conscientiam nostram concilia synodalia celebratis, cum Athanasius Alexandrinae ecclesiae scribat, "Scimus in Nicea magna synodo trecentorum decem et octo episcoporum ab omnibus concorditer esse corroboratum, non debere absque Romani pontificis scientia concilia celebrari." Quod ipsum scriptis suis sancti pontifices firmaverunt, et aliter acta concilia irrita fieri statuerunt. Videtis igitur et vos contra apostolicae auctoritatem plurimum excessisse, et dignitati plurimum subtraxisse, et nobis id pro nostri officii debito imminere, ut probatos habeamus quibus sacerdotalem conferimus dignitatem, ne, contra apostolum manum citius cuiquam impo- nentes, communicemus peccatis alienis, quia juxta Beati Leonis sententiam, gravi semetipsum afficit damno, qui ad suae dignitatis collegium sublimat indignum. Vos praeter auctoritatem nostram episcoporum quoque mutationes praesumitis, quod sine sacrosanctae Romanae sedis auctoritate ac licentia fieri novimus omnino prohibitum. Si ergo in his omnibus sedi apostolicae dignitatem ac reverentiam servare consentitis, nos vobis ut fratribus ac filiis caritatem debitam conservamus, et quae vobis ab apostolica ecclesia concedenda sunt, benigne ac dulciter, Domino praestante, concedimus. Si vero adhuc in vestra decernitis obstinacia permanere, nos evangelicum dictum et apostolicum exemplum pedum in vos pulverem excutiemus, et tanquam ab ecclesia catholica resistentes Divino judicio trademus, dicente Domino, "Qui non colligit mecum dispergit, et qui non est mecum adversum me est." Deus autem omnipotens et nobiscum vos in ipso esse, et nobiscum vos in ipso colligere ita concedat, ut ad aeternam ejus unitatem, quae idipsum permanet, pervenire concedat.

Data Lateranis Kal. Aprilis, indictione octava.

MS. p. 280.

A.D. 1115. Rex¹ ad hæc consilio cum episcopis habito quid super his et quibusdam aliis, quæ animum suum plurimum offendebant,² papæ responderet, placuit in commune ut suos nuncios mitteret per quos quæ vellet securius papæ mandaret. Nam ante hos dies quidam Romanæ ecclesiæ cardinalis, functus legatione apostolicæ sedis, Cono nomine, Franciam venerat, et ibi juxta suæ legationis officium generalia concilia celebrans episcopos Normanniæ ab episcopali officio suspensos excommunicavit, eo quod conciliis suis³ tertio vocati interesse noluerant.⁴ Quæ episcoporum excommunicatio animum regis valde reddidit conturbatum,⁵ * et rationis esse duxit super his papam convenire, maxime quod in hujusmodi visus sit privilegia patri et fratri suo sibi que a Romana ecclesia jam olim collata, se non promerente, scidisse. Ad hæc itaque agenda directus est Willelmus antistes Exoniensis, papæ notissimus, utpote qui sæpe ad eum tempore gloriosi patris Anselmi pro negotiis quæ tunc inter reges Angliæ et eundem patrem versabantur ab ipsis fuerat regibus destinatus. Nec enim cæcitas quæ visum ei tulerat ab ipso itinere illum poterat excusare, quia præterita gesta illius⁶ fiduciam regi præbebant, illum pro posse juxta morem suum suæ causæ fideliter velle insistere.†

The King is advised to send envoys to the Pope.

MS. p. 281.

The Bishop of Exeter is chosen as envoy.

¹ *Rex*] See Preface.

² *offendebant*] offenderant, L.; A. is doubtful.

³ *suis*] Not in A.

⁴ *interesse noluerant*] se præsentare omiserant, L.

⁵ *reddidit conturbatum*] turbaverat, L.

* *et rationis esse . . . insistere*†]

L. is as follows :—“ et hinc principum suorum consilio usus nun-

“ cios Romam dirigere, sicut diximus, maxime disponebat. Videtur debatur etenim illi dominum papam eo ipso quod de suis episcopis factum erat privilegia patri et fratri suo sibi que a Romana sede collata scidisse, et ea re rationis vi[] esse ipsum super hoc oportere conveniri.”

⁶ *illius*] ejus, A.

Interea ¹ clerici ecclesie Meneuensis, quae sub A.D. 1115. patrocinio Beati Andreæ et Sancti David in Walis ² Bernard Bishop-elect of St. David's [Sept. 18th, 1115]. fundata consistit, episcopum sibi, defuncto Wilfrido episcopo suo, a rege Henrico postulavere, et electus est in hoc opus Bernardus quidam capellanus reginae, vir probus et multorum iudicio sacerdotio dignus. Electus est autem sabbato jejunii septimi mensis, et eodem die ad presbyteratum ³ a Wentano pontifice ⁴ Willelmo MS. p. 282. apud Suthwercham consecratus. ⁵ De promotione ⁶ vero Dispute as to the place for his consecration. pontificatus, quam mox in crastino fieri et rex et alii plures optabant, ⁷ cum ubi aptius fieri posset disquireretur, intulit Robertus comes Mellenti ⁸ supervacue de loco dubitari, dum constaret episcopum tali eventu electum ex consuetudine in capella regis debere consecrari, ⁹ et hoc se probaturum, si opus esset, ¹⁰ pronunciat. Quod non æquum hominis dictum pater Radulfus pacato animo ferre non valens, dixit eum hujusmodi allegatione leviter posse efficere, ut nec ibi nec alibi nisi Cantuariæ pro quavis causa pontifex idem sacraretur. Sciret tamen comes ipse, quia postquam de capella regis tantum dixit, nulla ¹¹ ratione se illum inibi consecraturum. Ad quæ rex, ad comitem versus, "Nihil est," inquit, "quod intendis. Nec enim ego aut quilibet alter potest archiepiscopum Cantuariensem aliquo modo constringere ut episcopos Britanniae alibi consecret quam velit ipse. Quapropter viderit, suum est; consecret episcopum suum ubi voluerit." Proposuit itaque illum in ecclesia hospitii sui apud Lambetham consecrare. Verum quoniam ¹² ipsi officio regina interesse volebat, postulatus He is consecrated in Westminster Abbey [Sept. 19th 1115].

¹ *Interea*] Inter hæc, L. See Preface.

² *Walis*] Gualis, L.

³ *presbyteratum*] gradum præbiteratus, L.

⁴ *pontifice*] episcopo, A.

⁵ *consecratus*] promotus, L.

⁶ *promotione*] consecratione, L.

⁷ *optabant*] præoptabant, L.

⁸ *Mellenti*] de Mellento, A.

⁹ *consecrare*] sacrari, A.

¹⁰ *si opus esset*] firma ratione, L.

¹¹ *nulla*] nulla unquam, L.

¹² *quoniam*] quia, A.

A.D. 1115. ab ea sacrauit ipsum in ecclesia Beati Petri Westmonasterii xiii. Kal. Octobris, accepta ab eo solita professione de subjectione et obœdientia ecclesiæ Cantuariensi et episcopis ejus exhibenda. Huic consecrationi interfuerunt et cooperatores extiterunt suffraganei ecclesiæ Cantuariensis, episcopi videlicet hi, Willelmus Wintoniensis, Robertus Lincoliensis, Rogerus Serberiensis, Johannes Bathoniensis, Urbanus Glamorgatenensis, Gislebertus Lumniensis de Hibernia.

MS. p. 283.

Vacancy of
see of St.
Andrews.

Hoc eodem tempore Alexander rex Scottorum misit Radulfo archiepiscopo¹ epistolam hanc.

Domino et patri carissimo Radulfo, venerabili Cantuariensi archiepiscopo, Alexander, Dei misericordia rex Scottorum, salutem et devotæ fidelitatis obsequium.

Notificamus vobis, benignissime pater, quod episcopus ecclesiæ Sancti Andreae apostoli, domnus videlicet Thurgotus,² ii. Kal. Septembris migravit a sæculo. Unde valde contristamur tanto solatio destituti. Requirimus ergo vestræ paternitatis³ consilium et auxilium sicut confidimus in vobis, ut secundum Deum talem substituere valeamus, qui nos et gentem nostram per Deo placitam conversationem regere et docere utiliter sciat. Petimus etiam ut recordari dignemini quid vobis jam quadam vice suggessimus de episcopis ecclesiæ Sancti Andreae, quod in antiquis temporibus non solebant consecrari nisi vel⁴ ab ipso Romano pontifice, vel ab archiepiscopo Cantuariensi. Hocque tenuimus, et per successiones temporum ex auctoritate ratum habuimus, quousque domnus Lanfrancus archiepiscopus, nescimus quo pacto, absentibus nobis et nostris, Thomæ Eboraci archiepiscopo illud ad tempus relaxaverat. Quod omnino vestra, si placet, auctoritate suffulti, ut amplius sic remaneat non concedimus. Nunc igitur, si ad id nobis nostræque ecclesiæ reparandum vestrum adjutorium sperare debemus, quod humillimis votis desideramus et petimus, secreto nobis certitudinem dignis vestris apicibus remandare curate. Valet.

Consecra-
tion of
Ernulf

Ipso anno vii. Kal. Januarii Radulfus archiepiscopus sacrauit supra memoratum Ernulfum in pontificatum

¹ *archiepiscopo*] Not in A.

² *Thurgotus*] Turgodus, A.

³ *paternitatis*] Not in A.

⁴ *vel*] Not in A.

MS. p. 284. ecclesie Rofensis, et Goffridum ad regimen ecclesie A.D. 1115.
Herefordensis. Sacrati sunt autem simul Cantuariæ Bishop of
in metropoli sede, convenientibus et cooperantibus in Rochester,
hoc officio suffraganeis ipsius sedis, Willelmo episcopo and Geoffry
Wintoniensi, Herberto Norwicensi, Radulfo Cicestrensi, Bishop of
et Bernardo Meneuwensi. Hereford
[Dec. 26th,
1115].

Post hæc xiii. Kal. Aprilis factus est conventus epi- A.D. 1116.
scoporum abbatum et principum totius regni apud The estates
Serberiam, cogente eos illuc sanctione regis Henrici. of the realm
Siquidem in¹ Normanniam se proxime transfretaturum are sum-
disposuerat, et, quid sibi eventurum foret ignorans, moned
to Salisbury
[March
20th, 1116].

Willelmum, quem ex ingenua conjugē sua filium sus- The laity
ceperat, hæredem regni substituere sibi volebat. Igi- present be-
tur, agnita regis voluntate, mox ad nutum ejus omnes come the
King's son
William.

principes facti sunt homines ipsius Willelmi, fide et The clergy
sacramento confirmati. Radulfus autem archiepiscopus promise,
Cantuariensis et alii episcopi atque abbates regni should
Anglorum fide et sacramento professi sunt se et reg- Henry die,
num et regni coronam, si, defuncto patre suo, super- to give
viverent, in eum, ommissa omni calumnia et occasione, William the
translaturos, eique, cum rex foret, hominia fideli crown and
mente facturos. De his ita. Habita quoque est his do him
homage.

MS. p. 285. clericis regis vocabulo Thurstanus, connivente Ra- Thurstan,
radulfo archiepiscopo, et aliam quam rei exitus probavit Archbishop
de eo habente opinionem. Hic itaque electus cum of
York, re-
fuses pro-
fession of
obedience to
Ralph.

faceret quod debebat et benedictionem suam ecclesias-
tico more susciperet, respondit benedictionem quidem

¹ *in*] Not in A.

A.D. 1116. se libenter suscipere velle,¹ sed professionem quam exigebat, et antecessores suos fecisse sciebat, nulla ratione facturum. Cujus verbis quia Radulfus nec auditum præbere æquanimiter voluit, negotium ipsum eousque indeterminatum remansit. Ipse quoque Thurstanus legatos suos Romam direxerat, modis quibus apud Romanos agi oportere sciebat a papa cupiens absolutionem debitæ professionis obtinere, sed nihil effecerat. Rex autem Henricus ubi advertit Thurstanum in sua pervicacia stare, et eandem pervicaciam quasi ex tuitionis suæ fiducia fulcire ac manutenere, rupit ei ipsius fiduciæ nodos, et aperte protestatus est illum aut morem antecessorum suorum tam in professione facienda, quam et in aliis dignitati ecclesiæ Cantuariensis ex antiquo jure competentibus executurum, aut episcopatu Eboracensi cum benedictione funditus cariturum, Ad quæ ille, clericorum quasi dignitatis suæ libertati ficta reverentia acclamantium suique cordis consilio impræmeditatus² credens, renunciavit pontificatui, spondens regi et archiepiscopo se dum viveret illum non reclamaturum, nec aliquam calumniam inde moturum, quicumque substitutus fuisset. Sed cum post dies et consueta obsequia et pristini honores circa se defectui magno paterent, MS. p. 286. tabescebat animo, et se fecisse quod fecit vehementer indoluit. Quapropter mutato consilio regem trans mare euntem secutus est, sperans se revestituram sui pontificatus recuperaturum, et tali modo erga eum facturum, ut, eo præcipiente, benedictionem ab archiepiscopo sine professionis exactione adipisceretur. Cui negotio cum se medium nisi rem proletando rex facere nollet, sciens archiepiscopum abominabile habere tanto præcipitio se perenniter fieri obnoxium, suspensa res

Thurstan sends to Rome.

The King insists on his submission.

He resigns the archbishopric ;

but, changing his mind, seeks the King,

who defers taking further action.

¹ *suscipere velle*] velle suscipere, | ² *impræmeditatus*] in præmeditatus, A.

est, et nec ipse nec alius quis in episcopatum Eboracensem substitutus. A.D. 1116.

Ipsa anno circa mensem Augustum reversus a Roma supra memoratus Anselmus, venit Normanniam ad regem Henricum litteras apostolici deferens, quæ sibi vices apostolicas in Anglia administrare concedebant. Quod regno Angliæ brevi innotuit. Admirati ergo episcopi, abbates, et nobiles quique Landoniæ adunati sunt, super his et quibusdam aliis, præsentem reginam, communi consilio¹ tractaturi. Quid multa? Placuit omnibus archiepiscopum Cantuariensem, quem res maxime² respiciebat, regem adire, et exposita ei antiqua regni consuetudine simul ac libertate, si consuleret Romam iret et hæc nova annihilaret.

Abbot Anselm arrives in Normandy with legatine powers.

Amplectitur ille consilium, et, amore quam maximo visitandi apostolorum limina ardens, mare transiit, et regem Rotomagi repperit. A quo et ecclesia pontificatus ipsius civitatis summo gaudio et honore susceptus, per plures dies in eadem civitate ab ipso rege detentus est. Supra memoratum quoque Anselmum ibi repperimus, transitum in Angliam gratia legationis suæ exercendæ prestolantem. Sed rex Henricus antiquis Angliæ consuetudinibus præiudicium inferri non sustinens, illum ab ingressu Angliæ detinebat, et ei, utpote nuncio Beati Petri, largiter et officiose ministrari faciebat.

Archbishop Ralph seeks the King in Normandy.

MS. p. 287.

Radulfus igitur archiepiscopus cum rege de negotiis pro quibus venerat juxta rerum ordinem diligentius agens, ad consilium ejus Romani itineris callem ingreditur. Ubi autem in Franciam venit, gravi ulcere in facie percussus est, et, intumescente toto capite, usque ad extrema pene perductus.³ Qua de causa in castro quod Feritas a Freno⁴ vocatur per integrum

The Primate sets out for Rome, but falls ill on the way.

¹ *consilio*] Supplied from A. MS. has *concilio*.

² *res maxime*] maxime res hæc, A.

³ *perductus*] perducitur, C.

⁴ *a Freno*] Supplied from A. MS. has *afreni*.

A.D. 1116. mensem lecto decubuit, nobis qui cum eo eramus vix vitam illi pollicentibus. Melioratus tandem ab infirmitate, prout pati potuit, paulatim Romam eundi iter repetiit. Ibat autem cum magno et divite comitatu, et admirabilis cunctis habitus magnifice suscipiebatur ab omnibus ad quos veniebat.

A digression concerning St. Anselm.

Lugdunum vero cum venissemus, ubi dominus et inclytus pater Anselmus olim ab Anglia pro justitia pulsus, non sicut exul aut peregrinus, sed sicut¹ incola et vere ipsius loci præsul et dominus ab omnibus habitus fuerat, Lugdunum, inquam, cum venissemus et cum honore et amore præcipuo suscepti fuisset, mansimus ibi aliquandiu, cum² sincera omnium inibi conversantium dilectione illecti, tum nimia hiemis asperitate constricti, tum instanti Nativitatis Christi solennitate devincti. His diebus, pro nota mihi MS. p. 288. locorum et hominum familiaritate, ad Sanctum Hireneum quadam vice ascendens, diverti ad oratorium Beatæ Mariæ Magdalænæ, duabus ancillis Dei juxta idem oratorium pro Deo reclusis locuturus. Hæ, patri Anselmo pro sua religione quondam notæ, ejus fuerant sacratissima institutione in multis edoctæ, Inter has, instinctu maligni, gravissima quædam discordia post discessum domini Anselmi orta est, ex invidiæ, ut fit, malo producta. Dum igitur inter se lites, improperia, et plurima quæ earum proposito indecentia erant singulis pene diebus versarentur, secundum quod ab eis ipsis accepi, una noctium astitit uni illarum, quam major ipsius discidii culpa notabat, pater Anselmus, dura illam invectione corripiens, et quod, male ab eis³ observata doctrina sua, de remotis mundi partibus se ad eas usque fatigaverit conquerens. Jussit tamen ut cæptis desisterent, et si suam, quæ Dei erat, pacem perdere nollent, sub omni celeritate, omissis ambagibus cunctis, in pacem redirent. Factum

¹ *sicut*] Not in A.

² *cum*] tum, A.

³ *male ab eis*] ab eis male, A.

MS. p. 289.

est quod suavitatis admirabilis præsul; et ecce habitant in domo Dei unanimes, nec dubitant eum sibi esse præsentem, quem sunt expertæ salubriter corripientem. Præterea una de istis, Athaleidis nomine, familiari affatu mihi sub testimonio veritatis innotuit, se post obitum memorandi patris Anselmi quadam vice plus solito ex dono gratiæ Dei orationibus ac lacrimis deditam, subito velut in mentis excessum supra se raptam, et tribunali gloriosissimæ Reginæ cælorum a quibusdam reverendis personis adductam. Quam cum debita veneratione salutasset, et jussa ante pedes ejus consedisset, post plurima quæ vidit et audivit admiranda patriæ cælestis præconia, quasi quadam fiducia constantior effecta, inter alia quæ a Domina rerum inquisivit, nec quæ fuerint mihi dicere voluit, de venerabili Hugone Lugdunensi pontifice sciscitata est, quomodo scilicet, aut in qua sorte judicii Dei, jam defunctus sæculo esset constitutus. At illa, "Bene," inquit, "filia, bene illi erit per misericordiam Dei." "Et de domino meo," ait, "Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, pia Domina, si tibi placet, precor, "insinua quid sentiemus." Respondit, "De illo certissima esto, quod in magna gloria Dei est." Ad hæc illa ad se reversa, quid fecit, in quo videlicet residuum noctis expenderit, dulcedo et dignitas visionis considerantes quosque docebit. Hæc quasi per excessum diximus; ducti amore dignissimi patris Anselmi, quo vehementer, Domino miserante, imbuti de eo semper scribere aut loqui dulce habemus. Hinc narrandi ordine progrediemur.

Cum itaque Placentiam pervenissemus, episcopus Norwicensis, Herbertus nomine, qui nobiscum Romam iturus Angliam exierat, valida infirmitate correptus est, ita ut, ingravescente languore, decem continuis diebus sine cibo et voce mutus jaceret. Quam ob rem quatuor hebdomadas ibi exegimus, suspensi quid de episcopo faceret Deus. Ubi vero illum convalescere certo ad-

R 8387.

Q

A. D. 1117. vertimus, ad petitionem et consilium ejus pater noster cœpto sese itineri reddidit, ipse debilitate nimia fessus MS. p. 290. ibi remansit, archiepiscopum aut illic præstolaturus, aut convalescens, si moram faceret, redeundo præcessurus.

The Arch-
bishop
reaches
Rome,
whence he
writes to
the Pope,

Nos itaque Romam, ille Normanniam, prout Dominus posse dedit, post nonnullos dies usque pervenimus. Quoniam igitur dominus papa propter discordiam quæ illis diebus inter ipsum et imperatorem erat et Romanos Beneventi morabatur, nec Radulfus usque ad eum, partim propter corporis sui imbecillitatem, partim propter præfatam discordiam, cujus causa omnibus ad papam ire volentibus graves insidiæ ab incolis struebantur, ullatenus accedere poterat, missis nunciis cum litteris innotuit ei et adventum et adventus sui causam usque Romam. Quos ille benigne suscipiens, et verba eorum moderata æquitatis lance perpendens, juxta negotii modum scripsit episcopis Angliæ et regi sic.¹

who replies
in the fol-
lowing let-
ter :

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Angliæ episcopis,² et carissimo filio Henrico illustri regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Veniente ad nos carissimo ac reverendissimo fratre nostro Radulfo Cantuariensi archiepiscopo, vestram ad nos legationem missam per venerabilem fratrem Herbertum Norguicensem³ episcopum novimus. Et quidem gravibus infirmitatum molestiis impediti, idem fratres et coepiscopi pervenire ad nostram præsentiam minime valuerunt.⁴ Sed nunciorum honestis venerabilibusque personis pervenientibus eorum scripta suscepimus, in quibus et ipsorum postulationes et vestræ legationis vota perspeximus.⁵ Id enim optabatur, id posebatur, ne ecclesia Cantuariensis temporibus nostris sua dignitate privetur, ne nos eandem dignitatem minuamus aut minui MS. p. 291. sinamus, qua videlicet dignitate potita est ex quo a Beato Gregorio per Beatum Augustinum fundata est. Præter hæc litterarum indicia, legati qui ad nos missi sunt, ut sapientes

¹ *et regi sic*] On erasure and in margin in A.

² *Angliæ episcopis*] episcopis Angliæ, A.

³ *Norguicensem*] Norvvicensem, A.

⁴ *valuerunt*] potuerunt, A.

⁵ *perspeximus*] inspeximus, A.

ac strenui viri, assertiones suas prudenter, instanter, et efficaciter executi sunt. Nos profecto et legatorum personas, et legatorum assertiones, et vestrum omnium suggestiones, tanquam carissimorum fratrum, benigne hilariterque suscepimus, quia vobis in Domino propter Dominum placere optamus. Vestræ igitur dilectioni notum haberi volumus, quia Cantuariensis ecclesiæ dignitatem nec imminuimus, nec imminuere deliberamus. Beatum namque Gregorium apostolicæ sedis pontificem, tanquam præcipuum Christi Domini¹ membrum, tanquam Christiani populi pastorem et doctorem, tanquam salutis æternæ ministrum, in omnibus veneramur, et rata esse cupimus quæ ab ejus institutionibus processerunt. Illam ergo dignitatem quam ab eo per Beatum Augustinum Cantuariensis suscepit ecclesia, et quam frater noster sanctæ memoriæ Anselmus jure ac possessione legitima tenuisse cognoscitur, nos profecto nullatenus imminuimus, sed in eodem statu esse Cantuariensem ecclesiam volumus, ut authentica ejus privilegia juxta canonum sanctiones nullis perturbationibus violentur. Data Beneventi, ix. Kal. Aprilis.

A.D. 1117.

[March 24th, 1117.]

MS. p. 292.

In his nuncii papam deserentes ad nos Romam reversi sunt. Nobis autem a Roma Sutriam usque regressis, post aliquot dies Radulfus archiepiscopus invitatus ab imperatore eum, annuente papa, adiit, et per octo dies in exercitu suo, quem circa Romam adduxerat, conversatus cum illo est. Inde iterum Romam reversus, denuo Sutriæ moratus multis diebus est. Fama siquidem quaque disperserat, Romanum pontificem sub celeritate in urbem venturum, et ratus est se colloquium ejus magnopere desiderantem illic opportunius præstolaturum. Verum ubi intellectum est rem aliter esse, remeandi patriam iter arripuit. Venimus itaque Rotomagum ad regem Anglorum, et ab eo multo tempore in Normannia detenti sumus.

The Archbishop visits the Emperor, and eventually returns to Rouen.

Quibus diebus clerici Eboracenses supra memoratum Thurstanum, electum videlicet suum, suæ ecclesiæ restitui cupientes, et ne professionem de subjectione sua pontifici Cantuariorum faceret modis omnibus insisten-

The canons of York send to the Pope;

¹ Domini] Not in A.

A.D. 1117.
who writes
to the King.

tes, quos prudentiores de suis habebant ad papam dirigunt, desiderium suum ejus auctoritate et imperio nova lege per eos stabiliri gestientes. Qui viam aggressi, et ad papam usque profecti, quam veridici causæ suæ relatores apud eum extiterint, et res gesta veraci fateor superius stilo digesta, et textus epistolæ quam ipse papa pro eodem Thurstano direxit scire volentibus declarabit. Est autem hæc.

Pascalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico, illustri Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Nos, auctore Deo, de probitate tua non tantum bona, sed etiam meliora confidimus. Iccirco monemus excellentiam tuam ut Divinæ gratiæ semper memor existas, quæ tibi et regni pacem et justitiæ notitiam tribuit. MS. p. 293. Honorem igitur Dei et ecclesiarum ejus in regno tuo diligenter observa, et justitiam efficaciter exequere, quia per honorem Dei tuus profecto honor augebitur. Audivimus electum Eboracensis ecclesiæ, virum sapientem et strenuum, sine judicio ab Eboracensi ecclesia sequestratum; quod nimirum Divinæ justitiæ, et sanctorum patrum institutionibus adversatur. Nos quidem neque Cantuariensem ecclesiam minui, neque Eboracensem volumus præjudicium¹ pati; sed eam constitutionem quæ a Beato Gregorio Anglicæ gentis apostolo inter easdem ecclesias constituta est firmam censemus illibatamque servari. Idem ergo electus ut justitia exigit ad suam ecclesiam omnimodis revocetur. Siquid autem quæstionis inter easdem ecclesias agitur, præsentibus utrisque partibus in nostra præsentia pertractetur, ut, præstante Deo, utraque ecclesia finem suæ justitiæ consequatur.

Data Beneventi Nonis Aprilis.

[April 5th,
1117.]
Thurstan,
reinstated,
returns to
England
[February
1118].

Restitutus igitur² in pontificatum Thurstanus venit Angliam circa Februarium mensem, anno scilicet secundo quo ipse in Normanniam ad regem venerat. Venerabilis autem pater Radulfus necdum se a regis consortio sejungere valens in Normannia resedit, re-

¹ *volumus præjudicium*] præju- | ² *igitur*] Not in A.
dicium volumus, A.

ditus sui opportunum tempus opperiens. Superius A.D. 1118. quoque nominatus Anselmus eousque morabatur Rotomagi cum rege, pecuniam quæ Beato Petro de Anglia quotannis pendi solet Romam reversurus cupiens secum habere. Ut autem ipse in Angliam pro exercenda legatione sibi injuncta transiret rex, ut diximus, consentire nolebat, ratione quam prælibavimus et aliis non minus rationabilibus usus. Quatinus ergo quid in hujusmodi, si forte contigerint, sit agendum secutura posteritas animadvertat; quæ nostris diebus acta sunt brevi perstrinximus, nulli præjudicium quid malit sequi præfigentes. *Epistolam quoque quam Romanus pontifex pro eodem Anselmo personis Angliæ destinavit subscribere, ut cuncta pateant, rati sumus; licet ipse, ut diximus, nec Angliam intraverit, nec alicui eorum quibus missa est eam ex parte illius a quo missa est præsentaverit.

MS. p. 294.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis, episcopis, et abbatibus per Angliam, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet vos religiosos prudentesque noverimus, multa tamen inter vos correctione digna fieri non ignoramus. Ecclesia enim Dei non solum fructuosis palmitibus, sed etiam infructuosis exuberat. Unde agricolis necesse est ad inutilia resecanda falcem frequenter apponere. Hæc nimirum cura sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ ab ipsis apostolis consuetudinem fecit, suos per diversas provincias apocrisarios destinare, qui ad vineæ Dominicæ curam agricolas Domini debeant sollicitius excitare. Eapropter dilectum filium nostrum Anselmum, Sancti Sabæ abbatem, virum utique religiosum ac sapientem cum præsentibus ad vos litteris destinamus, ut cum fraternitate vestra synodales debeat celebrare conventus, et per Dei gratiam quæ sunt evellenda evellere, et quæ plantanda plantare procuret. Præcipimus ergo ut eum tanquam personæ nostræ vicarium reverenter suscipientes, communicatis studiis ad Domini vineam excolendam vivacitate ac sollicitudine debita satagatis. Super

MS. p. 295.

* *Epistolam quoque . . . dulcedinem representet*] Not in A.

A.D. 1118. Beati Petri elemosina colligenda segnius vos hactenus egisse cognovimus. Vestram itaque fraternitatem monemus et præcipimus, ut eam deinceps studiosius et sine quorumlibet dolo Romanæ ecclesiæ transmittere debeatis.

[May 24th,
1118.]

Data apud Transtiberim ix. Kal. Junii.

Direxit etiam de eadem re Radulfo pontifici Cantuariorum epistolam sic se habentem.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerando fratri Radulfo, Cantuariorum archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

In schola religionis te nutritum novimus. Nunc ergo cum ad ecclesiæ magisterium, Domino disponente, proventus es, monemus te ita religioni operam dare, ut de subditis tuis rationem possis cum lætitia Domino exhibere. Legatum nostrum Anselmum tuæ prudentiæ commendamus, ut ei tanquam nobis adesse studeas et cooperari. De Beati Petri elemosina ita studeas ut tibi gratias debeamus. Guarnierium monachum vestrum ad nos mitti volumus, ut nobiscum ad tempus manens tuam dulcedinem repræsentet.†

Death of
Paschal II.
[Jan. 21st,
1118.]

Election of
Gelasius II.
[Jan. 24th,
1118.]

Post hæc, secundo videlicet anno quo et Radulfus archiepiscopus Romam iturus Angliam exierat, et Anselmus pro exercenda legatione Angliam, ut sperabat, intraturus de Roma Normanniam ad regem Angliæ venerat, sacræ memoriæ Paschalis papa defungitur, et loco ejus Johannes quidam Caietæ natus substituitur. Qui Johannes, in monasterio Montis Cassini ab infantia monachus nutritus et adultus, in ministerio venerabilium apostolicorum, Desiderii, Urbani et Paschalis assiduus fuerat cancellarii officio functus. Successor MS. p. 296. igitur summi pontificis institutus, mutato nomine, Gelasius est nuncupatus. Rex vero Teutonicus, qui et Romanus imperator, audito papam huic vitæ decessisse, Romam advolat, et Bracarensem episcopum, jam anno præterito ab eodem papa Beneventi excommunicatum, cedente ab urbe Gelasio, suum papam instituit, et ex Burdino Gregorium nominat. Quæ omnia

The Emperor sets up the Anti-pope Gregory.

Letter of the Pope on the subject.

* *Epistolam quoque . . . dulcedinem repræsentet†*] Not in A.

ut scire volentibus clareant, epistolam super his ab ipso Gelasio in Gallias missam, quam et ecce subscribimus, legant. A.D. 1118.

Gelasius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, clericis, principibus, et cæteris per Galliam fidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia vos Romanæ ecclesiæ membra estis, quæ in ea nuper acta sunt dilectioni vestræ significare curavimus. Si quidem post electionem nostram dominus imperator furtive et inopinata velocitate Romam veniens nos egredi compulit. Pacem postea minis et terroribus postulavit, dicens se facturum quæ posset nisi nos ei juramento pacis certitudinem faceremus. Ad quæ nos ista respondimus, “ De controversia quæ inter ecclesiam et regnum est, vel conventioni vel justitiæ libenter acquiescimus, loco¹ et tempore competentis, videlicet² vel Mediolani vel Cremonæ in proxima Beati Lucae festivitate, fratrum nostrorum iudicio vel consilio, qui a Deo sunt iudices in ecclesia constituti, et sine quibus causa hæc tractari³ non potest. Et quoniam dominus imperator a nobis securitatem quærit, nos verbo et scripto ista promittimus, nisi interim ipse impediatur. Alias enim securitates promittere, nec honestas ecclesiæ nec consuetudo est.” Ille statim, die videlicet post electionem nostram quadragesimo quarto, Bracarensem episcopum, anno præterito a domino prædecessore nostro Paschale papa in concilio Beneventi excommunicatum, in matris ecclesiæ invasionem ingressit. Qui etiam, dum per manus nostras olim pallium accepisset, eidem domino nostro et catholicis successoribus ejus, quorum primus ego sum, fidelitatem juravit. In hoc tanto facinore nullum de Romano clero, Deo gratias, imperator socium habuit, sed Guibertini soli, Romanus de Sancto Marcello, Centius qui dicebatur Sancti⁴ Grisogoni, et Euzo qui multo per Daciam tempore debacchatus est, tam infamem gloriam celebrarunt. Vestræ igitur experientiæ litterarum præsentium præcepto

MS. p. 297.

¹ loco] et loco, A.

² videlicet] On erasure in A.; probably to replace *scilicet*.

³ tractari] Changed from *pertractari* in A.

⁴ Sancti] Not in A.

A.D. 1118. mandamus, ut, super his communi per Dei gratiam deliberatione tractantes, ad matris ecclesiæ ultionem communibus, præstante Deo, auxiliis sicut oportere cognoscitis accingamini.

Data Caitæ xvii. Kal. Februarii.¹

Hæc ita Roma.

Death of
Queen
Matilda
[May 1st,
1118].

Treason of
Norman
subjects.

The Pope's
journey into
Burgundy.

Archbishop
Ralph sends
to the Pope.

His diebus gravi damno Anglia percussa est in morte reginæ. Defuncta siquidem est apud Westmonasterium Kal. Maii, et in ipso monasterio decenter sepulta. Quo autem iudicio Dei ignoramus, illico post hæc plures Normannorum quam regi juraverant fidelitatem postposuerunt, et in regem Franciæ principesque ejus, adversarios scilicet ipsius naturalis domini sui, non veriti justitiam, se transtulerunt. Unde quot et quanta mala emergerint, cogitatu, ne dicam dictu, scimus esse difficile. Inter quæ præfatus papa Gelasius per mare Burgundiam venit, et adventus ejus mox Galliæ toti innotuit. Excitati sunt quique potentes cum mediocribus ei occurrere, et certatim parabantur interesse concilio quod ipse disponebat se media quadragesima Remis celebraturum. Radulfus quoque archiepiscopus, audito papæ adventu, de Rotomago, ubi eoque morabatur, egressus impiger ei occurrere statuit. Sed ubi aliquantum itineris confecit, accepit a quibusdam ipsum papam longius discessisse, et versus Hispanias ire proposuisse. Unde ob laborem et prolixitatem difficilis viæ, consilio amicorum suorum, profectionem suam ab incepto rediens distulit, eandem, ut putabat, profectionem non multo post resumpturus, et ei Cluniacum venienti, auctore Deo, occursurus. Ratus tamen consilii fore destinavit ad eum legatos suos, qui et itineris illius certitudinem, et animi ejus qualitatem erga se, quidque de negotiis suis apud eum confidere posset, diligentius

MS. p. 298.

¹ See Preface.

investigarent. Quæ ubi Thurstano Eboracensi inno- A.D. 1118.
tuerunt, relicta Anglia, papam, ut sperabat, suæ causæ Thurstan, hoping to
gratia petiturus, mare transiit, et Rotomagum venit. see the
Ubi a rege quod se inconsulto transfretaverit redar- Pope, leaves
gutus, ultra procedere inhibitus est, donec certio- England,
rem de processu papæ sententiam edisceret. Sed evoluto but is de-
non multo temporis intervallo,¹ legati, quos archiepi- tained by
scopus destinaverat,² reversi nunciant se ad papam the King.
venisse, eumque multa nostris sæculis nova et inau-
dita proponentem facturum, morte preventum, et Clu-
niaci esse sepultum.

MS. p. 299.

Death of
Gelasius II.
[Jan. 29th,
1119.]

Itaque post hæc cardinales et alii Romani, qui pa- Election of
papam secuti Galliam venerant, sibi veluti a suis longe Calixtus II.
remoti consulentes, Guidonem Viennensem archiepisco- [Feb. 2nd,
pum, loci auctoritate et opibus fultum, quo tutiores in 1119].
aliena patria³ essent, loco defuncti papæ substituunt,
et, mutato nomine, Calixtum nuncupant. Dum hæc
ecclesiastica ita in Burgundia disponuntur, apostolatus
Romanæ ecclesiæ præfato Gregorio sedi Beati Petri
præsidente administratur. Super his ergo multis ru-
moribus Anglia concussa est, aliis hunc, aliis illum,
aliis neutrum ecclesiæ Dei jure prælatum asserentibus.
Galli tamen et rex Angliæ⁴ cum pontifice Cantuaria-
rum in Calixtum se transtulerunt, et eum, spreto
Gregorio, pro apostolico susceperunt. Utrum autem
aliqua vel a Calixto regi aut⁵ primati Anglorum, vel
ab istis illi mandata sint illis diebus, quæ authentica
et memoriæ digna extiterint necne, nulla nobis huc
usque certitudo illuxit. Nos enim qui his scribendis
operam dedimus in Anglia, illi vero de quibus agitur
extra Angliam ea tempestate morabantur. Cum enim

Eadmer had
meanwhile
returned to
England.¹ *intervallo*] spatio, A.² *destinaverat*] direxerat, A.³ *patria*] A. has *provincia*, and
over it *vel patria*.⁴ *Angliæ*] Anglorum, A.⁵ *aut*] et, A.

pater Radulfus Roma reversus cum rege Henrico in Normannia¹ conversaretur, et me, qui continuus comes Beati Anselmi dum viveret esse solebam, quique in obsequio sui ipsius ex quo in pontificatum Cantuariensem assumptus fuerat eoque assiduus eram, aliquantum infirmari adverteret, paterna affectu mihi condoluit. Non igitur extra ecclesiam in qua ab infantia nutritus fueram aliquo me mortis periculo premi ullatenus sustinens, Cantuariam mihi iri suasit ac persuasit, scribens pro bonitate sua conventui fratrum ecclesiæ nostræ epistolam hanc, et per suum nuncium dirigens.

Dilectissimis fratribus atque filiis, Conrado priori, cæterisque MS. p. 300. servis Dei qui sunt Cantuariæ in ecclesia Christi, fidelissimus eorum frater Radulfus, ejusdem ecclesiæ presbyter et minister devotus, salutem et amorem cum benedictionem Dei et sua.

Desiderio desideravi videre facies vestras, et eo amplius quod existimabam vos aliquatenus desolari super prolixitate morosæ peregrinationis meæ. Ad vos igitur venturus in brevi, præmitto vobis fratrem et amicum nostrum Domnum Edmerum,² omnium laborum et actuum nostrorum conscium et socium, qui cor nostrum vobis denudare funditus³ potest, et enucleatius omnia quæ circa me aguntur, quæque desiderii mei sint, revelare, quam alicui scripto credere judicaverim. Precor autem obnixius, ut gratias ei referre semel et sæpe reminiscamini pro servitio et honore quod mihi ex amore vero, ut vir prudens et perfectus, exhibuit; pro labore et onere quod sine murmure pro me mœstus, pro se vero nihil questus sustinuit. Mementote ergo ut illi parem gratiam referatis, ostendentes mihi amorem quem erga me habetis, servientes ei, et eum honorem et amorem impendentes quem mihi impendere cuperitis, scientes quoniam ejus absentiam ægre⁴ sustineo, sed terruit me quidam quasi ramusculus illius infirmitatis qua præterito anno vexatus est, cujus rei gratia eum præmittere coactus sum. Vos igitur

¹ *Normannia*] Normanniam, A.

² *Edmerum*] MS.

³ *vobis denudare funditus*] funditus vobis denudare, A.

⁴ *ægre*] egræ, MS.

curate ut sitis ei piissimi fratres et impigerrimi administratores omnium earum rerum quæ salutis suæ congrua et consequentia videritis. Valet nostris memores.

MS. p. 301.

Hanc epistolam non pro commendatione personæ meæ, quam nullius laude dignam certissime scio, hic notavi; sed ut iis¹ qui opinantur et obloquuntur, dicentes me patrem meum quasi in alieno positum deseruisse, et ei solatium obsequii mei more prolis adulterinæ subtraxisse, rem gestam simplici stilo describendo proponam. Et quidem, cum illum moram ultra condictum in redeundo facere viderem, profecto ad eum redissem, si ex sua parte interdictum mihi² non fuisset. Nam adventum suum jamjam instare suis in Anglia sæpissime mandans, nolebat me suæ pietatis intuitu fatigari, sed se quantocius, ut putabat, adventurum ubi eram jussit præstolari. Hæc ita se habuisse veritas ipsa novit. Quia ergo ab ipso patre non alio sed hoc modo ad præsens separatus sum, si ea quæ interim geruntur aut gesta sunt memoranda non scribo, nulli succensendum existimo. Nihil enim dubii pro certo hætenus volui, sed nec nunc quidem scribere volo. Eum tamen aliquid aut egisse aut agere disposuisse de negotio quod eoque versabatur inter ipsum et sæpe superius memoratum Thurstanum Eboracensem dubitare non possum. Magna siquidem instantia privilegium, quod tempore venerandæ memoriæ Lanfranci archiepiscopi sub magno rege Willelmo de ipsa re promulgatum, et sigillo ipsius regis firmatum in ecclesia Christi Cantuariæ diligenti cura servatur, illis diebus sibi mitti precepit. Quod a tanto viro ab re factum non facile crediderim. * Ipsum itaque pri-

The Canterbury privilege of 1072 sent to the Archbishop of Canterbury.

¹ iis] his, A.

² interdictum mihi] mihi interdictum, A.

* *Ipsum itaque . . . Went. con-*

sensit] Not in A. The following variants marked C.C. are taken from the documents preserved at Canterbury.

A.D. 1119. vilegium huic loco inserere mihi in animum venit, consideranti quæ et quanta dicantur a nonnullis dignitatem ecclesiæ Cantuariensis nescientibus, vel potius scire nolentibus, et quam ob rem primatum super ecclesiam Eboracensem sibi reclamet quasi stupentibus, ut habeant oculis præfixum unde amodo certi existant, quid cui harum ecclesiarum, remotis ambagibus, concedere non injuria debeant. Est igitur hoc.

MS. p. 302.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo septuagesimo secundo, pontificatus autem domni Alexandri papæ undecimo, regni vero Willelmi gloriosi regis Anglorum et ducis Northmannorum sexto, ex precepto ejusdem Alexandri papæ, annuente eodem rege, in præsentia ipsius et episcoporum atque abbatum ventilata est causa de primatu quem Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus super Eboracensem ecclesiam jure suæ ecclesiæ proclamabat, et de quorundam ordinationibus¹ episcoporum, de quibus ad quem specialiter pertinerent certum minime constabat. Et tandem aliquando diversis diversarum scripturarum auctoritatibus probatum atque ostensum est, quod Eboracensis ecclesia Cantuariensi debeat subjacere, ejusque archiepiscopi, ut primatis totius Britanniæ, dispositionibus in iis quæ ad Christianam religionem pertinent in omnibus obedire. Subjectionem vero Dunelmensis, hoc est Lindisfarnensis, episcopi atque omnium regionum a terminis Licifeldensis episcopi et Humbræ magni fluvii usque ad extremos Scotiæ fines, et quicquid ex hac parte prædicti fluminis ad parochiam Eboracensis ecclesiæ jure competit, Cantuariensis metropolitanus Eboracensi archiepiscopo ejusque successoribus in perpetuum obtinere concessit. Ita ut si Cantuariensis archiepiscopus concilium cogere voluerit, ubicunque visum ei fuerit, Eboracensis archiepiscopus sui præsentiam cum omnibus sibi subjectis ad nutum ejus exhibeat et ejus canonicis dispositionibus obediens existat. Quod autem Eboracensis archiepiscopus professionem Cantuariensi archiepiscopo facere etiam cum sacramento debeat, Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus ex

¹ *quorundam ordinationibus*] ordinationibus quorundam, CC. [Winchester and Windsor].

antiqua antecessorum consuetudine ostendit, sed ob amorem regis Thomæ Eboracensi archiepiscopo sacramentum relaxavit, scriptamque tantum professionem recepit; non præjudicans successoribus suis, qui sacramentum cum professione a successoribus Thomæ exigere voluerint. Si archiepiscopus Cantuariensis vitam finierit, Eboracensis archiepiscopus Doroberniam veniet, et eum qui electus fuerit cum cæteris præfatae ecclesiæ episcopis, ut primatem proprium, jure consecrabit. Quod si Eboracensis archiepiscopus obierit, is qui ei successurus eligitur, accepto a rege archiepiscopatus dono, Cantuariam vel ubi Cantuariensi archiepiscopo placuerit accedet, et ab ipso ordinationem more canonico¹ suscipiet. Huic constitutioni consenserunt prefatus rex et archiepiscopi, Lanfrancus Cantuariensis et Thomas Eboracensis, et ceteri qui interfuerunt episcopi.² Ventilata est autem hæc causa prius apud UUentanam civitatem in paschali solennitate, in capella regis³ quæ sita est in castello, postea in villa regia quæ vocatur Windlesor,⁴ ubi et finem accepit in præsentia regis, episcoporum, abbatum diversorum ordinum, qui congregati erant apud curiam in festivitate Pentecostes. † Signum Willelmi regis. † Signum Mahtildis reginæ. † Ego Hubertus sanctæ Romanæ ecclesiæ lector et domni Alexandri papæ legatus subscripsi. † Ego Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus subscripsi. † Ego Thomas Eboracensis archiepiscopus subscripsi. † Ego Willelmus Landoniensis episcopus consensi. † Ego Herimannus Siraburnensis episcopus subscripsi. † Ego Wulstanus UUigornensis episcopus subscripsi. † Ego Walterus Herefordensis episcopus consensi. † Ego Giso Wellensis episcopus consensi. † Ego Remigius Dorchasensis episcopus subscripsi. † Ego Walkelinus UUentanus episcopus subscripsi. † Ego Herfastus Helmeanensis episcopus subscripsi. † Ego Stigandus Cicestrensis episcopus consensi. † Ego Siwardus Hrofensis episcopus consensi. † Ego Osbernus Exoniensis episcopus consensi. † Ego Odo Baiocensis episcopus et comes Cantie consensi.

MS. p. 303.

A.D. 1119.

MS. p. 304.

¹ *more canonico*] canonico more, C.C. [Winchester and Windsor].

² *episcopi*] The Winchester document preserved at Canterbury ends

with this word, and is followed by nine signatures. See Preface.

³ *regis*] regia, C.C. [Windsor].

⁴ *Windlesor*] Windisor, C.C. [Windsor].

A.D. 1119. † Ego Goffridus¹ Constantiensis episcopus et unus de primatibus Anglorum consensi. † Ego Scollandus abbas cœnobii Sancti Augustini consensi. † Ego Elfuinus abbas cœnobii quod Ramesei² dicitur consensi. † Ego Ælnodus³ Gles-toniensis abbas consensi. † Ego Thurstanus abbas cœnobii quod in insula quæ dicitur Heli situm est consensi. † Ego Wlunoldus⁴ abbas cœnobii quod Certesei⁵ dicitur consensi. † Ego Elfuinus⁶ abbas cœnobii Heuesandi consensi. † Ego Fredericus abbas cœnobii Sancti Albani consensi. † Ego Goiffridus⁷ abbas cœnobii Sancti Petri quod non longe a Lundonia situm est consensi. † Ego Baldwinus⁸ abbas cœnobii Sancti Eadmundi consensi. † Ego Toroldus abbas de Burgo consensi. † Ego Adelelinus⁹ abbas Abbendonæ consensi. † Ego Rualodus abbas novi monasterii Wentoniæ consensi.†

Hoc itaque scriptum,¹⁰ ut diximus,¹¹ ad imperium suum sibi allatum pater Radulfus cum suscepisset, papæ, ut nobis in Anglia dicebatur, de suis et aliis quibusdam ecclesiasticis negotiis cum eo acturus se præsentasset, nisi forte sponsione regis Henrici qua, se in regnum suum reverso, omnem justitiam ei facturum et sæpe nominatum Thurstanum ad voluntatem et subjectionem suam se exhibiturum pollicebatur illo procedere detineretur. Et hæc quidem sponsio non-nihil eum in transmarinis partibus detinebat, et eventum rei patienter expectare persuadebat. Rex quoque

¹ *Goffridus*] Gosfridus, C.C.

[Windsor].

² *Ramesei*] Rammesei, C.C.

[Windsor].

³ *Ælnodus*] Elnodus, C.C.

[Windsor].

⁴ *Wlunodus*] Ulwoldus, C.C.

[Windsor].

⁵ *Certesei*] Certisei, C.C. [Wind-

sor].

⁶ *Elfwinus*] Elwinus, C.C. [Wind-

sor].

⁷ *Goiffridus*] Goisfridus, C.C.

[Windsor].

⁸ *Baldewinus*] Balduinus, C.C.

[Windsor].

⁹ *Adelelinus*] Adelelmus, C.C.

[Windsor].

* *Ipsum itaque . . . consensi*†

Not in A.

¹⁰ *scriptum*] privilegium, A.

¹¹ *ut diximus*] not in A.

bellicis tumultibus undique occupatus nec se ut volebat deliberare, nec, eis omissis, in Angliam, salva honestate sua, poterat remeare. A.D. 1119.

MS. p. 305.

Inter hæc ipso videlicet electionis suæ anno Calixtus papa instituit Remis generale concilium xiii. Kal. Novembris, qui fuit annus ab Incarnatione Domini millesimus centesimus nonus decimus, et ex quo Radulfus archiepiscopus Romam iturus Angliam exierat annus quartus. Ad hoc concilium factus est multiplex archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, et principum diversarum provinciarum concursus, cum numerosa clericorum ac plebum multitudine. Quos inter directi quoque sunt ab Henrico rege Anglorum ad ipsum concilium episcopi et abbates Normanniæ, et insuper episcopi Angliæ qui tunc temporis in Normannia cum illo degebant, Willelmus videlicet Exoniensis, Rannulfus Dunelmensis, Bernardus Meneuensis, et Urbanus Glamorgatensis. Radulfus¹ autem pontifex Cantuariorum partim corporis imbecillitate, partim aliis rationibus præpeditus, ab accessu ipsius conventus prohibitus est. Supranominatus autem Thurstanus a rege licentiam petens illuc eundi, eam obtinere nullatenus potuit, donec interposita fide² qua ei sicut domino suo astrictus erat illi promitteret, se apud papam nihil acturum unde ecclesia Cantuariensis ullum antiquæ dignitatis suæ dispendium incurreret, nec episcopalem benedictionem ab eo ulla ratione suadente susciperet. Itaque tali sponsione ligatus iter arripuit, et ad papam quemadmodum suo negotio expedire cognovit³ impiger venit. Quid plura? Posthabita fidei sponsione, Romanos in causam suam, quo in quæque negotia pertrahi solent largitatis officio, transtulit, et per eos ut a papa episcopus sacraretur

The Council of Rheims [Oct. 20th, 1119].

Thurstan is allowed to attend, in virtue of a promise to the King.

¹ Radulfus] Rannulfus, A.

² fide] fide sua, A.

³ cognovit] sciebat, A.

A.D. 1119. sua manu cooperante impetravit. Sane ante hæc nuncium suum rex ad papam direxerat, cautum illum faciens de querela quæ usque id temporis versabatur inter Radulfum archiepiscopum Cantuariorum et ipsum Thurstanum. Nuncius autem horum et executor fuit Siefridus,¹ cognomine Pelochinus, frater archiepiscopi, habitu monachus, ingenio gnarus, prudentia providus, et² regi ac papæ familiaritatis nexu copulatus. Igitur inter alia quæ huic rex papæ dicenda indixit præcipue jussit ei dici quatinus id observaret, ut nullius rei gratia³ interveniente Thurstanum aut ipse sacraret, aut ab aliquo nisi a pontifice Cantuariorum, uti moris esse solet, sacrari juberet aut permetteret; alioquin se illum in nullum suæ dominationis locum amplius recepturum. Et si contra hanc sententiam ipse quasi apostolatus sui auctoritate forte niti vellet, certus existeret, quia nec pro amissione coronæ suæ, utpote spatio septem annorum excommunicatus, propositum suum in hac causa permutaret. Respondit, "Ne putet rex me de negotio quo de agit quavis ratione secus acturum quam ipse velit. Nec enim me unquam ad hoc mea voluntas tulit,⁴ ut Cantuariensis ecclesiæ dignitatem, cui tot præclari patres, ut pene toti mundo notissimum est, præsederunt, quoquo modo humiliem." His apostolici verbis regius nuncius credulus effectus,⁵ de suæ legationis effectu securus factus est. Quapropter cum Remis venisset, et mane Dominici diei præcedentis diem præstituti concilii, cum Cantuaritis sociis suis,⁶ audiret apud Sanctum Remigium quosdam protestantes ei Thurstanum et suos alacres ad benedictionem pontificatus in sede episcopali preparari, miratus est ultra

The King's message to the Pope about the York business.

The Pope's reply.

MS. p. 306.

¹ *Siefridus*] Sieffredus, A.

² *et*] Not in A.

³ *rei gratia*] gratia rei, A.

⁴ *voluntas tulit*] tulit voluntas, A.

⁵ *effectus*] On erasure in A.

⁶ *sociis suis*] suis sociis, A.

modum, nec iis quæ dicebantur aliquatenus poterat fidem præbere. At ubi rei veritas palam innotuit, Johannes archidiaconus Cantuariensis, quem negotii istius tenor illuc adduxerat, papæ astitit, et in præsentia plurimorum episcoporum necne aliarum excellentium personarum ipsam benedictionem viva voce a pontifice Cantuariorum fieri debere calumniatus est, nec ipsum, licet officio papæ fungeretur, jure posse ecclesiæ Cantuariensi jus suum præripere, cum constaret eam nulli quod justus debebat eoque dene-gasse. Ad quæ ille respondens, "Nullam," inquit, "injustitiam ecclesiæ Cantuariensi facere volumus, " sed, salva justitia et dignitate illius, quod propo- " suimus exsequemur." Quod audientium quique mi- rum dictu judicaverunt, videntes eum adversa fronte quæ dicebat nimis injuste facto refellere. Consecratus namque in pontificatum Eboracensem Thurstanus est, fide quam domino suo sub Deo pollicitus fuerat hoc modo fraudatus. Ex quo facto in admirationem con- cussa sunt corda multorum. Rati enim sunt tantam rem eum nullatenus præsumere potuisse, si regiam voluntatem sibi consentaneam in ea non advertisset. Huic consecrationi cum ad jussum papæ plures e Gallia episcopi interessent, reverendæ memoriæ Hu- baldus archiepiscopus Lugdunensis nullo pacto, nec papa¹ jubente, voluit interesse,² perpendens non recto calle rem procedere, et horrens tantam injuriam ec- clesiæ Cantuariensi, cui speciali amicitia et fraterna familiaritate jungebatur, contra æquum infligi. Epi- scopi vero regni Anglorum, quos ad concilium a rege Henrico directos diximus, nondum illuc venerant; et ea re, illis absentibus, hæc ita completa sunt. Quæ ut regi certo innotuerunt, mandans modis omnibus Thurstano et suis interdixit redire in Angliam et

A.D. 1119.
The Pope
consecrates
Thurstan in
spite of
archdeacon
John's pro-
test.

The King's
loyalty is
suspected
by many.

MS. p. 307.

¹ papa] ipso papa, A. | MS. from *interesse voluit*. A. has
² voluit *interesse*] Changed in | *interesse voluit*.

A.D. 1119. Normanniam¹ et in omnem locum dominationis suæ. Ratum ex his quique audientium habuere præter consensum regis quæ fuerunt facta fuisse. Itaque post hæc Calixtus Gisortium venit, et rex Henricus illuc ei locuturus accessit. Acta igitur sunt multa inter illos,² quorum gratia par erat tantas personas convenisse. Inter quæ rex a papa impetravit ut omnes consuetudines quas pater suus in Anglia habuerat et in Normannia sibi concederet, et maxime ut neminem aillquando legati officio in Anglia fungi permetteret, si non ipse, aliqua præcipua querela exigente, et quæ ab archiepiscopo Cantuariorum cæterisque episcopis regni terminari non posset, hoc fieri postularet a papa.³ Quibus omnibus pro statu temporis definitis, papa rogat regem Thurstano amicum fieri, eumque pontificatui ad quem ipsum sacraverat pro amore suo restitui. At ille hoc se dum viveret non facturum in sua fide sponpondisse confessus est. Ait, “Ego MS. p. 308. “ apostolicus sum, et si feceris quod postulo ab hac “ te fidei sponsione absolvam.” “ Tractabo de his,” ait, “ et quæ consilii mei tenor invenerit paternitati “ tuæ notificabo.” Hinc a papa recessit, et ei per internuncios suos de negotio ita respondit, “ Quod dicat se, quoniam apostolicus est, me a fide quam “ pollicitus sum absoluturum, si contra eandem fidem “ Thurstanum Eboraci recepero, non videtur regiæ “ honestati convenire hujuscemodi absolutioni consentire. Quis enim fidem suam cuivis pollicenti amplius crederet, cum eam mei exemplo tam facili “ absolutione annihilari posse videret? Veruntamen “ quia Thurstanum in pontificatum tantopere petit admitti, quantum mea refert, ea conditione pro amore “ suo concedo, ut ipse primo Cantuariam veniat, et

The Pope and the King meet at Gisors.

The Pope begs Henry to reinstate Thurstan.

The King gives his reason for refusing.

The Pope offers him a release.

The King replies to the Pope.

¹ *Angliam et Normanniam*] Normanniam et Angliam, A.

² *illos*] eos, A.

³ *postularet a papa*] a papa postularet, A.

“ debitam obcedentiam ac subjectionem quam Thomas A.D. 1119.
 “ Girardus et alter Thomas ecclesiæ Cantuariensi ejus-
 “ que primati professi sunt, scripta ex more profes-
 “ sione, profiteatur. Quod si facere supersederit, sciat
 “ quia nullo edicto¹ compellente, me in Anglia reg-
 “ nante, Eboracensi² ecclesiæ præsidebit. Hoc siqui-
 “ dem me servaturum promisi, et fidem meam vadem
 “ posui ne aliquando fiam transgressor hujus pro-
 “ missi.” His ita de legatione Angliæ et pontifice
 Eboracensi determinatis, pater Radulfus Angliam re-
 vertitur, et Dofris appulsus cum summo honore et
 gaudio in sedem saum Cantuariæ ii. Non. Januarii
 recipitur. Anselmus autem, qui legatione Angliæ, ut
 descripsimus, gloriabatur, nec Angliam intrare nec
 aliquo legati officio fungi dignus habitus est. Itaque
 omnis hujusce potestatis exsors effectus, a Normannia
 est in sua regressus. Thurstanus vero papam secutus
 est, sed non diu ab eo ne ejus præsentia³ gravaretur
 detentus. Rex autem Henricus in sua sententia per-
 stans, eum nec pontificatui Eboracensi, nec in suæ
 potestatis aliquem locum admitti sinebat.

Archbishop
Ralph re-
turns to
Canterbury
[Jan. 4th,
1120].

Abbot
Anselm
leaves Nor-
mandy.

Thurstan is
not allowed
to enter his
province.

MS. p. 309.

* Inter hæc venit ad patrem Radulfum clericus qui-
 dam vocabulo David, electus a principe, clero et po-
 pulo Waliæ in pontificatum Pangornensis ecclesiæ,
 glorioso Anglorum rege Henrico electioni eorum con-
 sentiente. Direxerant autem illum ipsi Walenses cum
 litteris ad eundem patrem, in quibus quid super eo
 voluerint nosse volentibus satis elucebit. Textus si-
 quidem illarum hic est.

David, Bis-
hop-elect of
Bangor.

Radulfo Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopo, reverendo
 patri, Deo hominibusque dilecto, Criphinus et universus cle-
 rus totius Gualie et populus, orationes, devotiones, servitium
 et salutem.

¹ edicto] On erasure in A.

² Eboracensi] Eboraci, A.

³ ejus præsentia] præsentia ejus,

A.

* Inter hæc . . . Glamorgaten-
 sis†] Not in A.

A.D. 1120. Supplices et humi pedibus vestris prostrati paternitatem vestram deprecamur, ut electum nostrum consecretis citissime in episcopum, pro Dei amore et salute animæ vestræ; quia cum magna calamitate per multos annos caremus pastore, in quibus nec chrisma habuimus, nec aliquid Christianitatis vere. Vestrum est igitur succurrere nostræ ecclesiæ, quia filia est vestræ matris ecclesiæ. Et si nunc, quod absit, episcopum non habebimus ex vestra parte, quæremus aliquem de Hibernia insula, vel de alia aliqua barbara regione. In Deo crescat dignitas vestra.

Consecration of David, Bishop of Bangor [April 4th, 1120].

Hac precum instantia et rerum necessaria ratione permotus antistes, hominem benigne susceptum plurimis diebus secum decenter retinuit, et nonnullis quæ Divina sunt diligenter instituit. Deinde sacravit eum in pontificem apud Westmonasterium ii. Non. Aprilis, sumpta ab eo professione de subiectione et obœdientia sanctæ matri ecclesiæ Cantuariensi, et sibi et successoribus suis exhibenda. Huic consecrationi interfuerunt et cooperatores extiterunt suffraganei ecclesiæ Christi Cantuariensis, Ricardus videlicet episcopus Londoniensis, Robertus Lincolniensis, Rogerius Serberiensis, et Urbanus Glamorgatensis.†

The primacy of the see of Canterbury.

His diebus excitata est sollicitudo multorum ad investigandum auctoritates et antiqua privilegia primatus quem ecclesia Cantuariensis, quæ est Dorobernensis, sibi vindicat super ecclesiam Eboracensem. Quod ea re maxime contigit, quia causa, quæ inter Radulfum pontificem Cantuariorum et Thurstanum Eboracensem eousque, ut descripsimus, versabatur, in notitiam transmarinorum episcoporum delata fuerat, ipso Thurstano propugnationem eorum sibi contra patrem Radulfum modis omnibus asciscente. Et illi quidem, utpote consuetudinum et privilegiorum ecclesiæ Christi Cantuariensis ignari, immoderatus Thurstano favebant, autumantes, ut ipse ferebat, Radulfum vi magis ex divitiarum copiis prodeunte, quam prisæ auctoritatis et Romanorum pontificum privilegiis in suis assertio-

M.S. p. 310.

* *Inter hæc . . . Glamorgatensis†*] Not in A.

nibus niti. Sed cum ad hæc diceretur in vanum tale quid opinari, et satis sufficere ad determinationem hujus discidii quæ a tempore Willelmi regis,¹ qui armis Angliam cœperat, de ipso negotio gesta sunt, præsertim cum a diebus regni ejus pœne cuncta quæ ab Anglis antiquitus quasi sacrosancta celebrabantur, nunc vix postremæ auctoritatis quorundam judicio habeantur, "Non hinc," aiunt, "ita est; immo nova quæ istis temporibus inferuntur antiquorum scriptorum " astipulationibus ut rata sint necesse est fulciantur." Ex his ergo ad hæc investiganda multorum sollicitudo, ut diximus,² evigilavit, et confisa justitiæ ecclesiæ Dei,³ antiquorum scriniorum abdita, sacrorum evangeliorum volumina, soli decori domus Domini eatenus inservientia, diligentius perscrutata est. Ecce autem ut voluntas justii amans optato effectu non privaretur, quæ subscribimus, revelante Deo, privilegia quædam reperta sunt, firma undique et apostolica auctoritate subnixa. Sunt autem hæc.

A.D. 1120.

Documents in justification brought to light.

Bonifacius papa, Æthelberto regi Anglorum.

MS. p. 311. ⁴ Domino excellentissimo atque præcellentissimo filio, regi Anglorum Æthelberto, Bonifacius episcopus, servus servorum Dei.⁴ Letter of Boniface IV. [A.D. 615.]

Dum Christianitatis vestræ integritas ita circa Conditoris sui cultum excreverit ut longe lateque resplendeat, et in omni mundo annuntiata vestra Deo dignæ operationis augmenta referat, enormes largitori omnium bonorum Deo grates exsolvimus⁵ qui * vos de excelso prospexit, et in tanto virtutum culmine erexit. Quapropter, gloriose fili, quod ab apostolica sede per coepiscopum nostrum Mellitum postulastis

¹ *Willelmi regis*] regis Willelmi, A.

² *multorum . . . diximus*] In margin, and crowded, in A.

³ *justitiæ ecclesiæ Dei*] ecclesiæ Dei justitiæ, A.

⁴ *Domino . . . Dei*] Not in A.

⁵ *exsolvimus*] exsolvimus et cetera, A.

* *qui vos . . . xv.†*] Not in A.

libenti animo concedimus, id est ut vestra benignitas in monasterio in Dorobernensi civitate constituto, quod sanctus doctor vester Augustinus beatæ memoriæ Gregorii discipulus Sancti Salvatoris nomini consecravit, cui ad præsens præesse dinoscitur dilectissimus frater noster Laurentius, licenter per omnia monachorum regulariter viventium habitationem statuât, apostolica auctoritate decernentes, ut ipsi vestræ salutis prædicatores monachi monachorum gregem sibi associent, et eorum vitam sanctitatum moribus exornent. Quæ nostra decreta si quis successorum vestrorum, regum sive episcoporum, clericorum sive laicorum, irrita facere temptaverit, a principe apostolorum Petro, et a cunctis successoribus suis anathematis vinculo subjaceat, quoadusque quod temerario ausu peregit Deo placita satisfactione pœniteat, et hujus inquietudinis veram emendationem faciat. In Christo valeas, domine fili. Missa per manum Melliti Lundoniensis episcopi, anno Dominicæ Incarnationis sescentesimo xv.†

Bonifacius papa Justo archiepiscopo Dorobern.

¹ Dilectissimo fratri Justo, Bonifacius episcopus, servus servorum Dei.¹

Letter of
Boniface V.
to Arch-
bishop
Justus.
[A.D. 625 ?]

Susceptis vestræ dilectionis apicibus, in quibus repperimus, inter alia, plurimos ex gentilitate ibidem degentium, Deo omnipotenti et Domino nostro Jesu Christo auxiliante, conversos, maxime autem in partibus Cantiaë ad vera Dei vestri² fidem vestris laboribus perductos; valde gratulati sumus. * Eadbaldi quoque regis animum ad veræ agnitionis MS. p. 312. viam esse correctum, Deum omnipotentem in id laudavimus, qui sui nominis sacramentum vestrique laboris fructum non deseruit, sicut ipse prædicatoribus evangelii veraciter reppromisit, "Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad "consummationem sæculi." Multa est clementia apud Deum, multa est in vobis demonstrata; cum aperiantur corda barbararum gentium ad suscipiendum prædicationis vestræ sin-

* qui vos de excelso . . . xv.†] Not in A.

¹ Dilectissimo . . . Dei] Not in A.

² vestri] nostri, A.

* Eadbaldi . . . reverendissime frater†] Not in A.

gulare mysterium. Ut enim proficerent, vestris meritis est eorum salvatio propinata, Domino dicente, "Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit." Et alibi, "Consummata operis vobis merces a retributore omnium bonorum Domino tribuetur." Cognovi siquidem in vestris syllabis, ut sanctæ recordationis prædecessor noster Gregorius constituit Augustino et omnibus successoribus suis in posterum metropolitanam et primitivam sedem in civitate Dorobernia, ubi caput totius gentis Anglorum a diebus paganorum habetur. At vero nunc per revelationem Jesu Christi, qui est origo et caput Christianitatis, eadem civitas exaltatur, et orthodoxa fides quæ est radix nobilissima ibidem collocatur, ut ex illa segete uberrimum fructum boni operis ad pabulum cælestis patriæ omnes insulani metiri queant. O quam felix illa civitas, quæ meruit in se Christum habitatorem habere, expulsis antiqui hostis insidiis; felix illa civitas; felix et tota gens cum illos superna misericordia visitare non dedignata sit, quos ante mundi creationem prædestinaverat sibi sociare. Qua ex re absit ab omni Christiano ut ex illa civitate Dorobernia aliquid minuatur; aut in aliud mutetur nunc vel futuris temporibus, quæ a prædecessore nostro domino papa Gregorio statuta sunt, quoquomodo res humanæ quassentur. Sed magis ex auctoritate Beati Petri apostolorum principis idipsum præcipientes firmamus, ut in Dorobernia civitate semper in posterum metropolitanus totius Britanniae locus habeatur, omnesque provinciæ regni Anglorum ut præfati loci metropolitanæ ecclesiæ subjiciantur, immutilata perpetua stabilitate decernimus. Hanc autem ecclesiam, utpote specialiter consistentem sub potestate et tuitione sanctæ Romanæ ecclesiæ, siquis conatus fuerit imminuere, eique de concessæ potestatis jure quicquam abstulerit, auferat eum Deus de libro vitæ, sciatque se sub anathematis vinculis esse nodatum. Deus te incolumem custodiat, reverendissime frater.†

MS. p. 313.

Honorius papa, Honorio archiepiscopo Doroberniæ.

Dilectissimo fratri Honorio, Honorius episcopus, servus servorum Dei.

Susceptis vestræ dilectionis litteris, in eis reperimus vestri laboris sollicitudinem circa vobis commissum gregem

Letter of Honorius I. to Archbishop Honorius. [A.D. 628?]

* *Eadbaldi quoque regis . . . frater†*] Not in A.

multa fatigatione occupatam,¹ multo* labore et angustia, crebrescentibus malis et mundanis usibus, mentis vestrae difficultatis sæpius sustinere gravitatem. Nos vero hortamur vestram dilectionem, ut opus evangelii quod coepistis teneatis, quia in eo tibi laborandum atque perseverandum magis quam omittendum necesse est. Memento evangelici precepti quo dicitur, "Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos." Et item in apostolo, "Fratres, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini, semper scientes quod labor vester non est inanis in Domino." Ideo suppliciter vestram dilectionem admonemus ut fide et opere, in timore Dei et caritate, vestra adquisitio, decessorumque vestrorum, quæ per domni Gregorii exordia pullulat, convalescendo amplius extendatur, ut ipsa promissa Dominici eloquii vos ad æternam festivitatem evocet quæ dicit, "Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos." Et iterum, "Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui." Interea tuæ sedis auctoritatem nostræ auctoritatis privilegio firmari postulasti. Nos vero absque ulla dilatione gratuito animo annuentes, quia rectum est ut quæ semel statuta atque disposita a predecessoribus nostris cognovimus, hoc ipsum et nos confirmemus. Eorum itaque vestigia assequentes juxta ritum priscae consuetudinis, quæ a temporibus sanctæ recordationis Augustini predecessoris vestri nunc usque tua ecclesia detinuit, ex auctoritate Beati Petri apostolorum principis primatum omnium ecclesiarum Britannia tibi, Honorio, tuisque successoribus in perpetuum obtinere concedimus. Tui ergo jurisdictioni subjici præcipimus omnes ecclesias Angliæ et regiones, et in civitate Dorobernia metropolitanus locus et honor archiepiscopatus, et caput omnium ecclesiarum Anglorum populorum semper in posterum servetur, et a nulla persona per aliquam malam suasionem in alium locum mutetur. Aliter autem si quis fecerit typho³ superbiæ instinctus, et nostræ præceptioni inobediens, et prænominatæ ecclesiæ concessis suæ dignitatis rationibus contenderit reni-

¹ occupatam] occupatam. Et cetera, A.

* multo . . . dilectissime frater] Not in A.

³ typho] typo, MS.

ti, sciat se separatam a participatione Corporis et Sanguinis Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.†

*Vitalianus papa Theodoro archiepiscopo Dorobernio.*¹

²Delectissimo fratri Theodoro, Vitalianus episcopus servus servorum Dei.²

Letter of
Pope Vi-
talian to
Archbishop
Theodore.
[A.D. 670 ?]

MS. p. 315.

Inter plurima quæ nobis per vestras syllabas³ intimari jussisti cognovimus etiam desiderium vestrum pro confirmatione diocesis⁴ quæ tuæ subjacet ditioni, quia in omnibus ex nostro apostolicæ auctoritatis privilegio splendescere desideras.⁵ *Nos vero petitioni vestræ annuentes qua congruit pastoralis sollicitudine, circa ecclesias Dei quæ a priscis temporibus ab hac apostolica sede statuta intelligimus, irrefragabili ratione volumus ut sicut a nobis ita et a nostris successoribus perpetua stabilitate muniantur. Unde nobis visum est te exhortari, ac in præsentis commendare tuæ sagacissimæ sanctitati omnes ecclesias in insula Britannia positas. Omnia ergo quæ a Sancto Gregorio predecessore nostro Augustino, sincello suo, statuta sunt atque firmata, vel etiam per sacrum usum pallii concessa, nos tibi in ævum concedimus; et Doroberiam civitatem, ubi primitus per revelationem Jesu Christi Domini nostri fides catholica secundum institutionem sacrorum canonum suscepta est, habetote. Ex auctoritate autem Beati Petri, apostolorum principis, cui a Domino Deo potestas data est ligandi atque solvendi in cælo et in terra, nos, licet immeriti, ejusdem Beati Petri clavigeri, regni cælorum vicem tenentes, tibi, Theodore, tuisque successoribus sicuti ab olitanis temporibus fuerunt condonata, ita in perpetuum in ipsa tua metropolitana sede, quæ sita est in civitate Dorobernia, immutilata concedimus detinenda. Siquis vero, quod non optamus, contra hanc nostræ apostolicæ diffinitionis privilegii auctoritatem venire temptaverit, si quidem episcopus vel presbyter aut diaconus fuerit, ex hac apostolica auctoritate statuimus

* *multo labore . . . frater*†] Not in A.

¹ *Dorobernio*] Cant., A.

² *Dilectissimo . . . Dei*] Not in A.

³ *syllabas*] sillabas, MS.

⁴ *diocesis*] diocesis vestræ, A.

⁵ *desideras*] desideras. Et cetera, A.

* *Nos . . . dilectissime frater* †] Not in A.

atque decernimus, ut episcopus ordine præsulatus careat, et presbyter vel diaconus se noverint a suis ordinibus dejectos. Ex numero autem laicorum, tam ex regibus quam principibus, sive magna vel parva persona fuerit, sciat se alienum a participatione Corporis Domini nostri Jesu Christi. Hanc autem privilegii paginam suffultam auctoritate Beati Petri, apostolorum principis, cujus ministerio fungimur, tibi, Theodoro, tuisque successoribus in perpetuum obtinendum delegamus. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.†

Sergius papa regibus Anglorum.

Letter of
Sergius I.
[A.D. 688?] et

Sergius episcopus servus servorum Dei, Athelredo, Alfrido,
et Aldulfo regibus Anglorum.

MS. p. 316.

Donum gratiæ spiritualis quod Sancti Spiritus illustratione fidelium corda succendit, ac reparando reficit, et virtutis mirifice constantia roborat, et cælestium beneficiorum instituit perenniter promereri suffragia, et labentium rerum exitia nihilominus præcavere. * Quo usi munere pietatis Dei, ut quædam astrorum cælestium splendifera luminaria mundi totius per ambitum renitentes, gloriosi post vitæ præsentis felicia spatia inter numerum electorum meruerunt ascribi. Porro vos, gens sancta, genus electum, populus acquisitionis, filii lucis, stirps regia, fidei propago ac incrementa virtutum, gaudete in Domino et exultate, quod vestri non immemor studii egregius ac primus apostolorum Petrus, fidei firmissima petra, dum mentis ac conscientiæ vestræ censu lætatur, nominum quoque vestrorum reminiscitur et agnoscit. Confidimus nempe quod et aditum regni cælestis aperiat, quibus tantum inter gentes quibus, Deo auspice, præpolletis favorem contulit dignitatis. Et vos igitur, dilectissimi ac Christianissimi filii, ejus vobis auctoritate collatum antistitem Bertwaldum, Cantiaë sedis præsulem totiusque Britanniaë regionis primum pontificem, alacri pectore, menteque devota suscipite, scientes quod mercedem prophetæ recipiet, si quis hunc ut prophetam suscipiat. Et si spernere illum forsitan, quod absit, fastu quisquam prosiliat, non eum sed a quo missus est spernet. Qui juxta Dominicam vocem spernens, absque ullo adminiculo condem-

* nos vero . . . frater] Not in A. | * Quo . . . judicii reformari †] Not in A.

nabitur. Procul ergo a vobis longeque talis absistat infanda temeritas, ne diram hostis antiquus inobediendiæ faciem in vobis inveniatur, quos sancta Dei ecclesia in gremio filiorum adoptionis sociare dignata est. Optamus autem quo solita misericordia Dominus noster Jesus Christus faciat vos ineffabiliter ministerii ac regni culminis honore, et in examine futuri iudicii reformari.†

MS. p. 317.

*Sergius papa*¹ *episcopis Angliæ.*

²Dilectissimis fratribus universis episcopis per Britanniam constitutis, Sergius.²

Letter of
Sergius I.
[A.D. 693 ?]

Sicut nobis quibus curam officii pastoralis beati apostolorum principis Petri, supernæ dignatio miserationis regimenque concessit, reverendam advexit præsentiam fratris ignoti,³ ita quoque vestri religiosissimi præsulatus collegii agnita salus geminum attulit tripudii munus.⁴ Nam omnium auctori honorum Domino Deo nostro immensas peregrimus⁵ gratias, reperta fratrum fidelium in sinu sanctæ matris ecclesiæ unanimitatis devota constantia, et amoris fervente inter se dilectionisque consortio. Sic enim sagaci sollertia Deum complacere noscuntur offerentes ei pura libamina, cum in ara pectoris splendore veri luminis refoventes nullis illecebris mentem illudant, nullis fratrum stimulis corda percillant, nullis nocentibus proximis mentibus annuant, sed ut Dei ministri speculum se subjectis vitæ morumque probitate exhibeant. Hinc sibi Deum prosperantem invenient in adversis, nec quicquam poterit hostis insidia eis nocendi subripere. Etenim ubi est præsto Domini adjutorium cuncta fugatur spirituum malignorum adversitas. Cumque ita sit,⁶ paternis* affatibus collætantes vestræ fraternæ dilectionis unanimi religiositati insinuamus vobis quod

* Quo usi . . . reformari†] Not in A.

¹ *Sergius papa*] Idem papa, A.

² *Dilectissimis . . . Sergius*] Not in A.

³ *fratris ignoti*] Moved from an earlier part of the sentence, where

they are evidently out of place. In MS. they follow *Sicut nobis*.

⁴ *tripudii munus*] munus tripudii, A.

⁵ *peregrinus*] peregrinus, A.

⁶ *sit*] sit & cetera, A.

* *paternis . . . fratres†*] Not in A.

præsens dilectissimus frater noster Bertuualdus Cantuariorum provinciæ præsul, qui in sedem reverendæ memoriæ Theodori quondam archiepiscopi subrogatus est, juxta ritum priscae consuetudinis, quæ a tempore sanctæ ac venerandæ memoriæ domni et prædecessoris nostri Gregorii Romani pontificis nunc usque sua ecclesia detinuit, a nobis, immo a Beato Petro apostolorum principe, primatum omnium ecclesiarum Britanniæ sortitus, cum sacro pallio ac venerabili usu MS. p. 318. dalmaticæ illic demandatus est. Quod non incommode, fratres carissimi, indeptus promeruit, cum nequaquam fastu sive tumore jactantiæ, sed mente subnixa ac humili corde tantum munus dignus obtinuit. Quocirca hortamur, fratres, vestrum a Deo dicatum consortium, salubrique consilio commonemus, ut propter Dei amorem atque futuræ vicissitudinis spem eidem fratri regionis vestræ archiepiscopo, ac si nobis debitum ministerii honorem exolvere, et ut præsuli primatum gerenti efficaciter sciatis obedire, non ignari quid vas electionis insinuet, "Obæditæ præpositis vestris." Et rursum, "Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit." Ideoque vos, fratres, admonemus, universosque ordinum gradus, præcipientes ex hac apostolica auctoritate, ut nullus sit qui præsumat contra hæc quæ ab hac apostolica sede olim sunt constituta, præsentibus vel futuris temporibus, contraire, semper præmemorata ecclesiæ concessæ potestates illibatae serventur in perpetuum. Et quia vos, annuente Divina clementia, hæc peracturos indubitata mente confidimus, quæ commonere statuimus fraternitatis vestræ religiosum propositum, ineffabilem Salvatoris nostri potentiam exoramus, ut pia vos semper religione pollentes perenni tribuat lætitia gratulari, et fraternis affectibus collætantes sanctorum meritis in æterna beatitudine sociari. Deus vos incolumes custodiat dilectissimi fratres.†

Gregorius papa episcopis Angliæ.

Letter of
Gregory III.
[A.D. 732?] ¹ Gregorius episcopus servus servorum Dei, episcopis Angliæ salutem.¹

Dei omnipotentis immensæ pietatis magnitudinem collaudamus, qui suæ majestatis gloriam sic dilatare dignatus est,

* *paternis affatibus . . . fratres†*] | ¹ *Gregorius . . . salutem*] Not
Not in A. | in A.

ut in omnem terram exierit jam sonus predicatorum suorum, et in fines orbis terræ verba eorum.¹ Cujus* ineffabili pietatis gratia, sicut noscitur procreati, ita quoque sumus adoptati, sanctæ regenerationis portantes mysterium in spem gloriæ filiorum Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum. Reverentiæ itaque vestræ, fratres carissimi, dicato collegio, collatantes, hortamur ut in fide stabiles et in opere efficaces inveniamini, honore invicem prævenientes, et alter alterius onera portantes; quia sic adimplebitis legem Christi, caritatem continuam habentes in dilectione Dei et proximi, sine qua impossibile est Deo placere. Fratris nostri Tatwini qui beatæ memoriæ Augustini prædicatoris vestri cathedræ pontificatus subrogatus est adventus nos admodum lætificavit, quia virum religionis et magnæ probitatis sub ipso tempore quo apud nos stetit eum cognovimus. Proinde ejus auditis petitionibus, antecessorum ejus jura dignitatis perquiri in sacro scrinio fecimus, et, inveniētes eum justa postulavisse, sacrum pallium cum venerabili dalmaticæ usu ei apostolica auctoritate tradidimus, annuentes quoque jura dignitatis omnia quæ prædecessores sui a tempore beatæ memoriæ Augustini cognoscuntur habuisse. Sicut ergo sancti patris nostri Gregorii, Romani pontificis, decretum præfato Augustino sincello suo, prædicatori vestro, omnes episcopos Angliæ subjecit, sic nos, Deo auctore, et Beato Petro apostolorum principe, licet indigni ejus vicem gerentes-tibi, Tatwine, Doroberniæ civitatis archiepiscopo, tuisque successoribus legitimis omnes ecclesias Britanniæ earumque rectores subjicimus, apostolica auctoritate præcipientes, ut omnis homo totius Angliæ regionis tuis canonicis jussionibus obœdiat, et te sciat esse speculatorem atque primatem totius insulæ, cui vices nostras per omnia in regione illa gerendas commisimus. Tuam autem ecclesiam Doroberniæ constitutam ut propriam et primam sobolem regionis vestræ in Christo specialiter sub tuitione manus nostræ tenemus, quam volumus in pacis tranquillitate et religione vigere, ejusque jura et dignitatis privilegia in perpetuum immutilata servari, quia prima et mater est aliarum omnium, primitus in vestra regione constituta in honore Sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi. Scriptum est enim, "Non est sanctus ut est Dominus," et "Ubi est caput vegetum, reliqua membra fortius

MS. p. 319.

MS. p. 320.

¹ eorum] eorum & cetera, A.

* Cujus . . . dilectissimi fratres†] Not in A.

“vegetantur.” Vos itaque, fratres, hæc apostolicæ auctoritatis mandata cum alacritate et subjectionis reverentia audite et suscipite, et cum præfato fratre nostro archiepiscopo vestro in messe Dei laborate, scientes vos inde mercedem bonam habituros. Si autem quis hæc perturbare voluerit, et nostræ diffinitionis statuta divellere contenderit ac violare, sciat se contra ipsum mundi Salvatorem et Beati Petri auctoritatem niti, et ideo nisi resipuerit æternæ damnationis sententiam incurrere. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi fratres.†

Leo papa Athelardo archiepiscopo.

Letter of
Leo III. to
Archbishop
Athelard
[Jan. 13th,
802].

Leo episcopus, servus servorum Dei, Athelardo archiepiscopo Dorobernensis ecclesiæ in perpetuum.²

Pontificali discretioni precipue convenit præsulibus ecclesiarum secundum eorum irreprehensibilem fidem audientiam præbere, et eorum quæ per Beatum Petrum, principem apostolorum, et nos gerere desideraverint, quæ canonicis non refragantur sanctionibus effectum concedere. * Ut cum id quod desiderant obtinuerint, flagrantiores erga eorum religionis amorem existant. Exhortanda itaque nobis visa est ac precanda tua fraterna almitas pro diocesis Angliæ sibi commissis, videlicet episcoporum seu monasteriorum tam monachorum quam clericorum et puellarum. Quæ sicut ab olitanis temporibus tua ecclesia tenuit, ut in sacro scrinio nostro requisita cognovimus, ita tibi tuisque successoribus tenenda confirmamus. Omnes Anglorum ecclesias sanctus ac egregius prædicator papa Gregorius ordinavit atque catholice confirmavit Beato Augustino archiepiscopo, sincello suo, subjectas fore in ævum per sacrum usum pallii. Et ideo ex aucto- MS. p. 321.
ritate Beati Petri, apostolorum principis, cui a Domino Deo potestas data est dicente, quia “Tu es Petrus, et super hanc
“petram edificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non
“prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cælo-
“rum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum

* *Cujus ineffabili . . . fratres†*] Not in A.

† *Leo . . . perpetuum*] Not in A.

* *Ut cum id . . . hoc est†*] Not in A.

“ et in cælis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in cælis ”; immo et secundum institutam sacrorum canonum censuram, licet immeriti, ejusdem Beati Petri clavigeri regni cælorum vicem gerentes, tibi, Athelarde, tuisque successoribus omnes Anglorum ecclesias, sicut a priscis temporibus fuerunt, in perpetuum in ipsa tua metropolitana sede per subjectionis cognitionem irrefragabili jure concedimus detinendas. Siquis vero, quod non optamus, contra hanc nostræ diffinitionis vel apostolici privilegii auctoritatem venire temptaverit, ex auctoritate apostolica statuimus, ut si archiepiscopus vel episcopus fuerit ex ordine præsulatus sit dejectus. Similiter presbyter vel diaconus vel alius quilibet minister sacri ministerii si fuerit, ab ordine sit depositus. Si autem ex numero laicorum fuerit, tam rex quam princeps, aut quælibet magna sive parva persona sit, sacræ communionis participatione se noverit alienum. Hanc privilegii paginam auctoritate Beati Petri, apostolorum principis, cujus ministerio fungimur, tibi, Athelarde, tuisque successoribus in perpetuum concedimus obtinendam. Ad cujus firmitatem manibus nostris subscriptionem impressimus, illamque nomine nostro signari mandavimus. Quam etiam a Sergio scriniario nostro scribi præcepimus, mense Januario.

Data xv. Kal. Februarii per manum Eustachii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domino Karolo piissimo, consule augusto a Deo coronato, magno pacificoque imperatore, anno secundo post consulatum ejusdem domini, indictione X.

MS. p. 322.

MEMORABILE FACTUM.¹

Anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo v. Formosus² papa misit in terram Anglorum ad regem Edwardum, motus cum magna iracundia et devotatione, eique mandavit cum suis omnibus maledictionem contra benedictionem quam beatus papa Gregorius per Sanctum Augustinum genti

¹ MS. Cotton. Cleopatra E. i. has an erased line, where here we read “Memorabili factum.”

and King Edward in 900. A probable emendation of *nongentesimo quinto* would be *quinto de nongentesimo*, i.e., 895.

² Pope Formosus died in 896,

Anglorum miserat, nisi cum episcopis restituisset destitutas parochias episcoporum secundum antiquam traditionem, quæ tradita est genti Anglorum a sede Beati Petri. Nam per septem annos plene destituta est regio Gewissorum ab omni episcopo. Quo audito, congregavit Eduuardus rex synodum senatorum gentis Anglorum. In qua præsidebat Pleigmundus archiepiscopus, regi recitans et disputans districta verba apostolicæ legationis, quæ misit beatus papa Formosus. Tunc sibi rex cum suis, et Pleimundus archiepiscopus, salubre consilium invenerunt, assumentes Dominicam sententiam, "Mensis quidem multa; operarii autem pauci." Singulis igitur tribus Geuissorum singulos constituerunt episcopos, et singulis episcopia constituerunt. Et quod dudum duo habuerunt, in quinque diviserunt. Acto illo concilio, cum honorificis muneribus Pleimundus archiepiscopus Romam rediit, apostolicum Formosum cum humilitate placavit, et regis decreta et seniorum regionis enunciavit, quod apostolico maxime placuit. Rediens ad patriam, in urbe Dorobernia septem episcopos septem ecclesiis in uno die ordinavit, Frithestanum videlicet ad ecclesiam Uventoniensem, Æthelstanum ad ecclesiam Coruuiensem, Werstanum ad ecclesiam Scireburhensem, Æthelrum ad ecclesiam Fontoniensem, Eadulfum ad ecclesiam Cridiensem. Cui etiam addiderunt tres villas in Cornubia, quarum nomina sunt hæc, Paltun, Celling, Landuitham, ut inde singulis annis visitaret gentem Cornubiensem ad extirpandos eorum errores. Nam antea in quantum potuerunt veritati resistebant, et non decretis apostolicis obœdiebant. Sed et aliis provinciis constituit Pleimundus archiepiscopus duos episcopos, Australibus Saxonibus virum idoneum Bernodum ordinavit, et Mercionibus Cenulfum ad civitatem quæ dicitur Dorkecastre. Hoc autem totum papa Formosus in synodo Sancti Petri sic conclusit, ut damnaretur in perpetuum, qui hoc salubre mutaret consilium. Misit etiam Britanniam litteras, quarum exemplar hoc est.†

* *Ut cum* (p. 270) . . . *hoc est*] Not in A.

Formosus episcopus Angliæ.

Fratribus¹ et filiis in Christo omnibus episcopis Angliæ, Letter of Pope Formosus. [A.D. 895?]
Formosus.

Auditis nefandorum ritibus paganorum partibus in vestris² repullulasse, et vos tenuisse silentium ut canes non valentes latrare, gladio separationis a corpore Dei ecclesiæ vos ferire deliberavimus,³ *sed quia, ut nobis dilectus frater noster Pleimundus intimavit, tandem evigilastis et semina verbi Dei olim venerabiliter jacta in terra Anglorum cœpistis renovare, mucronem devotionis retrahentes, Dei omnipotentis et Beati Petri, apostolorum principis, benedictionem vobis mittimus, orantes ut in bene cœptis perseverantiam habeatis. Vos enim estis fratres, de quibus Dominus loquens inter alia inquit, "Vos estis sal terræ, et si sal evanuerit in quo "sallietur?" et iterum "Vos estis lux mundi," significari volens per verbi sapientiam condiri mentes hominum a vobis debere, et in moribus et vita vestra bonæ actionis studium quasi lumen apparere fidei, per quod gradientibus ad vitam quomodo caute ambulent videant, ut ad promissionem æternæ beatitudinis sine offensa currentes valeant pervenire. Nunc ergo accingimini et vigilate contra leonem, qui circumit quærens quem devoret, et non patiamini ulterius in regione vestra penuria pastorum Christianam religionem violari, gregem Dei vagari, dispergi, dissipari; sed cum unus obierit, alter qui idoneus fuerit canonicè protinus subrogetur. Nam secundum legem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohibebantur permanere. Quod David considerans, et in spiritum Christi ecclesiam futuram fore permanuram ad finem usque sæculi prospiciens, ait, "Pro patribus "tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes." Nulla itaque mora sit subrogandi alium cum quilibet sacerdotum ex hac vita migraverit, sed mox ut illi qui primæ sedis principatum gerens inter vos cæteris episcopis præesse dinoscitur fratris obitus fuerit denuntiatus, facta electione canonicè alter consecratus succedat. Quis autem inter vos

MS. p. 324.

<p>¹ <i>Fratribus . . . Formosus</i>] Not in A.</p> <p>² <i>partibus in vestris</i>] in vestris partibus, A.</p>	<p>³ <i>deliberavimus</i>] deliberavimus. Et cetera, A.</p> <p>*<i>sed quia . . . separandum</i>] Not in A.</p>
--	--

principatum tenere debeat, quæve sedes episcopalis cæteris præpolleat habeatque primatum, ab olitanis temporibus notissimum est. Nam ut ex scriptis Beati Gregorii ejusque successorum tenemus in Dorobernia civitate metropolim primamque sedem episcopalem constat regni Anglorum, cui venerabilis frater noster Pleimundus nunc præesse dinoscitur, cujus honorem dignitatis nos nullo pacto imminui permittimus, sed ei vices apostolicas per omnia gerere mandamus, et, sicut beatus papa Gregorius primo gentis vestræ episcopo Augustino omnes Anglorum episcopos esse subjectos constituit, sic nos prænominato fratri Doroberniæ, sive Cantorberniæ, archiepiscopo ejusque successoribus legitimis eandem dignitatem confirmamus, mandantes, et auctoritate Dei et Beati Petri, apostolorum principis, præcipientes, ut ejus canonicis dispositionibus omnes obædiant, et nullus eorum quæ ei suisque successoribus apostolica auctoritate concessa sunt violator existat. Si autem quisvis hominum contra hæc aliquando niti ac imminuere temptaverit, sciat se procul dubio multandum fore gravi anathemate et a corpore sanctæ ecclesiæ quam inquietare molitur perpetuo nisi resipuerit separandum.†

Johannes papa, Dunstano archiepiscopo.

MS. p. 315.

Letter of
John XII.
to Arch-
bishop
Dunstan.
[A.D. 961?]

Johannes episcopus, servus servorum Dei, confratri Dunstano Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopo, vitæ perpetuæ permanendam in Christo salutem.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et oculis conspiciunt vigilantibus ne aliqua quidem ex ovibus aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles ob salutem animarum, qui dicimur pastores² earum? Attendamus igitur nos officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium, et ne, quasi lupo veniente territi, fugiamus, ne in die Divini examinis

*sed quia . . . separandum†] Not in A.

¹ Dorobernensis ecclesiæ archi-

episcopo] Dorobernensi episcopo, A.

² dicimur pastores] pastores dicimur, A.

pro desidia nostra ante summum Pastorem et negligentia nostra excruciemur, unde modo honoris reverentia in sublimiore arce cæteris dijudicamur. Primatum itaque tuum, in quo tibi ex more antecessorum tuorum vices apostolicæ sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, sicut Beatum Augustinum ejusque successores præfatæ ecclesiæ pontifices plenius habuisse dinoscitur. Pallium vero fraternitati tuæ ex more ad missarum solennia celebranda commendamus, quod tibi non aliter ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus uti concedimus, quem usum antecessores nostri prodiderunt. Neque tua prudentia hoc incognitum habet, vel cujusque, quoniam indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt, quatinus, auctore Deo, possis esse conspicuus, ita ut vita tua filiis tuis sit regula, et in ipsa, si qua tortitudo illis inest, dirigatur, dum in ea quod imitentur aspiciant. In ipsa semper considerando proficiant ut tecum Deum per hoc quod bene vixerint videre mereantur. Cor ergo tuum neque prosperis quæ temporaliter blandiuntur extollatur, neque adversis dejiciatur. Quicquid illud fuerit adversi, virtute in Christo patientiæ a te devincatur. Nullum apud te locum favor indiscretus inveniatur; in omnibus discretionem alii in te cognoscant. Insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset. Remissum te delinquentibus non ostendas, nec quod illis non profuerit hos perpetrare permittas. Sit in te et boni pastoris dulcedo, sit et iudicis severa districtio; unum scilicet quod innocentes foveas, aliud quod inquietos feriendo a pravitate compescas. Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus, dum districtius malorum vindex est, transit in crudelitatem; correptionem in iudicio refrena, et censuram disciplinæ discute, ut et culpas ferias, et a dilectione perversorum quos corripis non recedas. Misericordiam, prout virtus patitur, pauperibus exhibe; oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modesta ratione contradicas. Nullius faciem contra justitiam accipias, nullum quærentem justa despicias. In custodia æquitatis excellas, ut nec divitem potentia sua apud vos aliquid extra viam suam de accusatione audias, nec pauperem faciat humilitas tua desperare, quatinus, Deo miserante, talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit, dicens, "Oportet episcopum irreprehensibilem esse." Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistram caritatem habueris, quam qui secutus fuerit a

recto aliquando¹ tramite non recedit. Ecce, frater carissime, inter multa alia ista sunt sacerdotum. Ista sunt pallii jura; quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis intus habes. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui viam te dirigat, ut post vitæ hujus amaritudinem, ad æternam simul pervenire dulcedinem² mereamur.

MS. p. 327.

[Oct. 1st, 961?]

Et hoc scriptum est per manum Leonis serinialis sedis apostolicæ, in mense Octobri, indictione iiiii.³ datarum die i. Kal. Octobris, anno xii^{mo} summi pontificis Johannis.⁴

Eadmer's reason for not giving other like documents.

Hæc, ut prælibavimus, in archivis ecclesiæ Domini Salvatoris⁵ reperta futurorum memoriæ non absurdum æstimavimus commendare. Et quidem his plura inventa sunt, sed aliquibus eorum nimia vetustate oblitteratis, aliquibus in cartis ex biblo compositis, et peregrinis characteribus inscriptis, et ipsis quoque majori ex⁶ parte detritis, notitiæ nostræ usquequaque non patuerunt. Ac nos ignota pro notis scribere horrore habentes, necessario ea huic operi alienavimus. Sane quod quosdam non pudet astruere, soli scilicet personæ Beati Augustini, primi pontificis Cantuariorum, Beatum Gregorium concessisse, non solum episcopos quos ordinaret, neque hos tantummodo qui per Eboracæ episcopum essent ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habere, Domino Deo nostro Jesu Christo auctore,⁷ subjectos; quale sit sacra successorum ejus decreta successoribus ipsius Augustini directa, quæ paucis prænotavimus, satis ostendunt. In his quippe videre planum est, eos intellexisse non magni muneris esse si ei solummodo illa dixisset, cum, ut alia taceam, suis diebus Eboracensis provincia nec fidem Christi

¹ *aliquando*] Not in A.; supplied in margm in MS.

² *pervenire dulcedinem*] dulcedinem pervenire. A.

³ *iiii.*] xii., A.

⁴ John XII. was Pope from 955 to 963. There was therefore no twelfth year in his pontificate.

But the obvious correction of xii^{mo} to vii^{mo} brings the date of the letter to October 1st, 961, which fell in the fourth indiction.

⁵ *Domini Salvatoris*] Changed from *Salvatoris Domini*, MS.

⁶ *majori ex*] ex majori, A.

⁷ *auctore*] autore, MS.

susceperit, nec qui eam prædicaret eo directus sit. Tanta enim in Cantia et vicinioribus regionibus in prædicatione nominis Christi et ipse et socii sui¹ habuerunt ad faciendum, ut a tam longinquis partibus eis fuerit abstinendum. Beatus siquidem Paulinus qui primus Northumbrensibus evangelium prædicavit, et Eboraci primus cathedram pontificalem sortitus est, non a Beato Augustino sed a Justo, qui quartus ab ipso Augustino Cantuariorum pontifex extitit, episcopus electus, ordinatus, et illuc destinatus fuit, quemadmodum venerabilis Beda in *Historia Gentis Anglorum* veraci stilo digessit, et omnibus notissimum est. Quæ igitur Beatus Gregorius Augustino dixit, in Augustino suis successoribus dixit, per quos Deo implere placuit, quæ per ipsum Augustinum sua dispositione implere non voluit. Non jure itaque privilegio Augustino collato privandi sunt, qui sedi ejus præsidentes vices ipsius exsequendi officio functi sunt. Quod vero dictum Beatum Gregorium satis dicere et nosse et posse,² si voluisset, “tua fraternitas et successores sui,” verum omnimodis esse fatemur. Et similiter non dubitamus Dominum Christum dicentem Beato Petro, “Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cælis,” scisse dicere, si voluisset, “et successores tui.” Qui ergo privare nituntur successores Sancti Augustini potestate et dignitate quam ipsi Augustino concessit Beatus Gregorius, privent si audent successores Beati Petri potestate et dignitate quam ipsi Petro concessit sanctus et justus Dominus. Eodem enim modo quo Dominus locutus est³ aliis in apostolo suo Petro, locutus est Gregorius successoribus ejus in discipulo suo Augustino. Juste judicate, filii hominum, et perpendite de

The prerogative conferred on St. Augustine is perpetuated in his successors.

¹ *sui*] ejus, A.

² *nosse et posse*] posse et nosse, A.

³ *est*] Not in A.

Instances of
its exercise. similibus idem esse iudicium. Illud etiam istis annectendum existimavi,¹ quod præfatus Beda refert Theodorum, qui septimus a Beato Augustino in cathedram ejus successit, primum esse in archiepiscopis cui omnis Anglorum ecclesia manus dare consentiret. Et hic utique cum primo functus pontificatu Britanniam MS. p. 329. venisset, Ceaddam Eboracensi ecclesiæ prælatum² a pontificatu summovit, eo quod non jure sacratus injuria fuerit eidem ecclesiæ per officium sacerdotale præpositus. Moxque Wilfridum substituit, et ei integerrime pontificatum Eboracæ, fretus Romanæ sedis auctoritate,³ delegavit. Quem deinceps et⁴ ad concilia sua venire faciebat, et ejus obœdientia ac subjectione pro temporum qualitate per omnia utebatur. Hunc etiam postmodum, emergentibus querelis, quas commemorare longissimum est, in sua ecclesia Eboraci, non solum episcopatu privavit, sed et parochiam ejus in tres episcopos, libera utens potestate, distribuit. Deinde, soluto ipsius discidii nodo, juxta placitum voluntatis suæ, remotis episcopis ipsis,⁵ eundem Wilfridum pristinæ dignitati restituit. Nihil novi dicitur. Vetera sunt hæc, et antiquorum gesta scientibus evidentissima. Illud quoque non minoris evidentiae luce patescit, Birhtwaldum,⁶ successorem ipsius Theodori, illum ipsum Wilfridum cujusdam inobœdientiæ culpa accusatum secundo ab episcopatu deposuisse, ac postea senectuti illius et religioni compassum sui pontificatus gradui restituisse, ab apostolica sede interpellatus. Sed quid juvat infinita contexere? Itaque de his ita, ut qui ecclesiæ Christi Cantuariensis auctoritati derogare non metuunt saltem se in lumine positos non

¹ *existimavi*] putavi, A.

² *Eboracensi ecclesiæ prælatum*] Eboracensem prælatum, A.

³ *Romanæ sedis auctoritate*] auctoritate Romanæ sedis, A.

⁴ *et*] Not in A.

⁵ *episcopis ipsis*] ipsis episcopis, A.

⁶ *Birhtwaldum*] Brithwaldum, A.

posse videre erubescant, et vel ora amodo¹ claudant, A.D. 1120.
ne prava loquentes recta amantibus opprobrio fiant.

Ipso anno quo Radulfus archiepiscopus Cantuariorum de transmarinis partibus in Angliam reversus est, qui fuit annus ab Incarnatione Verbi Dei millesimus centesimus vicesimus, venerunt ad eum missi ab Alexandro rege Scottorum quidam honorati et strenui viri. Horum unus quidem monachus et prior ecclesiæ Dunfermelinæ, Petrus nomine, clerici duo, unus extitit miles. Negotium autem legationis eorum qui nosse curat, quam detulerunt subscriptam epistolam² legendo vel audiendo percurrat.

Alexander King of Scots, offers the bishopric of St. Andrew's to Eadmer.

MS. p. 330.

Alexander Dei gratia rex Scottorum, Radulfo reverendo Cantuariensi archiepiscopo, et cum reverentia diligendo, salutem.

Audita prosperi adventus vestri in Angliam jamdiu a me desiderati manifesta relatione, de incolumitate ac prosperitate vestra congaudens, summoque Protectori inde gratias³ referens, cum temporalium undique occupatio curarum iter meum, ut vestra ad præsens valeam frui presentia, impediatur, tam litterarum designatione quam legatorum relatione animi mei affectum vestræ bonitati cupio manifestare. Tantæ etenim discretionis personæ fretus consilio, bonum propositum peroptime ad boni operis effectum, Deo annuente, non dubito me posse perducere. Vestram igitur latere excellentiam nolo,⁴ ecclesiam Sancti Andreae in regno meo existentem, jamdiu pastorali cura destitutam, Dei et vestræ benignitatis providentia pastore idoneo desiderantem me velle consolari. Quocirca vestræ pietatis depono clementiam, ut quandam personam a plerisque mihi laudatam, Edmerum scilicet monachum, si vobis idonea visa fuerit ut pontificali inthronizetur dignitate, mihi liberam concedatis. Verens enim summum Pastorem me graviter offendisse cum gregem suum, negligentia mea aliisque forsitan criminibus impediens, pastoris penuria desolatum et a tramite veritatis in pluribus exorbitatum diu permiserim, filiali etiam timore timens in hac re eum amodo offendere,

¹ *ora amodo*] amodo ora, A.

² *subscriptam epistolam*] epistolam subscriptam, A.

³ *inde gratias*] gratias inde, A.

⁴ *excellentiam nolo*] nolo excellentiam, A.

A.D. 1120. ad vestræ fontem discretionis recurro, ut, pristinæ memor MS. p. 331.
 existens dilectionis inter nos ad invicem¹ habitæ, me filium
 vestrum paterno affectu spiritualiter jamdiu a vobis adopta-
 tum vestri munimine consilii in hac re tueamini. Valet.

The Arch-
 bishop of
 Canterbury
 consents,

and solicits
 King
 Henry's co-
 operation.

Miratus ex his pater Radulfus, et ratus hoc ver-
 bum a Deo egressum, maxime quia omnino constabat
 eundem fratrem nec per se nec per quemlibet homi-
 nem unquam de ipso negotio aliquo modo apud quen-
 quam egisse, licet ejus absentiam moleste ferret, nam,
 sicut in servitio beati prædecessoris sui Anselmi sic
 et in suo assiduus esse solebat, noluit tamen regiæ
 petitioni assensum non præbere, ne videretur Dei
 ordinationi resistere. Quoniam igitur acceperat ipsos
 legatos pro eadem re et pro aliis regem Anglorum
 ex parte domini sui adituros, ipse et conventus fra-
 trum Cantuariensium miserunt per manus illorum ipsi
 regi epistolam hanc.

Henrico regi Anglorum, caro domino suo, ac summo cum²
 honore venerando, frater Radulfus, sanctæ Cantuariensis eccle-
 siæ indignus sacerdos, et totus conventus ejusdem ecclesiæ,
 salutem et orationes, et fidelia obsequia.

Notum facimus sublimi bonitati³ et honorandæ celsitudini⁴
 vestræ, Alexandrum regem Scottorum, cum consensu cleri et
 populi regni sui, legatos suos ad nos misisse, et consilium curæ
 pastoralis ad opus ecclesiæ Sancti Andreae a nostra ecclesia ex-
 petisse. Considerantes ergo eorum justam petitionem, et tam
 divini timoris⁵ reverentiam quam sanctæ matris ecclesiæ utili-
 tatem attendentes, laudandis desideriis pium præbuimus assen-
 sum. Concessimus igitur juxta petitionem eorum personam
 ecclesiæ nostræ ab eis denominatam domnum Edmerum, quem
 a pueritia disciplinis ecclesiasticis sublimiter institutum et sanctis
 moribus decenter ornatum, ad officium sacerdotale omnino
 scimus idoneum. Vestram igitur⁶ venerabilem sublimitatem MS. p. 332.
 summisso corde deprecamur, ut vestræ celsitudinis pia voluntate

¹ *ad invicem*] Not in A.

² *cum*] Not in A.

³ *sublimi bonitati*] sublimitati, A.

⁴ *et honorandæ celsitudini*] Not
 in A.

⁵ *timoris*] amoris, A.

⁶ *igitur*] ergo, A.

atque auctoritate, et illorum digna Deo¹ petitio et super tam necessario ecclesiæ Dei negotio nostræ humilitatis concessio roboretur. Omnipotens Deus sublimitatem vestram ad honorem suum et munimen ecclesiæ suæ per longa tempora incolumem custodire, et post temporale regnum dignitate perennis regni sublimare dignetur. Amen.

Rescriptum regis ad hæc.

Henricus rex Anglorum, Radulfo archiepiscopo Cantuariæ, salutem.

Volo et concedo ut monachum illum, unde rex Scottiæ te requisivit, liberum ei concedas, ad consuetudinem terræ suæ, in episcopatu Sancti Andreæ, teste Everado de Calna apud Rotomagum.

Post hæc misit eundem fratrem prout oportere putabat ad regem Scottiæ,² scribens ipsi regi sic.

Eadmer is
sent to
Scotland.

Caro domino et amico intimo, Alexandro Dei gratia Scottorum regi, frater³ Radulfus Cantuariensis ecclesiæ minister indignus, salutem et cum orationibus fidelia pro posse servitia.⁴

Gratias Deo innumerabiles referimus, qui ad cognoscendum atque petendum quæ debebatis, remotis nebulis, mentis vestræ oculos aperuit. Gratias nihilominus generalitati vestræ, qui petitionibus vestris legitimis, nos vobis ex amicis amicissimos, ex familiaribus familiarissimos atque junctissimos reddidistis. Licet anim ipsis petitionibus quasi oculum aut dexteram a corpore nostro avellere quærat, laudare tamen habeo justum desiderium vestrum, et in quantum potero secundum Deum illi obtemperare. Volens quidem, et, si pace Dei et vestra dici potest, invitus, assentior bonæ vestræ voluntati; volens vero, quia Dei voluntati, quem in hoc facto præsentem atque propitium conspicio, resistere non audeo, nec cor vestrum in nos amaricare; invitus autem, quia quasi solus, et patris consolatione atque⁵ revelatione assidua, et filii sapientis consilio et auxilio in infirmitati nostra ac ætate destitutor. O sapientis consilium viri,⁶ si nos eo non spoliaretis, et cum spoliatis, qui

MS. p. 333.

¹ *digna Deo*] Deo digna, A.

² *Scottiæ*] Scotiæ, A.

³ *Scottorum regi frater*] regi Scottorum, A.

⁴ *Cantuariensis . . . servitia*] A.

archiepiscopus, salutem et orationes, A.

⁵ *atque*] ac, A.

⁶ *consilium viri*] viri consilium,

A.

A.D. 1120. tantum virum, tam famosum, tam ecclesiæ Dei utilem, vita et moribus, et litteris divinis et, si opus fuerit, sæcularibus a pueritia instructum, terræ vestræ consilio præesse in his quæ ad Deum pertinent satagatis. Si alius ex partibus longinquis quod petitis peteret, pro certo sciatis, non paterer elongari a nobis cordis nostri arcanum;¹ sed vobis nihil est, secundum Deum, quod abnuere velimus. Mittimus itaque ad vos personam quam petitis, et omnino liberam, ut a vobis certius discat si ad honorem Dei et sanctæ matris, Cantuariensis videlicet ecclesiæ, spectet petitio vestra. Caute igitur et cum consilio tractate quod agitis, quia sunt multi qui libenter sacrationem istius disturbarent, et, si valerent, disturbando cassarent. Proinde nostrum esset consilium ut quam citius ad nos remitteretur sacrandus, ne dilatione quod timemus interveniat, vel quod nollemus. Salutatur vos conventus fratrum ecclesiæ nostræ vere fideles vestri, et omnino parati ad servitium vestrum.² In commune autem rogamus ut ita vos habeatis erga fratres nostros qui in regno vestro sunt ut Deus vobis inde gratias habeat et nos. Omnipotens Deus vos et conjugem vestram custodiat, et ab omni malo defendat. Amen.³

Veniens itaque frater ipse in Scottiam,⁴ mox tertio die adventus sui, illo qui fuit dies festivitatis gloriosissimorum apostolorum Petri et Pauli, suscepit, eligente eum clero et populo terræ, et concedente rege, pontificatum Sancti Andreæ apostoli Chenrimuntensis. MS. p. 334.
Quæ res ita dispensante⁵ Deo acta est, ut nec virga pastoralis vel anulo a rege investitus fuerit, nec hominum ei fecerit. Lætus itaque dies habitus est, atque in laude⁶ Dei alacriter expensus. In crastino autem rex, cum electo de consecratione illius secretius agens, et modis omnibus eum a pontifice Eboracensi consecrari exhorrens, ubi, eo docente, accepit auctoritatem ecclesiæ Cantuariensis ex antiquo toti Britannicæ præminere, et ea re,⁷ ipso disponente, se Cantuariæ episco-

Numerous difficulties now ensue.

¹ *arcanum*] archanum, MS.

² *parati . . vestrum*] ad servitium vestrum parati, A.

³ *Omnipotens . . Amen*] Valet, A.

⁴ *Scottiam*] Scotiam, A.

⁵ *dispensante*] disponente, A.

⁶ *laude*] laudem, A.

⁷ *ea re*] iccirco, A.

palem benedictionem velle requirere, conturbatus animo A.D. 1120. surgens discessit ab eo. Nolebat enim ecclesiam Cantuariensem anteferri ecclesiæ Sancti Andreae de Scottia.¹ Vocans itaque Willelmum, monachum Sancti Edmundi, qui post Thurgodum eidem episcopatu præpositus, pene illum evacuaverat, præcepit ut more solito in episcopatu se haberet, exspoliato noviter investito. Expleto autem post hæc mense integro, et his quæ supererant jam terris episcopatus funditus evacuatis, pro voto principum regni rex Alexander ipsum electum conuenit, vixque ab eo obtinuit ut, quia super inimicos suos exercitum ducere disponebat, virgam pastorem desuper altare, quasi de manu Domini, susciperet, ut ita in toto regno curæ animarum omnium pro posse deinceps intenderet. Post hæc ad ecclesiam Sancti Andreae venit, et, occurrente ei regina, susceptus a scholasticis et plebe pontificis loco successit.

Eadmer is at last installed at St. Andrew's.

Inter hæc eousque Thurstanus Eboracensis in transmarinis partibus morabatur, et supra memorato negotio suo viriliter insudans ad hoc etiam regem Anglorum provocavit, quatinus et pontifici Cantuariorum semel, et regi Scottorum ter, scriptis mandaret, ne aut ille electum Sancti Andreae consecraret, aut iste ulla ratione sacrari permitteret. Quæ res multorum animos vulneravit, et in diversa distraxit, et electum, ne Christianitati corrigendæ jure pontificali intenderet, non parum debilitavit. Unde ii,² quibus cordi erat suis voluptatibus magis quam Dei jussionibus obtemperare, roborati sunt, et quam suorum morum correctionem formidabant jam securi irridebant. Quid plura? Rex ipse ad regis Anglorum jussa pavescens, ex hoc hominem minoris apud se honoris habere, et sensim sua cœpit imminuere. Quod ipse advertens, seque modicum, eo sibi adverso, secundum Deum in regno illius proficere certissime sciens, proposuit Cantuariam ire, et inde

Fresh difficulties now arise.

King Henry interposes.

King Alexander is alarmed.

Eadmer thinks of seeking help from Canterbury.

MS. p. 335.

¹ *Scottia*] Scotia, A.

{ ² *ii*] hii, A.

A.D. 1120 quid sibi potissimum in tali causa foret agendum consilium querere. Quod ubi regi innotuit, dixit eum ab ecclesia Cantuariensi penitus absolutum, nec omnino aliquod in ea participium habere, seque in vita sua assensum¹ non præbiturum ut episcopus Scottiæ subderetur pontifici Cantuariorum. Quibus cum ipse referret, quod nec pro tota Scottia² abnegaret se esse monachum Cantuariensem, turbato spiritu, "Nihil," inquit, "fecimus a Cantuaria petentes nobis episcopum." Ex hoc igitur cordis sui rancore devinctus eundem virum in multis fatigare,³ multis injuriis clam et palam exagitare, eum dignitate ac rerum episcopalium proventu despoliare. Non igitur eum recto oculo aspicere, non verba ejus, vel etiam de Deo prolata, poterat patienter audire. Quæ res vulgus latere non potuit. Rumores itaque multi exorti sunt, partes diversas in diversa trahentes. Quod electus advertens, et suum esse, ut prælibavimus, in talibus⁴ non utile esse perpendens, per internuncios mandavit ei hæc, "Quia video te non esse, ut mihi expediret, serenum erga me, nec scio quare hoc sit me promeruisse, cum certum habeatur me non multum, te offenso, in Christianitatis correctione in regno tuo profuturum, rogo ut tuo favore prosecutus Cantuariam ire me sinas, quatinus et⁵ consilium quid mihi sit agendum inde requiram, et benedictionem pontificalem ad honorem Dei et exaltationem regni Scottorum inde suscipiam." Non sederunt hæc animo ejus, et petitioni illius se nequaquam assensum præbiturum asseveravit, contestans regnum Scottiæ Cantuariensi ecclesiæ nihil subjectionis debere, et ipsum ab ea penitus immunem factum sibi datum esse. Cui cum ille hoc se eatenus nescisse responderet, præsertim cum epistola pro se ab archiepiscopo illi directa inter

Alexander's
resentment
and subsequent
conduct.

Eadmer
begs leave
to go to
Canterbury.

His request
is unfavour-
ably re-
ceived.

Eadmer's
reply.

¹ *assensum*] consensus, A.

² *Scottia*] Scotia, A.

³ *fatigare*] cœpit fatigare, A.

⁴ *ut prælibavimus in talibus*] in talibus ut prælibavimus, A.

⁵ *et*] Not in A.

MS. p. 334

alia contineret, eum ad hoc Scottiam¹ destinasse ut A.D. 1120.
 disceret utrum petitio quam in eligendo eum suggessit
 ad honorem Dei et sanctæ matris, Cantuariensis vide-
 licet, ecclesiæ spectaret, non ut dignitate jam quingentis
 annis ab ea inconcusse possessa ipse per se innutritum
 filium suum² evacuaret, indignatus nimium se quo- Alexander's
 tidie nova placita in isto negotio inire nescire juravit. rejoinder.
 Ad hæc ille, vocato in consilium suum Johanne epi-
 scopo Glaschonensi, et duobus monachis Cantuariensibus
 quos tunc temporis secum habebat, sciscitatus est quid Edmer
 in tali suo negotio sibi melius decernerent fore agen- seeks the
 dum. Tunc illi regem adeuntes, et statum animi ejus advice of
 super viro plenius ediscentes, quasi non ab eo sed friends;
 simpliciter a se consilii summa prodiret, intulerunt
 homini hæc, "Si, ut filius pacis, in pace vivere cupis, they give it.
 " alias eam require; hic dum iste regnaverit nulla tibi
 " et paci communicatio erit. Novimus hominem. Ipse
 " in regno suo vult esse omnia solus, nec sustinebit
 " ut quævis potestas sine ejus dispositione quic-
 " quam in aliquo negotio possit. Jam exacerbatus
 " est contra te et nescit quare; nunquam tibi plene
 " reconciliabitur, etiam si viderit quare. Quamobrem
 " aut linquere te cuncta noveris oportere, aut perpetuo
 " inter Scottos, eorum usus sequendo, contra animæ
 " tuæ salutem in opprobrio vitam ducere. Quod si
 " discedere mavis; et anulum quem a manu illius
 " suscepisti, et baculum quem desuper altare tulisti,
 " illi cogaris restituere. Alioquin terram suam, nisi
 " eam transvolare potueris, non egredieris." Ad hæc
 quanta dicta, quanta objecta sint hinc et inde, ad
 alia tendentem scribere piget. Post quæ omnia, electus
 ipse, considerato ordine quo quæque penes se acta fue-
 runt, videlicet qualiter anulum de manu regis acceperit,
 qualiter episcopatu investitus sit, qualiter baculum de-
 super altare tulerit, ita brevi respondit, "Anulum qui-

MS. p. 337.

¹ *Scottiam*] Scotiam, A.| ² *suum*] Not in A.

Eadmer
relinquishes
ring and
crozier, and
returns to
Canterbury.

“ dem quem de manu illius suscepi, libens reddam, ea
 “ re quod nihil potestatis quæ eo significatur in illo
 “ accepi, laico scilicet dante cui tale quid nihil attinet.
 “ Baculum autem quem super altare, præsentibus duo-
 “ bus episcopis, sumpsi, ponam ubi assumpsi, et eum
 “ dispositioni Jesu Christi dispensandum commendabo.
 “ Relinquere autem totum episcopatum ea conditione
 “ quia vis mihi infertur adquiesco, ut eum tempore
 “ Alexandri regis non reclamem, nisi pontifex et con-
 “ ventus Cantuariorum et rex Anglorum aliud mihi
 “ super his consilium dederint.” In his in pace divisi
 sunt, et Edmerus Cantuariam veniens ab episcopo et
 fratribus suis læte susceptus est. Diligebatur enim ab
 omnibus; et qui de absentia illius fuerant mœstificati,
 in præsentia illius facti fuerant vehementer exhilarati.
 Misit autem rex in accusationem ipsius per nuncium
 suum archiepiscopo epistolam unam hæc continentem.¹

Alexander Dei gratia rex Scottorum, Radulfo archiepi-
 scopo Cantuariensi reverendo,² in ipso qui vita est semper
 vivere.

Immensæ bonitati vestræ petitioni meæ condescendenti, MS. p. 333.
 personam in præsulatum³ Sancti Andreæ sublimandam mihi
 mittendo, animi mei affectus benivolus, et ut justum est
 obnoxius, innumerabiles gratias reddit. Sed persona in
 episcopatu posita consuetudinibus terræ moribusque hominum
 ut res et tempus exigebat, et ut justum et necessarium
 esset, condescendere noluit. Ipsa vero tandem persona, in
 præsentia quorundam episcoporum et comitum proborumque
 terræ meæ virorum, me requisivit ut ei licentiam rece-
 dendi, et de fidelitate quam mihi fecerat libertatem, con-
 cederem; cum nullo modo remanere vellet, nisi eum in
 captione detinerem. Hæc audiens, ei his verbis respondi,
 quod si aliquas dictis aut factis injurias ei a me illatas, et
 quod in aliquibus quæ ei facere debuissem me defecisse,
 demonstraret, pro Dei amore et honore meo⁴ libentissime
 præsto essem emendare. Ad hæc in præsentia omnium

¹ hæc continentem] continentem
 hæc, A.

² reverendo] Not in A.

³ præsulatum] præsulatu, A.

⁴ honore meo] meo honore, A.

A.D. 1120.

astantium dixit, quod nullas dictis aut factis ei injurias injeceram, nec unquam in aliqua re quam ei facere debuisssem defeceram. Preterea egomet, et episcopi et consules aliique terræ meæ probi homines ibi astantes, reverentiæ obœdientiam in quibuscunque justum esset magna animi benignitate obtulimus, et pro penuria honestæ exhibitionis¹ reverentiæ, non esse necesse ei præsulatum relinquere, cum magna admonitione retulimus; ut etiam remaneret, donec regi Angliæ et vobis nuntiassem, ut amborum consilio frui possem, obnixè rogavimus. His auditis, mihi respondit quod nullo modo remaneret, nisi eum in captione detinerem. Se enim nec utilem nec idoneum in præsulatus regimine sciebat, et si remaneret detrimentum animæ suæ et aliorum imminere videbat. Communi tandem consilio nolui eum vi retinere, petitioni suæ quamvis invitus adqueivi, et episcopatum reddidit, et fœdus amicitiae inter me et ipsum osculo confirmavit. Et hæc est rei veritas, quam vobis litteris² declarare volui, ne si aliud ad aures vestras pervenerit crederetis. Sciat denique bonitas vestra quod vobis penitus, ut amicus fide¹is, obnoxius esse cupio, et consilio vestro etiam dilectioni subdi desidero.³ Ut vero⁴ domno Edmero honorem exhibeatis,⁵ obnixè postulo. Valet.

MS. p. 339.

Utrum autem in istis tanto patri rex ipse vera, sophistica, falsave mandaverit, non effugiet notitiam ejus qui consilia, commenta, et deceptiones singulorum suo tempore denudabit, redditurus cuique prout gesserit. Scripsit tamen ad hæc pater Radulfus epistolam istam.⁶

Alexandro illustri regi Scottorum, frater Radulfus indignus sanctæ⁷ Cantuariensis ecclesiæ minister, sic regnare in regno terreno ut cum Christo regnare possit in celo.

Gratias quas possumus, venerabilis domine, vestræ sublimitati⁸ referimus pro dilectionis et honoris munere, quod erga parvitatem nostram, nunciis et litteris referentibus, vos habere dinoscimus. In quo procul dubio nos pro posse

¹ *exhibitionis*] exhibitionis, MS.

² *vobis litteris*] litteris vobis, A.

³ *desidero*] from A. MS. has *desiro*.

⁴ *vero*] Not in A.

⁵ *exhibeatis*] exhibeas, A.

⁶ *istam*] hanc, A.

⁷ *indignus sanctæ*] Not in A.

⁸ *vestræ sublimitati*] sublimitati vestræ, A.

A.D. 1120. semper devotos habebitis, et siquid in vita nostra, Domino largiente, fructuosum invenitur, vestrum esse secure sciatis. Gratias etiam ex bona voluntate vobis persolvimus, pro susceptione carissimi filii nostri Edmeri, videlicet electi episcopi vestri, quem secundum petitionem vestram vobis transmissum honorifice tractastis. Quem nos etiam ad partes nostras redeuntem, prout decuit tantam personam, officiose suscipientes, in adventu ipsius non mediocriter lætati sumus. Cumque secretius postea inter nos sermo versaretur, audivimus eum aliqua a sensu litterarumstrarum quas prius audieramus diversa sentire, nec omnibus antea auditis ex toto assensum præbere. Nunc itaque, quoniam in scriptis vestris aliud legimus, et aliud ab ipso fratre percepimus, consilio nobis est ut eundem filium nostrum apud nos retineamus, quousque, Domino ducente, in Angliam veniatis, nisi forte aliquid aliud quod nobis faciendum sit antea mandaveritis. Cum autem, Deo donante, vobis præsentialiter loqui, et rerum causas hinc inde audire poterimus, si vita et doctrina hujus amici nostri vobis et patriæ vestræ utile esse videtur, injuncta sibi obœdientia ad electionis suæ locum, si eum suscipere vultis, redire poterit. Si vero in conspectu vestro aliud placitum fuerit, nos eum, ut virum in lege Domini multipliciter instructum, et omni boni operi aptum cum magno gaudio retinebimus, et sic spem bonam in misericordia Dei habentes ejus reditum fructuosum habebimus. Valeat dilectio vestra semper in Domino.¹

MS. p. 340

Itaque de his ista.

Death of the King's son and heir William.

Sed dum talia circa monachum Cantuariensem geruntur in Scottia,² quiddam nostris sæculis inauditam contigit in Anglia. Willelmus enim, filius regis Henrici, cujus in superioribus operis hujus³ nonnullis meminimus, patrem suum a Normannia in Angliam regressum sequi gestiens, navem ingreditur, copiosa nobilium, militum, puerorum ac feminarum multitudine comitatus. Qui mox portum maris evecti miraque aeris serenitate freti freto illapsi,⁴ in modico

¹ *Valeat . . . Domino*] Valete, A.

² *Scottia*] Scotia, A.

³ *operis hujus*] hujus operis, A.

⁴ *illapsi*] elapsi, A.

navis qua vehebantur rupem incurrens eversa est, et omnes qui in ea residebant, excepto rustico uno et ipso, ut ferebatur, nec nomine digno, qui mira Dei gratia vivus evasit, marinis fluctibus sunt absorpti. Quæ res multorum mentes exterruit atque turbavit, et de occultis justî Dei judiciis in admirationem concussit. Eo tamen citius sedata est in plurimorum animis hujus turbationis immanitas, quia animum regis, quem maxime hoc infortunium respiciebat, videbant virili animo se agentem, et æquitati judiciorum Dei, cui nemo resistere potest, hæc summisso gestu et voce attribuentem. In his namque se consolans humili spiritu et ore dixit, quod omnibus Christianis in cunctis eventibus suis dicendum fore intellexit, "Sit," videlicet, "nomen Domini benedictum in secula." Amen.

MS. p. 341.

A. D. 1120.

¹ QUINTUS] V. M.S.

EXPLICIT LIBER QUINTUS.¹

INCIPIIT SEXTUS.¹

Qua jocunditate et exultatione regnum Angliæ in reditu regis exhilaratum fuerit, qui temporis illius recordatur, et me tacente, advertere poterit. Spes etenim magna magni boni multorum mentibus est inde profecta, quæ sibi promitteret levamen et auxilium a magnis malis quorum tædio nimium ante hac videbantur infecta. Verum dum fama intonuit Willelmum, jam olim regni hæredem designatum, de medio esse sublatum, non parva bonæ spei portio periit, consideratis injustitiis quæ in omni genere hominum illis diebus emergebant. Attamen rex legalis conjugii olim nexu² solutus, ne quid ulterius inhonestum committeret, consilio Radulfi Cantuariorum pontificis et principum regni, quos omnes in Epiphania Domini sub uno Lundoniæ congregavit, decrevit sibi in uxorem Atheleidem filiam Godefridi ducis Lotharingiæ, puellam virginem bonis moribus et decore modesti vultus decenter insignitam. Ad hujus igitur copulæ perfectionem directi nuncii sunt, qui cum his quos dux memoratus Angliam pro hoc ipso destinaverat festinantius³ irent, et futuram regni dominam, ut decebat, summo cum honore adducerent. Venienti ergo illi occursus episcoporum et procerum regni Dofris, ubi appulit, grandis factus est, et inde⁴ ad curiam regis usque perducta.

The King seeks the hand of Adelis.

Richard and Robert, Bishops elect of Hereford and Chester.

* Hæc inter electi sunt ad regimen ecclesiarum jam dudum viduarum clerici duo, assumpti de capella MS. p. 343. regis, Ricardus scilicet, qui regii sigilli sub cancellario custos erat, et Robertus, qui et ipse domino regi in

¹ SEXTUS] VI. MS.

² olim nexu] nexu olim, A. Olim supplied over line in MS.

³ pro . . . festinantius] On erasure and crowded in A.

⁴ inde] Supplied in margin, MS.

* Hæc inter . . . exhibenda] Not in A.

cura panum ac potus strenue ministrare solebat. Horum prior Herefordensi, sequens Cestrensi ecclesie praelatus est. Herbertus quoque, abbatie Westmonasterii monachus, ipsius loci abbas eo tempore constitutus est. Ricardus igitur vii. Idus Januarii electus, ut mox sequenti Dominica in capella regis pontifex sacraretur, magnopere Radulfus episcopus Cantuariorum postulatus est. Cui ipse nullo adquiescere pacto volens, usque in aliam Dominicam, quæ xvii. Kal. Februarii erat, consecrationem ejus distulit, et tunc eum, assistentibus simul et cooperantibus episcopis Ricardo Landoniensi,¹ Roberto Lincolniensi, Ernulfo Rofensi, Urbano Glammorganensi, Bernardo Sancti David, et aliis nonnullis, apud Lambetham honorifice consecravit, accepta prius ab eo professione de sua subjectione ecclesie Cantuariensi et pontificibus ejus exhibenda.†

Dum² hæc ita administrantur, et³ conventu principum qui, ut prælibavimus,⁴ factus fuerat nondum soluto, magnus sermo habitus est de discidio quod eousque versabatur inter Radulfum archiepiscopum Cantuariensem et Thurstanum Eboracensem. Siquidem ipse Thurstanus, prout supra descripsimus, a Calixto episcopus ordinatus, litteras ab ipso Calixto, more quo cuncta Romæ impetrantur, adeptus fuerat, quibus jubebatur ut ipse Thurstanus episcopatu suo potiretur, aut rex anathemate, et Radulfus suspensione pontificalis officii plecteretur. Ad quod recitatae sunt sententiæ privilegiorum quæ superiori libro indidimus, et quam digne Deo hæc apostolica disponderentur intellectum est ab omnibus. Tamen ne præmissæ intentio pœnæ regem vel pontificem aliquatenus conturbaret, ex communi consilio permissus est idem Thurstanus Angliam redire, et Eboracum regia via venire. Quod

A. D. 1121.
Herbert,
Abbot of
Westminster.

Consecration of
Richard,
Bishop of
Hereford
[Jan. 16th,
1121].

Archbishop
Thurstan is
permitted to
take possession of his
see.

MS. p 349.

¹ *Landoniensi*] On erasure, MS.

* *Hæc inter . . . exhibenda*†]

Not in A.

² *Dum*] Cum, A.

³ *et*] Not in A.

⁴ *ut prælibavimus*] Not in A.

A.D. 1121. et factum est, ea dispositione ut nullatenus extra parochiam Eboracensem Divinum officium celebraret, donec ecclesie Cantuariensi de injuria quam ei intulerat, abjurata cordis sui obstinatione, satisfaceret.

The Bishop of Salisbury wishes to officiate at the royal wedding.

Hæc inter de reginæ maritacione necne in regnum promotione actum est inter regni sublimiores, et in Windlesora ipsum negotium administrari dispositum est. Ubi cum episcopus Serberiensis, quia castrum ipsum in diocesi sua consistit, officium ipsius copulæ niteretur administrare, contradictum et comprobatum ab aliis est magis ad archiepiscopum Cantuariensem id pertinere, ea ratione quod rex et regina speciales ac domestici parochiani sint ipsius, nec diocesem cujusvis episcopi ei posse præripere quod sui juris dinoscitur esse; cum tota terra lege primatus Cantuarie parochia sua sit, et omnes episcopi totius insulæ parochias quas habent non nisi per ipsum et ab ipso¹ habeant. Sedata igitur in his controversia est. Itaque quoniam Radulfus archiepiscopus corporis debilitate gravatus ministerium ipsum opportune exsequi nequibat, injunxit illud episcopo Wintoniensi, ne, si episcopus Serberiensis illud administraret, in superventuris temporibus aliquis tale quid ex suæ parochiæ auctoritate, quam ex Cantuariensis episcopi obœdientia sibi vindicaret. In crastino autem expletionis officii hujus, dum in reginam ipsa puella benedici debuisset, et, jam dicto introitu missæ, pater Radulfus ipsum officium celebraturus sacris altaribus astitisset, advertit regem in solio suo sedere coronatum, et admiratus est, sciens regni coronam se illi non imposuisse, nec illam ab alio positam se præsentem jure ferre debuisse. Divertit igitur infulatus et sui patriarchatus stola redimitus ab altari, et ad regem accedens, eo sibi suppliciter assurgente, sciscitatus est, quisnam capiti ejus coronam imposuisset. Ad quod ille, demisso

The Archbishop of Canterbury officiates by proxy.

The Archbishop of Canterbury asserts his right to crown the King.

MS. p. 344.

¹ *per ipsum et ab ipso*] ab ipso et per ipsum A.

vultu, se non magnam curam inde accepisse, et iccirco A.D. 1121.
 memoriæ id elapsam modesta voce respondit. "Qui-
 " cunque," ait, "illam posuit non id utique jure fecit,
 " nec quamdiu capiti tuo hoc modo insederit propo-
 " siti negotii exsecutor existam."¹ Cui rex, "Si non
 " jure, ut asseris, imposita est, fac quod juste facien-
 " dum fore cognoscis; me contradictorem in nullo
 " habebis." Pontifex igitur elevatis manibus sustulit
 coronam de capite regis,² ipso dissolvente ansulam qua
 sub mento innodata erat ne capiti insidens vacillaret.
 Quod ii qui circumstabant intuentes, omnes elata voce
 pontificem parcere, et regio capiti coronam remittere
 petiverunt. Adquievit ille, et mox, juxta regem stans
 coronatum,³ "Gloria in excelsis Deo" ad inceptæ offi-
 cium missæ inchoavit, choroque sequentia subsequente⁴
 altario repræsentatur. Regina itaque in regnum con-
 consecrata est, et dies festivus et hilaris omni populo
 qui confluerat habitus est.

The Queen
 receives the
 royal
 unction.

Post hæc archiepiscopus cum rege Abendoniam ve-
 niens, sacravit ibi supra memoratum⁵ Robertum⁶ ad
 episcopatum Cestrensis seu Coventrensis⁷ ecclesiæ,
 accepta prius ab eo professione, qua se ex antiquo
 more devovit fore subjectum et obœdientem sanctæ
 matri ecclesiæ Cantuariensi et pontificibus ejus. Sa-
 cratus est autem iii. Idus Martii, assistentibus et
 cooperantibus huic sacramento Willelmo Wentano epi-
 scopo, Willelmo Exoniensi, Urbano et Bernardo epi-
 scopis Walensibus.

Conse-
 cration
 of
 Robert,
 Bishop of
 Chester
 [March
 13th, 1121].

* Hinc nonnullis diebus elapsis, electus est quidam
 de regis capella, Everardus nomine, ad pontificatum
 Norwicensis ecclesiæ. Quod ubi factum est, rex man-
 Everard,
 Bishop-elect
 of Norwich.

¹ *existam*] non existam, A.

² *regis*] ejus, A.

³ *stans coronatum*] coronatum
 stans, A.

⁴ *subsequente*] canente, A.

⁵ *supra memoratum*] Not in A.

⁶ *Robertum*] Robertum qui ipsi
 domino regi in cura panum et potus
 strenue ministrare solebat, A.

⁷ *Coventrensis*] Coventrensis, A.

* *Hinc nonnullis* . . . *prose-*
quendo] Not in A.

A.D. 1121. davit archiepiscopo ut electioni consentiret, et aut MS. p. 345.

ipse, si opportune valeret, aut certe episcopis qui secum morabantur concederet eundem electum remota omni mora consecrare. Ad quod ille respondens, se episcopum, eo quod sua intererat, promisit libenter opportuno tempore sacraturum, si tamen edisceret electioni ipsi nihil inesse quod consecrationi impedimento existere posset. Placuerunt ista regi, et dies ex communi consensu præsignatus est, quo Cantuariam electus veniens illic benedictionem pontificalem susciperet. Statuto itaque die, qui fuit ii. Idus Junii, sacratus est cum magno honore in metropoli sede Cantuariæ, convenientibus pro hoc ipso Ernulfo episcopo Rofensi, Ricardo Herefordensi, et Roberto Cestrensi, cum ingenti monachorum, clericorum ac laicorum utriusque sexus multitudine. Ipse quoque episcopus, more servi Dei et fidelis sanctæ ecclesiæ filii, matrem suam in omnibus quæ debebat filius bonus honorificavit, summis videlicet ore et corde illi antecessorum suorum more subjectionem et obœdientiam profitendo, eamque honesto munere ac fratres in ea Christo Domino famulantes caritativo officio prosequendo.†

Consecra-
tion of
Everard,
Bishop of
Norwich
[June 12th,
1121].

Defeat,
capture, and
custody of
the anti-
pope.

Dum hæc isto ordine in Anglia disponuntur, famæ certitudo illuc usque perlata est, papam Calixtum, viribus undecunque collectis, supra memoratum Mauricium cognomento Burdinum, quem vocatum Gregorium in sede apostolica imperator cum suis fautoribus papam constituerat, cepisse,¹ eumque, suis omnibus spoliatum, monasterio, ut monachus esset, contumeliose intrusisse. Quo facto, ipse apostolici culminis securitate potitus, libera auctoritate qua Romanum pontificem niti æquum esse probatur, quaquaversum per legatos suos utebatur. De quorum numero quidam, Petrus nomine, Romanus genere, monachus Cluniacensis professione, venit in Galliam, missus ab ipso pon- MS. p. 346.

* *Hinc nonnullis . . . prose-* | ¹ *cepisse]* cæpisse, MS.
quendo†] Not in A.

tifice, functus, ut ferebatur, legatione Galliae ac totius Britanniae, Hiberniae quoque et Orcadarum insularum. Supercreverat autem fama istius famam omnium ante eum in has partes a Romana sede destinatorum; et abbates ac nonnulli alii, viri videlicet honorati ejus adventum Angliae praekonaturi ab eo praemittebantur. Erat enim filius Petri praclarissimi ac potentissimi principis Romanorum, cujus fides et actio magni consilii et fortitudinis esse solebat iis qui in sede apostolica canonice constituti patres orbis habebantur. Attonita igitur tota¹ terra in expectatione quasi tanti adventus, direxit rex Henricus Bernardum episcopum Sancti David de Gualis,² et Johannem filium patris sui clericum trans mare, ubi eoque idem Petrus morabatur, regis Anglorum de introitu suo in Angliam voluntatem jussumque opperiens, quatinus illum ad se perducerent. Quibus etiam ipse rex, prudenti usus consilio, injunxit quatinus iter ejus ita disponerent, ut post ingressum Angliae nec ecclesias nec monasteria quaelibet ad se tendens hospitandi gratia ingrederetur, nec aliunde quam de suis victus necessaria ei ministrarentur. Perductus igitur ad regem, digne ab eo susceptus est. Et, exposita sui adventus causa, rex, obtensa expeditione in qua tunc erat, nam super Walenses ea tempestate exercitum duxerat, dixit se tanto negotio operam tunc quidem dare non posse, cum legationis illius stabilem auctoritatem nonnisi per conniventiam episcoporum, abbatum, procerum, ac totius regni conventum roborari posse constaret. Super haec sibi patrias consuetudines ab apostolica sede concessas nequaquam se aequanimitate amissurum fore testabatur, in quibus haec et de maximis una erat, quae regnum Angliae liberum ab omni³ legati ditone constituerat donec ipse vitae praesenti superesset. His

A.D. 1121.
Rumours of
a papal
legation to
England.

The legate
is con-
ducted to
the King.

The King
asserts his
privilege
against the
legate.

MS. p. 347.

¹ *tota*] Supplied over line, MS.

² *Gualis*] Walis, A.

³ *omni*] *omnis*, A.

A.D. 1121. horumque similibus regali facundia editis, præfatus Petrus assensum præbere utile judicavit, et annuit. Quapropter larga regis munificentia magnifice honoratus, negavit omnimodo se illi quicquam antiquæ dignitatis derogaturum, immo ut dignitatis ipsius gloria undecunque augmentaretur sponndit plena fide elaboraturum. Pax itaque firma inter eos firmata est, et qui legati officio fungi in tota Britannia venerat, immunis ab omni officio tali cum ingenti pompa via qua venerat extra Angliam a rege missus est. Dofris itaque transfretaturus, Cantuariæ hortatu regis et archiepiscopi magnifice a fratribus susceptus est, et inter eos triduo cum jocunditate conversatus. In quo temporis spatio, querimonia apud eum deposita est pro gravi injuria qua papa Calixtus ecclesiam Cantuariensem in causa Thurstani Eboracensis humiliare non veritus est, et suis litteris eandem humiliationem, omissa omni justitiæ consideratione, roborare. Quæ ipse leni vultu ac miti mente suscipiens, privilegia ab antiquis patribus olim a Romana sede possessa ostendi sibi postulavit, et, si rata esse probarentur, quæ noviter instituta erant se promisit elaboraturum ut in nihili redigerentur. Prudentum igitur ratione virorum probatum est, bullatas antiquitus cartas incendio quod totam ecclesiam necdum transitis quinquaginta annis omnino consumpsit esse consumptas, paucis illarum in antiquis scedulis vel¹ veteribus libris quoquomodo raptim transcriptis atque retentis, quarum veritas et Romani stilo eloqui, et auctoritate jam per quadringentos et eo amplius annos ab ecclesia ipsa MS. p. 348. inconcusse possessa, declaratur. Quibus ille perspectis atque perpensis, testatus etiam ipse² est ecclesiam Cantuariensem grave nimis et immoderatum præjudicium esse perpessam, et quatinus hoc velocius cor-

The legate is sent back with much ceremony.

He inspects the Canterbury documents and makes hopeful promises.

¹ *vel*] seu, A.

² *etiam ipse*] Supplied in margin, | in penmanship of earlier part of work, MS.

rigeretur se modis omnibus opem adhibiturum pollicitus est. Post hæc Angliam egreditur, prospero cursu procellosum mare evectus.

* Aliquanto dehinc tempore evoluta, venit Cantuariam clericus quidam, Gregorius nomine, electus a rege et clero et populo Hiberniæ ad pontificatum Dublinæ civitatis. Samuel quippe, quem a beatæ memoriæ patre Anselmo longe superius eidem civitati descriptissimus episcopum ordinatum, jam huic vitæ modum fecerat; et iste loco defuncti a pontifice Cantuariorum antistes consecrandus ab eisdem Angliam cum litteris et testibus idoneis destinatus advenit. Prævenerat sane hunc clericus quidam comitatus laico uno, qui suis verbis nitebatur consecrationem illius evacuare, asserens eum ab eis ad quos electionis ipsius firmitas maxime pertinebat electum nullatenus esse. Quæ frivola et nullius ponderis esse tam litteræ sigillo ecclesiæ Dublinensis inclusæ, quam proborum virorum litteris concordantium assertiones persuaserunt. Quarum litterarum textus hic est.

Gregory,
Bishop elect
of Dublin.

Domino reverendissimo ac religiosissimo Radulfo, archiepiscopo Cantuariensi, omnes burgenses Dublinæ civitatis cunctisque clericorum conventus æternam optant salutem.

Cum te, sancte pater, pro merito summæ pietatis plurimi venerentur, et omnibus fidelibus causa magnæ fidei et sanæ doctrinæ honorabilis atque amabilis existas, congruum esse judicamus, ut Gregorium nostrum electum Dei gratia ad vos mittamus. Antecessorum enim vestrorum magisterio semper nostros libenter subdimus, a quo recordamur nostros accepisse dignitatem ecclesiasticam. Sciatis vos revera quod episcopi Hiberniæ maximum zelum erga nos habent, et maxime ille episcopus qui habitat Archmachæ, quia nos nolumus obœdire eorum ordinationi, sed semper sub vestro dominio esse volumus. Iccirco vestra suffragia supplices petimus, quatinus Gregorium ad sacrum ordinem episcopatus promoveatis, si amplius illam parochiam quam multo tempore vobis servavimus retinere volueritis. Vale.

MS. p. 349.

* *Aliquanto . . . vitæ superfuit*] Not in A.

A.D. 1121.
Consecra-
tion of
Gregory,
Bishop of
Dublin
[Oct. 2nd,
1121].

Itaque Gregorius iste cum adhuc in gradu esset subdiaconatus, jubente archiepiscopo, sacratus est a Rogerio episcopo Serberiensis ad diaconatum et presbyteratum in jejunio septimi mensis. Deinde vi. Non. Octobris promovit illum in summum sacerdotii gradum Radulfus archiepiscopus apud Lambetham, accepta prius ab eo scripta professione de subjectione sua et obœdientia sanctæ matri ecclesiæ Cantuariensi et ejus pontificibus exhibenda. Huic consecrationi interfuerunt et cooperatores extiterunt Robertus episcopus Lincolniensis, Rogerius Serberiensis, et David episcopus Pangornensis. Quarto die post hæc venit ipse episcopus Cantuariam, et scriptam professionem quam in conventu episcoporum et numerosæ multitudinis populi, qui ad ejus consecrationem convenerant, publice fecerat, super altare Domini Christi lectam posuit, seque fidelem et obœdientem ipsi ecclesiæ ac pontificibus suis dum viveret fore promisit. Post hæc ipse episcopus Hiberniam regressus pontificem Armachia, Cælestinum nomine, in loco suo substitutum invenit, cui et nobilitas generis, et major abundantia terrenæ facultatis, et in hos atque illos profusior manus, homines patriæ ipsius in sui favorem, pulso Gregorio, conglutinavit. Qui Gregorius inde discedens ad archiepiscopum qui eum sacraverat reversus est. Quem benigne susceptum secum cum honore detinuit, donec ipse archiepiscopus præsentis vitæ superfuit.†

Gregory
returning
to Ireland
finds his
see occupied
by another,
and returns
to Canter-
bury.

MS. p. 850.

Eadmer
resides at
Canterbury
as hereto-
fore.

His ita variantibus, supra designatus episcopus Scotiæ Cantuariæ continue degebat, sicut olim priusquam in pontificatum electus esset facere solebat, conventum monachorum non facile deserens, sed more aliorum sese in omnibus agens.¹ Transit in istis annus integer et semis. Venientes interea Cantuariam diversi episcopi, abbates, et quique nobiles, qui hominem ex cohabita-

**Aliquando dehinc . . . super-* | ¹ *agens*] habens, A.
fuit] Not in A.

tione patris Anselmi quondam notum habebant, de negotio illius percunctabantur. Et ordinem rei edocti, eum ecclesiam quam canonicè electus regendam susceperat nulla ratione juxta scita canonum indemnatum dimittere posse, concordì sententiâ asseruerunt, licet consecratus non fuerit, electionem videlicet quodammodo consecrationi præstare contestantes. Usus igitur illorum et quorundam aliorum consilio, necne beati patris sui Anselmi, cujus beata conversatio eum in multis olim informaverat, exemplo provocatus, qui olim ab Angliâ æque ut ipse a Scottiâ¹ pro simili causa pari ordine pulsus fuerat, sicut longe superius habita mentio est, regi Scottorum epistolam, quam ecce subscribimus, scriptam direxit.

A.D. 1122.

Badmer writes a letter of remonstrance to the King of Scots.

Alexandro illustri regi Scottorum, Edmerus quondam electus episcopus Scotiæ æternam in Christo salutem, et fidele servitium.²

Pro benigna voluntate quam se erga me vestra excellentia olim habuisse monstrare dignata est, gratias quas possum, dignissime domine,³ vobis exsolvo. Et quidem benignitatis vestræ non meritorum meorum fuisse non nescio, quod, prætermisissis innumeris quos et vitæ probitas et sapientiæ atque prudentiæ illustrabat auctoritas, me in episcopatum elegistis, et regno vestro in iis quæ Dei sunt præesse voluistis. Reddat vobis omnipotens Deus pro tam bona voluntate illud præmium quod bona voluntas meretur apud eum. Et hoc utique orat quotidie et desiderat anima mea. Quod autem res alium quam propositi communis tenor extiterit eventum sortita est, Dei dispositioni, quam penetrare vel subterfugere nemo potest, ascribendum fore non dubito. Quid tamen ex discessu meo a pontificatu didicerim, si facultas mihi daretur secretius vobis loquendi, sanctæ fidei vestræ notificarem. Licet enim corpore a vobis discesserim, noveritis tamen pro certo quia fidem quam vobis debeo, Dei juvante, non violabo. Unde vestrum et regni vestri honorem in quibuscumque potero, si non spreveritis, fideliter

MS. p. 351.

¹ *Scottia*] Scotia, A.

² *æternam . . . servitium*] salutem et servitium, A.

³ *dignissime domine*] Not in A.

A.D. 1122. quæram, ipso teste qui conscientia meæ solus et verus inspector est. Nec hæc dico, quod multum desiderem in regno vestro episcopari, sed tamen mallet dignitatem terræ vestræ augeri quam minorari. Preterea noverit beatitudo vestra quia omnes qui audiunt qualiter electus, susceptus, et pontificatu saisitus, et loco pontificis substitutus fui, una sententia asserunt nec me juste¹ potuisse episcopatum dimittere, nec alium, me vivente, juxta legem Domini substitui posse. Nec enim vir uxorem suam, aut uxor virum, ut alii nubat dimittere legaliter potest. Sed fortasse dicitis, "Tu dimisisti." Dimisi quidem; sed, quod cum pace vestra dicatur, illata vi cui contraire nequivi. Cum enim perpes discordia et interminabiles inimicitia mihi ex vestra parte per eos quos vobis familiares esse sciebam intenderentur, nisi episcopatus funditus cederem, et his vester habitus circa me, et dissaisitio qua me his rebus ad pontificatum pertinentibus sine lege et judicio spoliastis attestarentur, necessario dimisi quod ablatum retinere non potui. Sed de istis epistolari brevitate disquiri commode non valet. Quamobrem omissis istis, breviter suggero, quia si in pace vestra permittitis, et opem, ut vestram regalem sublimitatem decet, ferre volueritis, ut ad vos honorifice redeam ad explendum apud vos servitium Dei et vestrum, secundum voluntatem Dei, conabor iter aggredi, et in omnibus voluntati vestræ parere, nisi, quod absit, videatur voluntati Dei resistere. Quod si amplecti minime vultis ultra non possum, Deo causam ecclesiæ suæ committo, ipse videat, ipse dis- MS. p. 352.
penset, ipse quod quisque meretur in hoc suo negotio cuique reddat; ego liberavi ut æstimo animam meam, ego ubi debui coram eo exposui causam meam, paratus in omnibus sequi voluntatem suam. Ne putetis tamen² me in aliquo velle quicquam derogare libertati vel dignitati regni Scottorum, securum vos esse volo quia quod a me petistis, et ego tunc quidem adquiescere nolui; æstimans aliud quam, secundum quod postmodum didici, æstimare debebam de rege scilicet Anglorum, de pontifice Cantuariorum, et de benedictione sacerdotali; si hucusque persistitis in sententia vestra me amplius contradictorem non habebitis; nec illa me

¹ *juste*] On erasure in MS., probably to replace *legitime* or *legaliter*. | ² *putetis tamen*] tamen putetis, A.

a servitio [Dei] et amore vestro, quin quod volueritis faciam, ullo modo divellent; tantummodo alia quæ pontificis Sancti Andreæ juri competunt mihi lice[at] cum vestra bona voluntate et pio favore¹ administrare. Hæc [olim] vobis insinuassem; sed, quia rumor quaque discurrebat vos in Angliam, postposita omni ambiguitate, tunc vel tunc aut certe tunc venturum, scribere distuli quod magis optabam secreto vobis affatu declarare. Sive igitur ista suscipiatis, sive altiori consilio postponatis, ego, quod mea refert, pura et simplici conscientia feci, ipso cuncta inspiciente et examinante qui novit quid cuique redditurus æquo moderamine sit. Quoniam ergo in manu ejus sunt etiam corda omnium regum, intimo corde rogo ut ipse cor vestrum et actus vestros ad se sua gratia dirigat, quatinus et ecclesia sua quæ in regno vestro peregrinatur vestra ope in sancta conversatione de die in diem proficiat, et animæ vestræ post hanc vitam beatitudinis æternæ merces exinde proveniat, gloriose domine et sanctæ Dei ecclesiæ dignissime fili.² Amen. Quid de istis sanctitati³ vestræ placeat, benigne quæso mihi, fideli vestro, litteris suis notificare dignetur. Vale bone et sancte domine.⁴

MS. p. 353.

Misit etiam ipsis diebus Radulfus archiepiscopus et fratres ecclesiæ Cantuariensis epistolam ipsi regi, hæc inter alia continentem.

Glorioso regi Scottorum, Alexandro, frater Radulfus indignus sanctæ⁵ Cantuariensis ecclesiæ minister, et fratrum conventus Domino Christo in ea deserviens; per illum in terra regnare, cui famulatur omnis militia cœlestis.

Novit prudentia vestra, charissime domine, quanto tempore sedes episcopalis quæ in patria vestra præcipua habetur suo caruerit pa[sto]re, quæ proculdubio quanto fuerit suo destituito vi[g]ore, tanto deterius subditorum ruina inde proveniet. Un[d]e hortamur celsam⁶ strenuitatem vestram quam Divina propitiatio inter alios reges ita absque notabili repræhensione hucusque honoravit, ut ab omnibus laudabilis habeatur, quatinus tanto religionis detrimento finem dantes, pastorem quem

¹ et pio favore] Not in A.

² gloriose . . . fili] Not in A.

³ sanctitati] excellentiæ, A.

⁴ bone et sancte domine] Not in

A.

⁵ Glorioso . . . sanctæ] Alexandro illustri regi Scottorum, Radulfus, A.

⁶ celsam] Not in A.

A.D. 1122. vos canonicè elegistis et nos legaliter ad vos misimus ad sedem suam ex bona voluntate vestra revocetis. Et cum nec in vobis nec in ipso culpa pateat quare hoc digne fieri non debeat, ex patrum auctoritate non intelligimus qualiter, isto vivente, alium memorata ecclesia vestra possit sortiri episcopum, quia sponsa Dei, suo superstite, ne fiat adultera, nisi legalem, omnem contemnit maritum. Quapropter quomodo-cunque hactenus hoc dilatatum fuerit, virum, sicut speramus, vobis utilem, et in lege Dei a pueritia nobiliter instructum, in primum dilectionis vestræ gradum et in officium sibi injunctum pro vestra gloria revocate. Deus pacis et dilectionis a quo omne bonum consilium procedit sit semper vobiscum. Quid vobis videatur de iis quæ vobis mandamus, nobis precamur rescribi facite. Valeat dilectio vestra cum domina regina uxore vestra, et cum omnibus qui ea quæ justa sunt MS. p. 354. volunt et vos diligunt, gloriose domine et honorande sanctæ matris ecclesiæ fili. Amen.

Death of
Ralph,
Archbishop
of Canter-
bury [Oct.
20th, 1122].

Eodem anno, qui fuit annus ab Incarnatione Domini millesimus centesimus vicesimus secundus, et ex quo ab episcopatu Rofensi in patriarchatum Cantuariensem translatus est annus nonus, defunctus est Cantuariæ in metropoli sede Radulfus archiepiscopus, xiii. Kal. Novembris, præsentibus filiis suis, glorioso scilicet agmine monachorum ejusdem loci; et tertio abhinc die¹ in medio aulæ majoris ecclesiæ decenter sepultus.²

¹ *abhinc die*] die abhinc, A.

| ² A. has no *Explicit*. Nor has MS